DISCIPLINA POPULI DEI.

.290

DISCIPLINA
POPULI DEI
IN NOVO TESTAMENTO
EX SCRIPTORIBUS
SACRIS ET PROFANIS COLLECTA,
A
CLAUDIO FLEURY
PRESBYTERO ET PRIORE ARGENTOLIENSI
GALLICE SCRIPTA,
HERBIPOLI
A SOCIETATIS JESU SACERDOTE LATINE REDDITA,
Nunc vero a FRANCISCO ANTONIO ZACCARIA ejusdem Societatis Presbytero, atque Atestiorum Principum Bibliothecæ Præfecto adnotationibus, ac variorum Dissertationibus illustrata.
TOMUS II.
POSTERIORES DUAS PARTES EXHIBENS.



VENETIIS
MDCCLXI.
TYPIS ANTONII ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX
TOMI II.
PARS III.

Ecclesia Christi in libertatem asserta.

AD PARTEM III.

Dissertationum Selectarum

MANTISSA.

---- Ejus-

INDEX
TOMI II.
PARS IV.

Antiquæ & ſeverioris inter Chriſtianos diſciplinæ relaxatio.

DE



DE DISCIPLINA
POPULI DEI
PARS TERTIA.

Ecclesia Christi in libertatem asserta.


D tertiam operis hujus partem ordine perventum est, in qua Ecclesiæ mores, ex quo illa pace, & libertate frui coepit, describendi sunt. Hoc videlicet tempus illud erat, inde a tribus sæculis expetitum; hanc sibi quisque veluti auream ætatem, statumque Fidelibus ad serviendum sine metu, & obstaculis Divinæ Majestati opportunissimum animo effingebat; verum experientia nimis quam clare docuit, longe utiliores Christianae rei superiorum temporum persecutiones fuisse. Nihilo tamen minus iidem mores, quos superiori parte retuli, diu post incorrupti permansere; ut adeo nihil novi, quod isto loco afferam, reliquum sit, quam ut differentiam novi hujus Christianorum status describam, quae ex fidei nostrae deinceps ac publico exercitio nata fuit.

CAPUT I.

Prævium Examen cæteraque ad Baptismum præparatio.

QUanquam singularis semper adhibita cura est in examinandis periclitandisque iis, qui sacri fontis gratiam expetebant; multo tamen majori hac in re circumspectione opus fuit, ex quo Christianum fieri impune licebat, prætereaque temporalis commodi aliorumque pravorum finium respectus ad profitendam hanc legem inducere mortales poterant. Ergo qui ad nostra sacra transiturus sisteret sese, continuo de causis hujus suæ voluntatis rogabatur, (*a*) quæque item hominis conditio, liberane an servilis, qui mores, quæ vitæ ante actæ ratio esset. Quorum seu professio aperte flagitiosa, seu inveterata pec-

(*a*) Constit. Apost. l. 8. c. 32.

peccandi consuetudo deprehendebatur, ii nunquam inter Religionis Christianæ candidatos admittebantur, nisi re ipsa e cœno emersissent suo. Hujus generis erant prostibula, lenones, comœdi, gladiatores, quique seu in circo cursu decertabant, seu choreis & cantu populum tenebant, verbo, qui spectaculis vel per se ipsi serviebant, vel certe iis palam addicti erant, quibus, ut circumforanei, præstigiatores, Divini, & qui characteribus, nescio quibus, populo traditis depellere se morbos vel impedire posse jactabant, denique quisquis superstitionum qualecunque genus publice profitebatur. Procul isti omnes a Religione arcebantur Christiana, nisi prius pravam consuetudinem posuissent, ac ne tunc quidem, nisi aliquandiu diligenter probati essent, fidendum ipsis Christiani putabant.

Jam vero qui sacris nostris idoneus judicabatur, Catechumenis primum accensebatur impositione manuum vel ab Episcopo, vel a Sacerdote ex Episcopi commissione facta. Hic signo crucis tyronis fronti impresso, Deum orabat, ut bene precari Catechumeno vellet, quo fructum caperet ex instructionibus, dignumque se redderet baptismatis cœlesti munere. Hoc in statu Catechumenus longo tempore, verbi gratia, triennii spatio, permanebat, quo tempore capitibus nostræ fidei scitu maxime necessariis imbuebatur. (*a*) Primum Dei Unius ac Trini mysterium, universi creationem, seriem providentiæ, finemque rerum a Deo conditarum accurate docebatur; Item quæ hominis natura, cur civis mundi constitutus, quibus & præmiis, & suppliciis generis humani gubernationem, Deus per omnia retro sæcula, temperarit; his articulis alii de incarnatione, ac religuis vitæ, & operum Jesu Christi mysteriis subjungebantur.

Divus Augustinus (*b*) luculentum Tractatum conscripsit, quo Catechistas edoceret modum rite instituendi novellos Christi milites, formamque ac veluti ideam adeo fructuosæ functionis ipse præberet. Tempus huic instructioni destinatum alias contrahi, alias produci solebat; pro eo ac tyrones progressum in discendo citius tardiusve facerent. Nec solum ad hujusmodi progressum in addiscendis fidei dogmatis, verum etiam ad morum, quos ex Paganismo attulerant, emendationem attendebatur, nec nisi perfecta Catechumenorum observata conversione, statu illo egredi licebat. [1] Ea re factum est, ut complures Baptismi susceptionem ad mortem usque differrent. [2] Nulli enim nisi ultro petenti Sacramentum hoc impertiebatur. Etsi non cessarent Pastores animarum, hujusmodi Catechumenos, ut eam gratiam flagitarent, frequenter adhortari.

Qui admitti ad Baptismum desiderabant, & favore illo digni judicabantur, nomina sua dabant, albo *Competentium* sive *Illuminatorum* (*c*) inscribenda; multo etiam diligentius, & instantius quadragesimali tempore instruebantur, sæpiusque ad Ecclesiam jubebantur convenire, cum ad examen in rebus fidei subeundum, tum ad Exorcismos ac preces supra ipsos in corona Fidelium rite pronuntiandas. Ea functio *scrutinium*, & assignata illi tempora *scrutinii dies* appellabantur, ad quos dominica proxime præcedente universa Fidelium congregatio invitari solebat his fere verbis: (*d*) *Scrutinii diem dilectissimi Fratres, quo electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscite, adeoque solicita devotione sequenti quarta feria circa horam nonam*

1 Multa de Catechumenis non Filesacus modo, cujus opusculum suo loco recudemus, sed etiam Martenius *l.* 1. *c.* 1. Chardonius de *Bapt. p. I.*, Tourteus *diss.* 2. *de Catechesibus S. Cyrilli cap.* 5. dabunt. Johannes Morinus *de expiatione Catechumenorum* eruditum tractatum conscripsit. Exstant etiam inter Protestantes, quos consulere possis, Tobias Pfannerus in libro singulari *Vinaria* 1688., Matthæus Larroquanus in *Adversariis Sacris*, Binghamius in *Originibus*, Balthasar Cellarius *de Catechumeno*, *Helmstadii* 1657., & Ægidius Strauchius item *de Catechumeno*, *Vittemberga* 1659.

2 Chardonius hunc morem late persequitur *in historia Sacramentorum*. Qui morte imminente baptismum susciperent, *Clinici* vocabantur, de quibus exstat dissertatio Marquardi Gudii, ut alios omittam a Fabricio notatos *Bibliogr. antiq. p.* 389.

(*a*) *Constit. Apost. l.* 7. *c.* 10.

(*b*) *De Catechizand. Rud.*

(*c*) *August. l. de fide & op. c.* 6.

(*d*) *Cod. Sacram. Edit. Rom.* 680.

ram convenire dignemini. [1] Constanter mos iste ac per plura sæcula tenuit, proque ipsis etiam parvulis observatus fuit; ejus vestigia quædam adhuc extant in officio Ecclesiastico. (*a*) Sub finem magni jejunii Symbolum Apostolorum iisdem exponebatur, cujus expositionis paradigmata habes in Catechesi Sancti Cyrilli Hierosolymitani, & in multis S. Augustini sermonibus. [2]

Post tot ac tantas prævias dispositiones solemni demum ritu Catechumeni baptizabantur; [3] aut in pervigilio Paschatis, ut nempe cum Christo in novam vitam resurgerent; aut in Vigilia Pentecostes, ut cum Apostolis Spiritum Sanctum acciperent; nam statim a Baptismo Confirmationis Sacramento impertiebantur. Extra duo proxime commemorata per annum tempora Baptismus ordinario modo non conferebatur: si vero periculum in mora esset, nunquam non illius facta est copia. [4] Recens baptizati octo ipsos dies candidam vestem portabant in Baptismo acceptam, ad denotandum innocentiæ candorem, quem ad exitum vitæ suæ conservare incontaminatum quisque debeat; [5] Tum vero universis Ecclesiasticis officiis interesse licebat.

Dubitari neutiquam potest, fuisse per ea tempora publicæ pacis, & tranquillitatis solito plus assiduos ferventesque Christianos in publicis comprecationibus obeundis, in cœtibus majore frequentia habendis ubi statis horis diurnis nocturnisque divinum officium peragebatur. Accedebat Ecclesiarum, & oratoriorum major opportunitas, utpote quæ passim tunc aut ædificabantur, aut majori magnificentia sumptuque ornabantur. Fortasse non abs re fuerit, unam aliquam ex antiquis Christianorum Ecclesiis hoc loco describere, quantum quidem partim ex idoneorum Scriptorum libris, partim ex Antiquiorum, quæ hodiedum supersunt ædificiorum structura in hanc rem colligere licebit.

CAPUT II.

Ecclesiarum Christianarum forma, & ornatus.

Christianorum Ecclesiæ, quoad fieri poterat, a profanis quibuscumque ædificiis separatæ erant, (*b*) atque a strepitu, & concursatione hominum remotæ, atriis etiam, hortis aut ædificiis, ad Ecclesiam ipsam pertinentibus circumdatæ. Primo statim aditu peristylium erat, sive atrium quadratum, (*c*) porticibus undique inclusum, quos circumpositæ columnæ sustentabant, eo ferme modo ac forma, quam hodie in monasteriis claustrisque cœnobiis ambitus quadrati repræsentant. (*d*) Sub illis fornicibus mendiculorum greges morabantur, quibus licebat pro fori-

---

1 Edmundus Martenius plures hujusce Scrutinii ordines, seu formulas veteres exhibet. Consule etiam Chardonii *historiam Sacramentorum*.

2 De Symboli traditione præter citatos Martenium & Chardonium consule Thomam Milles ad S. Cyrilli Hierosolymitani Catecheses p. 75. Quarta Dominica Quadragesimæ inter alia quibus appellabatur nomina *Dominicæ de traditione* dicebatur, quia ab hac die Catechumenis symbolum memoriter mandandum in pluribus Ecclesiis tradebatur. Vide Concilium Bracarense II. *can.* 1.

3 Baptismi ritus Bellarminus, Martenius, Chardonius, Casalius, Josephus Vicecomes *Vol. I. Observat. Eccles.* Johannes Ciampinius in *explicatione duorum Sarcophagorum Baptismi ritum indicantium* illustrant. Vide etiam Binghamium, Vossium *de Baptismo*, Henricum Pontanum *de ritu mersionis in baptismo*, *Trajecti* 1705, Johannem Bartholinum *de baptismo per adspersionem legitime administrato*, *Hafniæ* 1697., Christianum Gottlieb Schvvartzium *de ritibus quibusdam formulisque a manumissione ad Baptismum translatis*, *Altdorffii* 17[illegible]8, Johannis Fæsii libros tres *de ritibus baptismalibus veterum Christianorum Helmstadii* 1712, Gerardum Radovium *de pecunia lustrica*, *Rostockii* 1671, Johannem Fridericum Joachimum *de donis baptismalibus*, *Halæ* 1736.

4 Confer Morinum *de pœnitentia lib. X. cap.* 8.

5 Vide Martenium *l.* 1. *c.* 1. *artic.* XV. Chardonium *de Bapt.* p. II., Johannem Schmidium *de usu vestium albarum*, *Lipsiæ* 1704. Gothofridi VVegneri disputationem *de alba veste baptizatorum*, Regiomonte 1715. De candidis baptizatorum stolis agit etiam Thomas Milles *ad S. Cyrill. Hierosol. p.* 34.

(*a*) *Ord. Rom. Miss. fer.* 4. *post Dom.* 4. *Quadrages. & Durand. ibid.*

(*b*) *V. Euseb. hist. Eccl. l.* 10. *c.* 4.

(*c*) *In vernac. lingua* Argiporto.

(*d*) *Idem de vita Constant. l.* 3. *c.* 34. 35. *&c. l.* 4. *c.* 58.

foribus Ecclesiæ stipem rogare. [1] Medio in atrio unus aut plures prostabant fontes, manibus vultuique ante orationem abluendis idonei, [2] in quorum locum subinde vasa lustralis aquæ subrogata fuerunt. (*a*) Duplex atrio vestibulum contiguum erat, ex quo per plures portas ingressus patebat in Basilicam, quæ totius sacræ ædis capacior pars, & veluti corpus erat. Dixi, *duplex fuisse vestibulum*; nam alterum eorum extra templum erat, alterum ad templum pertinebat proxime majorem Ecclesiæ portam existens, & a Græcis *Narthex* appellatur. Porro Basilicæ ipsi duo plerumque ædificia adjuncta erant; Baptisterium videlicet in ipso templi aditu extrinsecus situm, &, qua parte Ecclesia terminabatur Vestiarium sive Sacristia, ubi sacra Supellex asservabatur, qui locus *Secretarium* vel *Diaconicum* alias dicebatur; non raro etiam juxta templum ædiculæ sive cellulæ in longum procurrebant, privatim orantium, & meditantium commoditatibus exstructæ, quas nos Sacella vulgo *Capellas* nominaremus.

Tota Basilica in tres partes secundum latitudinem suam divisa erat per duplicem columnarum ordinem, quibus ex utroque latere porticus incumbebant, inter quos medium interjectum spatium templi navis erat, quemadmodum in antiquis omnibus Ecclesiis hodiedum observare licet. In extrema templi parte Orientem versus altare se attollebat, & post altare Presbyterium sive Sanctuarium, quæ secretior templi pars erat solis Sacrorum ministris pervia; quippe in qua divini officii tempore Presbyteri ex ordine assidebant, medium inter ipsos locum obtinente Episcopo, cujus exedra [3] in extremitate sacræ ædis collocata, intrantium per principem portam Fidelium obtutus veluti totius sacræ structuræ meta terminabat. Altari septum Clathratum sive cancellis translucidum prætendebatur, quod chorum appellare liceat, [4] ad ejus ingressum, aut in medio illius pulpitum eminebat, alias *Ambo* nominatum, eo gradibus ex utraque parte ascendebatur ad sacras lectiones publice obeundas. [5] Nonnunquam duo id genus suggesta hinc atque illinc disposita erant, ut spatio, quod intermedium erat, vacuo relicto, liber ad altare ipsum prospectus esset. [6] Unum ex hisce suggestis, quod ad dexteram Episcopi, & ad sinistram populi adversi stabat, legendo Evangelio alterum e regione oppositum recitandæ Epistolæ serviebat. Porro spatium, quod inter Ambonem sive pulpitum & altare medium erat, Cantores occupabant, qui simplices Clerici erant, ad id muneris speciatim destinati.

Jam altare ipsum mensa erat ex materia pretiosa, ut argento aurove facta, gemmisque distincta; marmore ut minimum aut

---

1 *Ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent*, S. Joh. Chrysost. *hom.* 28. *ad pop. Antioch.* Hinc S. Gregorius Nazianzenus *de am. paup.* ajebat: *Petitionum gemitus internis Templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatur.*

2 Lavabantur manus a Fidelibus templa ingredientibus, præsertim ob Eucharistiæ, quam diximus fuisse manibus exceptam, reverentiam. Ejusmodi labium Veronæ exstare etiamnum memorat Cl. Maffejus *Verona Illustr. T. III.* Vide Grancolasium operis inscripti *l'ancien Sacramentaire de l'Eglise p. I. pag.* 27. *seq.*

3 *Sit solium Episcopi in medio positum, secumque ejus latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi succincti.* Constit. Apost. l. 2. c. 57. Quare Augustinus *de Civit. Dei* l. 19. c. 19., *quid aliud*, inquit, *interpretatur Episcopus nisi superinspector, maxime cum in solio in Ecclesia editiore resideat?* Confer Passerium *Diss.* XII. de *Throno Sacro Thesauri Goriani Gemm. Antiq. Astriferarum Vol.* 3.

4 De hujusmodi cancellis extant plura Veterum testimonia, Eusebii l. 10. *hist. c.* 4., & l. 4. *de Vita Constant.* c. 59., Nazianzeni *Orat.* 150., Gregorii Turonensis &c. Turonense Concilium *a.* 557. caussam reddit his verbis: *ut Laici secus altare quo Sancta mysteria celebrantur, inter Clericos stare penitus non præsumant; sed pars illa, quæ a cancellis versus Altare dividitur, choris tantum psallentium pateat Clericorum.*

5 Ex ambone clerici etiam Ordinum inferiorum psallebant. Hinc Laodicenum Concilium *can.* 15. statuit, *quod non oporteat amplius præter eos qui regulariter Cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* Alios ambonis usus percenset Catalanius *de Codice Sancti Evangelii lib.* 2. *cap.* 6. Vide & Diarium Italicum Montfauconii *p.* 134.

6 Tres quandoque ambones erant, unus scilicet pro epistola legenda versus altare, unus pro legendis prophetis versus populum, tertius in sinistris, isque altior, & ornatior pro Evangelio, ut in Romana antiquissima S. Clementis Basilica, quemadmodum Martenius notavit l. 1. c. 4. *art.* 4. *n.* 3. Ubi tamen unus ambo extabat, ad eum duplex patebat adscensus, inque illius superiori parte bini erant gradus, alter altior, in quo Evangelium, depressior alter, in quo legebatur epistola. Ordo Romanus: *Subdiaconus, qui lecturus est, adscendit in Ambonem, ut legat; non tamen in superiorem gradum, quem solet adscendere qui Evangelium lecturus est.*

(*a*) *Paulin. Ep.* 32.

aut porphyrite constabat, supra Martyris alicujus tumulum, quod per loci naturam liceret, erectum. [1] Cum enim ad Martyrum sepulchra cogi Fidelium cœtus solerent, ibidem etiam Ecclesiæ exstruebantur, vel certe ad Ecclesias alibi exstructas Sanctorum Corpora transferebantur. [2] Hinc lex illa Ecclesiæ ortum habuit, prohibentis altare aliquod dedicari, [3] nisi inclusis in illud Sanctorum lipsanis. [4] Atque hæc Martyrum sepulchra vulgo *Memoriæ* aut *Confessiones* nominabantur; Ea subtus humum erant, ad quæ ante altare illis superædificatum descensus patebat. [5] Extra sacrificii tempus nihil omnino altari impositum erat, nihil quod illud proxime contingeret; quatuor solum columnis ad totidem angulos erectis ara circumdabatur, columnis vero quoddam quasi tabernaculum imminebat, quo totum altare operiebatur, quod proinde *Ciborium* veteres nominabant, a forma videlicet sua, quæ crateri inverso similis erat. [6]

Post Altare, uti supra dicere institui, Presbyterorum locus ac regio erat propria, reliqua æde sacra aliquanto humilior, & superne in angulatum fornicem desinens; pars ista Ecclesiæ *Concha* appellabatur, eo quod superius conchæ in modum clauderetur; *Absis* etiam propter figuræ suæ cum conchyliis, & arcu similitudinem dici solebat. [7] Denique hæc ipsa templi postrema pars *Tribunal* etiam nominabatur, propterea quod in Basilicis profanis, id est, in Principum, & Judicum palatiis hujusmodi locum magistratus occuparet, a ministris

1 Lignea fuisse olim altaria Optatus Milevitanus l. 6., Augustinus l. 3. *contr. Crescon. c.* 43. Athanasius *ep. ad solit.* nos dubitare non sinunt. Lapidea quoque fuere, ut innuit Chrysostomus *hom.* 3. *in* 2. *Cor.* immo *nisi lapidea essent, infusione chrismatis sacrari* vetuit Epaonense Concilium *a.* 517. Erant & altaria argentea, cujusmodi illud fuit quod Sixtum III. Basilicæ S. Mariæ obtulisse Anastasius perhibet. Sed & auro, ac lapidibus pretiosis constabant altaria; uti quod Pulcheria Sozomeno teste l. 9. *hist. Eccl. cap.* 1. dedicavit. Quatuor columnis sustentabantur, quas in Constantinopolitana S. Sophiæ Basilica *aureas* fuisse Paullus Silentiarius narrat. Hinc *ep.* 15. Vigilius Papa *cum*, inquit, in *eadem Ecclesia a sancto ejus Altari tracti pedibus traheremur, columnas tenuimus, & super nos Altaris mensa ceciderat, nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata.* Unum olim altare in plerisque Ecclesiis erat, quemadmodum in Tyria Ecclesia quam Eusebius describit l. 10. *hist. c.* 4. Deinceps altaria magno numero in Ecclesiis posita fuere; septem certe in Romanis Ecclesiis erant quo tempore Johannes Diaconus epistulam scripsit ad *Senatorium Virum illustrem* a Cl. Mabillonio in *Itinere Italico* divulgatam. Immo cavendum fuit, ne nimium Altarium numerus augeretur. Quare Concilium apud Theodonis villam *a.* 804. celebratum statuit: *de Altaribus ut non superabundent in Ecclesia.*

2 *Tumulos eorum* (Martyrum) *arbitrabatur Christi altaria*, scribebat hunc morem spectans adversus Vigilantium S. Hieronymus.

3 Dei cultu consecrabantur Altaria, ut ait S. Gregorius Nyssenus. Mos tamen fuit peculiari ritu illa sacrare, nempe *non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione*, ut *can.* 14. a Concilio Agathensi fuit constitutum.

4 Reddo egregia in hanc rem S. Ambrosii verba *ep.* 52. *Cum ego Basilicam dedicare vellem, multi interpellare cœperunt, dicentes: sicut in Romana sic Basilicam dedices. Respondi, faciam, si Martyrum Reliquias invenero.* Vide etiam Gregorium Turonensem *de vitis PP. c.* 17.

5 Hæc disciplina ad octavum usque sæculum servata fuit; nono enim sæculo Leo IV. permisit, ut Reliquiæ super altare collocarentur. Cæterum etiam post hæc tempora mos perduravit, infra altaria condendi Sanctorum corpora; immo S. Oddo Cluniacensis refert l. 2. *collat. c.* 28., S. Gualburgem cuidam infirmo quum se se videndam præbuisset, dixisse: *ideirco non sanamini, quia Reliquiæ meæ sunt super Altare Domini, ubi Majestas divini mysterii debet solummodo celebrari.*

6 Hujus generis ciboria passim Veteres memorant. Sic in Leone IV. ait Anastasius: *fa rum desuper construxit Altare, & Ciborium cum Cruce.* Sic etiam de S. Gregorio Magno liber Pontificalis refert: *hic fecit ad Beatum Petrum Apostolum super altare ciborium ex argento purissimo cum columnis IV. pensans libras centum.* Unum hujusmodi ciborium Neapoli hodieque servari in vetere Ecclesia S. Mariæ ad *Capellam*, quam Canonici Regulares possident, scribit doctissimus Mazochius in *Diss. de Cathedrali Ecclesia Neapolitana p.* 16., tum addit: *deinde ubi palam Eucharistia asservari cœpit, ea in columba aurea, aut argentea condebatur, eaque columba ex eodem ciborio suspensa dependebat. At deinde præter ciborium majus stabile, minus alterum ac plerumque ensatile repertum fuit, majori subjiciendum, quod* Peristerium *vocabatur, ex quo eadem illa columba dependebat. Et istud quoque Peristerium in morem majoris undique patens erat.*

Cæterum de Christianorum Altaribus agunt Johannes Baptista Thiers in Dissertationibus Ecclesiasticis Gallice editis *Parisiis* 1688. *sur les principaux Autels des Eglises, les Jubes des Eglises, la Cloture du Choeur des Eglises*, Granclasius in libro citato *adnot.* 2. a *pag.* 33., Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *c.* 20. §. 1., Sala *in eum Bonæ* locum, Martenius *in Indice Tom. III. de ant. Eccles. ritibus v. Altaria*, Zechius *Tom.* 1. *de jure Rerum Ecclesiasticarum Sect.* 1. *Tit.* 4.: quibus adde ea Protestantibus Balthasaris Bebelii exercitationem *de aris, & mensis Eucharisticis Veterum*, Joh. Fabricium *de aris veterum Christianorum*, & Godfridi Voigtii *Thysiasteriologiam*, sive librum posthumum *de aris veterum Christianorum, Hamburgi* 1709.

7 Longe aliud hujus vocis etymon habes apud Isidorum *Orig. lib. XV. c.* 8.: *Absida Græco sermone Latine interpretatur Lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat.* Vide Cangium in Glossario V. *Absida*.

nistris publicis stipatus. (*a*) Editiore etiam loco Basilicæ illa pars sita erat, ut adeo altari appropinquaturum Episcopum per gradus ex ea descendere oporteret.

Universa moles hactenus (*b*) descripta ad omnem magnificentiam exornata erat. Ciborium sive tegmen, & umbraculum altaris, una cum quatuor columnis, quibus innitebatur, sæpe solido ex argento conflatum erat; erantque eorum nonnulla, quæ ter mille marcas pondere æquarent, columnis (*c*) siparia ex tela magni pretii interserta erant, ad altare omni ex parte cingendum. Ciborium imaginibus illustratum splendebat, cujus supremam partem crux, aut alia quædam pia imago solido ex auro facta terminabat; idem ornatus erat sacræ pyxidis, in qua divinissima Eucharistia ægrotorum in usus asservabatur, eam nos hodie *Ciborium* vulgo appellamus. Suspensas item ex altaribus videre erat columbas aureas argenteasve, Sancti (*d*) videlicet Spiritus symbolum, in quibus ipsum adeo altaris Augustissimum Sacramentum interdum reponebatur. [1] Nonnunquam tota Absis argento convestita erat, marmore quidem certe cum Absis, tum Concha nunquam non obducta erant. Columnæ etiam, quæ duplici ordine dispositæ Basilicam intersecabant, marmoreæ erant cum capitellis æneis inauratis; denique marmore stratum erat ipsum pavimentum, & non raro eleganti opere incrustatum. Musivum illud opus vocant, cujus ad ornanda templa frequens usus fuit posterioribus præsertim sæculis; genus id est tessellati seu vermiculati operis ex frustis vitri diversicoloribus, ex quibus omnis generis figuræ, & imagines concinnantur, quæ ætatem ita ferunt, nulla ut temporum injuria deleantur. [2] Sed neque aliæ picturæ in Ecclesiis desiderabantur, quibus Ecclesiarum parietes maximam partem ornatæ erant. (*e*) Vidisses ibidem coloribus expressas Veteris Testamenti complures historias, eas inprimis, quæ mysteriorum Novæ Legis umbræ erant, ut Arca Noemi, Abrahami sacrificium, transitus maris rubri, Jonas in altum dejectus, & Daniel in lacu leonum conclusus. [3] Pluribus in locis Servatoris nostri, aut miraculorum ab ipso patratorum imago quædam se offerebat, qualia sunt multiplicatio panum, & Lazari ad vitam suscitatio. [4] Demum qualibet in Ecclesia repræsentabantur Martyris illius, cujus reliquiæ ibidem positæ erant, res pro Christo fortiter gestæ, & exantlatæ. [5] Duo in hanc rem illustria sane exempla (*f*) Prudentius nobis suppeditat in hymnis de SS. Cassiano, & Hippolyto Martyribus. Picturæ istæ eo præcipue spectabant, ut rudium hominum ingeniis librorum loco servirent, quemadmodum Gregorius II. Pontifex in Epistola secunda ad Imperatorem Leonem Iconoclastarum auctorem scribit: (*g*) *Viri ac mulieres*, inquit, *pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis tenentes, itemque florentes ætate juvenes, & ex gentibus diversis profectos, indicatis digito historiis, eos ædificant, eorum-*

---

1 Perpetuum Turonensem Archiepiscopum refert Turonensis Gregorius legasse Amalario Presbytero *peristerium, & columbam argenteam ad repositorium*. Turriculis præterea quibusdam Eucharistia includebatur. *Diaconus*, inquit idem Gregorius *de gloria Martyrum l. 1. c. 86.*, *accepta turre, in qua mysterium Dominici Corporis habebatur*. Hugo Haviniacensis *Pixidem* memorat, *l. qua servaretur Corpus Dominicum dependens super altare:* Confer Thiersium in Dissertatione Gallica *de principibus aris Ecclesiarum* cap. XXIV., Grancolasium T. I. operis prænotati *l'ancien Sacramentaire de l'Eglise* p. 192. *seqq.* Martenium *l. 1. c. 5. art. 3. n. 6. seqq.*

2 Consule de hisce musivis Campinium.

3 *Novi ac veteris Testamenti historiis hinc inde parietes Templi repleri doctissimi pictoris opera velim*, ajebat Nilus *ep.* ad *Olympiodorum*, *quo scilicet hi, qui litteras norunt, contemplatione pictura in memoriam reducant*. Confer Mamachium *T. III. Orig.* p. 27.

4 Vide Mamachium *l. c. p.* 46.

5 *In omnibus Ecclesiis Nostris*, inquit S. Basilius contra Julianum, *Sanctorum historias erigimus*. Consule Grancolasium T. 1. *p.* 67. *seq.* ac Trombellium *de cultu Sanctorum diss. 9. cap.* 68.

(*a*) *Ord. Rom.*

(*b*) *Anast. in Sylvest. & in Leon. III. &c.*

(*c*) *Idem in Steph. IV.*

(*d*) *Concil. Constantin. an. 536. Act. 5.*

(*e*) *Vid. Rom. subterran. l. 4. c. 6. 7. &c.*

(*f*) *Prud. Peristeph.*

(*g*) *Greg. II. Ep. secunda in Conc. Nicæn. secunda Oecum. VII.*

rumque mentes, & corda sursum ad Deum erigunt. (*a*) Neque portis Ecclesiarum sua deerant ex ebore, argento auroque ornamenta; semper vero templi foribus cortinæ prætensæ erant.

Diaconicum sive Sacristia insignis structura erat ipsi Ecclesiæ contigua. [1] Hic sacra vasa, hic libri, & vestimenta Sacerdotum, hic cætera Ecclesiæ sacra, & pretiosa supellex custodiebantur, Fidelium quoque oblationes, ipsaque interdum Eucharistia ibidem reponebatur. Eodem ad causas Ecclesiasticas secreto tractandas Clerum suum Episcopus convocabat; idem eo se referebat interdum, ut ad rem divinam rite faciendam sese compararet: quemadmodum de S. Martino Severus (*b*) author est, qui tres ipsas horas in Sacristia abditus orationi ante Missam vacare solitus erat. Inde est, cur ei loco *Secretarii* nomen inditum fuerit, cujus spatium nonnunquam adeo capax erat, ut Conciliis ibidem celebrandis sufficeret. In nonnullis Ecclesiis geminæ ad supradictos (*c*) usus aulæ erant, quarum altera sacro instrumento asservando, altera meditationi, & consultationi attribuebatur.

Calicum & patenarum vis ingens erat; illi sub prima Ecclesiæ sæcula; sæpe quidem vitrei solum erant, sæpe tamen persecutionum etiam durante tempore argentei aureique adhibiti sunt. Calices isti pocula erant, quibus Romani ad bibendum fere utebantur; (*d*) patenæ autem lances sive catini erant, quibus escæ mensis inserebantur. Calices templorum maximam partem pondus trium marcarum habebant; patenæ vero utpote prægrandes pelves sive pollubra, non raro quinque, & quadraginta, semper vero triginta marcas graves erant. [2] Jam inde ab iis temporibus (*e*) cereorum in Ecclesiis usus receptissimus erat, quorum bene multi quamlibet adulta die accendi solebant, interlucentibus magno numero lampadibus. Luminum hic tam creber usus tum temporis multoque ante publicæ lætitiæ, & venerationis significatio habebatur. Nam Magistratibus Romanis ignis seu potius prunę in foculis præferri solebant, ad odores nimirum incendendos; id quod Horatius adnotavit, vanitatem & insaniam exagitans Prætoris cujusdam vel potius (*f*) Scribæ, qui *Fundis* in parvo, & ignobili oppido magnos honores sibi sumebat, hujus enim

Prætextam, & latum clavum prunæque batillum

salse Poeta irridet. Præterea in *Notitia Imperii* præter cæteras notas symbolaque plurimorum Magnatum, & Procerum mensa proponitur, in qua liber pulvinari impositus est, alias omnibus conspicuus, alias oblongo velo coopertus, candelis duabus supra candelabra ardentibus, quæ figura nostris altaribus admodum affinis est. (*g*) Inventa fuere candelabra ex auro, Ecclesiis sub prima Christianismi tempora denodata, quæ septem supra triginta marcas adæquabant; argenteorum vero pondus ad quadraginta quinque ascendit. Usus item cereorum odoratorum ad suffitum videlicet faciendum in aliis etiam extra Italiam Provinciis deprehenditur, (*h*) quemadmodum in baptismo Clodovæi observatum fuisse accepimus. [3]

Baptisterium figuræ plerumque rotundæ erat,

---

1 Vocabatnr etiam *Pastophorium*, *Vestiarium*, atque adeo a S. Greg. M. *l.* 4. *ep.* 54. *Salutatorium*, quod illic Clerus ante Missam conveniret Episcopo salutem dicturus. Concilium Antissiodorense *can.* 37. feminas ab ingressu in Diaconicum prohibet.

2 De calicibus, & patenis consule Bonam *l.* 1. *c.* 25. §. 1. & 2., Salam *in Bonam*, Mabillonium *Comm. in Ord. Rom.* Martenium (vide Indicem T. III. V. *Calix*, *Patena*) Grancolasium *T.* 1. *p.* 93. & 728. P. Sebastianum Pauli in diss. *de patena Foro-corneliensi*, Joh. Doughteum *de Calicibus Eucharisticis*, *Bremæ* 1694.

3 Antiquissimum candelabrorum, & luminum in rebus Liturgicis usum plura demonstrant, quæ Bona *l.* 1. *c.* 25. §. 7., & Sala *in eum locum* congessit. Adde Grancolasium T. 1. *p.* 717. *seqq.*, Georgium *de Liturgia* Rom. *Pont. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 9. & *cap.* 18., ac Thiersium *diss. cit. cap.* 19.

(*a*) *Anastas. in Leon. III.*

(*b*) *In vita Ipsius.*

(*c*) *Paul. ep.* 12.

(*d*) *Lib. Pont. in Mar. & alibi passim.*

(*e*) *Hieronym. in Vigilant. c.* 3.

(*f*) *L.* 1. *Satyra* 5. *v.* 34. *&c.*

(*g*) *Anast. in Sylvest.*

(*h*) *Gregor. Turon. l.* 2.

erat, aditumque habebat, ex quo per aliquot gradus descendebant immergendi in aquam; nam locus iste re ipsa balneum quoddam erat. Consecutis post temporibus satis visum fuit, ingens aliquod labrum balnearium ex candido rubrove marmore huic mysterio destinare; ad extremum vero tota baptisterii ratio ad pelvim sive pollubrum redacta est, uti nostra adhuc ætate fontes baptismales extant. Jam baptisterium suis quoque huic Sacramento (*a*) maxime consentaneis picturis illustratum, vasisque aureis, & argenteis compluribus ad sacrum Oleum asservandum, & aquam superfundendam locupletatum erat. Vasa hæc modo agnelli, modo cervi referebant figuram, illa sanguinem Agni Divini, (*b*) quo a sordibus peccatorum lavamur, ista animarum desideria repræsentabant, Deum & Cœlestia sitientium. Interdum etiam S. Joannis Baptistæ imaginem videre erat, cum columba aurea vel argentea sacro fonti imminente, quo sic eo luculentius exprimeretur universa Christi in Jordane baptizati historia, & virtus Spiritus Sancti super aquas baptismales descendentis; (*c*) quæ etiam ratio fuit, cur nonnulli aquam ipsam seu fontem baptismalem ***Jordanem*** appellarent. [1]

Hunc ferme in modum exstructæ erant veteres Ecclesiæ, & ædificia illis adjuncta; [2] cætera enim, quæ huc referri deberent, prætereo, hujusmodi sunt Episcopale palatium, & Clericorum habitatio, ex quibus progressu temporis Canonicorum septa, & monasteria exorta sunt; item hospitales domus diversi generis, quæ maxima ex parte prope sacram, & principem ædem exstructæ erant.

Et tamen Gentiles eorum temporum Fidelibus exprobrabant, quod neque templa, neque altaria, neque statuas, neque sacrificia festaque ulla haberent; quibus Christiani, ut objecta diluerent, non aliud fere respondebant, quam fana illa, & aras cruentaque Sacrificia nimium quantum indigna esse Dei Majestate. Deum non aliam habere sui imaginem, quam Filium Unigenitum suum, & animas rationales, quę filii Dei imitatione Patri ipsi efficiantur similes; nec deesse sibi ullo aut loco aut tempore altaria & sacrificia, laudes nimirum divinas, quas ex animis charitate inflammatis, veluti fumantibus aris identidem offerant; denique veros ac genuinos Christianos nullam diem non habere festum, perpetuumque gaudium gaudere propter caducarum rerum despicientiam, propter securæ conscientiæ tranquillitatem, ac cœlestium bonorum exspectationem limpidissimæ voluptatis plenam. Hæc aliaque his similia ad Gentilium obtundendas criminationes Christiani reponebant; quin prætera disertius responderent, dicerentque, esse sibi omnino templa, & altaria etiam materialia perinde atque Ethnici habeant, licet figura ab istis diversa.

Aliud nimirum Gentiles, aliud Christiani cogitabant, cum templa aut altaria nominarentur. Gentilibus enim altare nihil aliud erat, quam focus quidam e lapidibus in foro aliquo ante templum aut idolum, & quidem sub dio exstructus, in quo victimarum carnes cremari, vinumque lac, mel, & alia libationum genera effundi mos erat. Iidem templum accipiebant pro ædificio singulari figuræ alias rotundæ, alias oblongæ, in cujus structura proportio certaque ornamenta pro diversitate divinitatum diversa etiam ipsa erant; quemadmodum apud Vitruvium legere est. Generatim tamen id genus templa maximam partem

tem

1 De Baptisteriis Tomo superiore aliqua adnotavi. Confer dissertationem Chardonii in fine hujus partis.

2 Age, de Templis Christianorum quos consulas, hi sunt; Bellarminus *de Templis*, Bulengerus *de Templis libro tertio*, Leo Allatius *lib. de Templis Græcorum recentiorum, & de Narthece*, Pompejus Sarnellius in libro inscripto *Antica Basilicografia* Neapoli 1684., Johannes Campinius *de Sacris ædificiis a Constantino M. constructis*, Bona *l. 1. Rer. Liturg. c. 19.*, & Sala *in eumdem*, Mabillonius *Comment. in Ordinem Romanum §. 3.*, Grancolatius *T. 1. Antiqui Sacramentarii Ecclesiæ* pag. 2. Zechius *T. 1. de jure rerum Ecclesiast. Sect. 1. Tit. 1.* Hildebrandus *de prisca, & primitiva Ecclesia Sacris publicis, templis, & diebus festis*, *Helmestadii* 1652., Urb. Godofr. Siberus *de templorum condendorum, & dedicandorum ritibus Lipsiæ* 1726., Binghamus, aliique apud Fabricium *Bibliogr. antiq.* p. 299. *seqq.* Adde & Mazochium V. Cl. in Diss. *de Cathedrali Ecclesia Neapolitana*.

(*a*) *Paulin. Ep. 12. Lib. Pontif. in Innoc. I. & alibi.*

(*b*) *Psal. 41. v. 1.*

(*c*) *Syn. Constantinop. an. 535.*

tem angusta erant, fenestris aut plane destituta, aut modica luce per illas admissa subobscura; nec quidquam aliud in iis præter Deorum simulacra, & donaria illis facta visebatur; populus enim intro succedere non solebat, sed pro templi foribus altare ipsum circumstabat. Contra vero Christianorum Ecclesiæ aulis quam fanis similiores erant, cujusmodi videlicet (*a*) Basilicæ fuerunt a Vitruvio descriptæ, aut scholæ publicis usibus apertæ. Eminebat in illis tribunal cum suggestu sive cathedra, quam totius conventus Præses occupabat; præterea offerebant sese pulpitum pro lectoribus, scamna pro auditoribus, libri, armaria, lampades, candelabra, mensa denique, cujus quis usus esset, Gentiles ignorabant, nisi quod scirent epulas interdum Christianos inter se communes habere. Accedit, quod cœtus suos & loca, ubi cœtus cogebant, Christiani frequentius translatis vocabulis efferre solebant, nominando illos Ecclesiam, *Basilicam*, *Oratorium*, *Domum Dei*, *Dominicum* [1] sive quod idem ex Græco sonat *Kyriacum*, ex quibus ultimis vocabulis voces Germanicæ *Dom* & *Kirch* ortum duxere, raro ea loca templum, nunquam vero, quod legere meminerim, delubra aut fana appellabant; sæpe etiam altaris loco *sacram mensam* dicebant. Progrediente tamen die ipsa Gentilium fana ad veri Numinis cultum adhibita fuerunt, siquidem ad Religionis nostræ functiones idonea haberentur. Quemadmodum Romæ Pantheon, [2] Minervæ, Fortunæ, aliaque Deorum Dearumque Fana in Ecclesias Christianas conversæ sunt.

Non amplæ solum ornatæque erant Christianorum Ecclesiæ, verum etiam, ut mundæ essent ac probe custoditæ, sollicite curabatur; S. Hieronymus Nepotianum Presbyterum laudat, cujus cura diligentiaque factum fuit, ut Ecclesiæ ipsius altare perpolitum, muri a fuligine, pavimentum a pulvere, & sordibus defensum, sacristia nitida, vasa pellucida conservarentur, assiduusque ad Ecclesiæ fores janitor excubaret. Hujus generis ministeriis inferioris ordinis in Ecclesia ministri deputati erant, quocunque demum nomine illos appellare libeat; nam Janitores, Mansionarii, Cubicularii, Æditui vocabantur, ingensque semper in majoribus Ecclesiis numerus eorum erat. (*b*) Ex formula ordinationis colligitur officium Janitorum fuisse, ut dato signo statis horis Fideles ad comprecationem advocarent, sive campanarum pulsatione, ex quo earum usus receptus fuit, quod sæculo sexto exeunte contigisse creditur, sive alia quadam ratione id fieret; præterea portam Ecclesiæ reserare, ad eandem excubare, infideles atque excommunicatos inde prohibere, claves perpetuo asservare, denique ne quid per negligentiam deperiret, cavere ostiarii debebant. (*c*) Ex dialogis S. Gregorii discimus, lampadum curam Mansionariis demandatam fuisse; hi ipsi ex inferiore Clero ministri festis ac solemnibus per annum diebus Ecclesias pro suo munere exornabant, alias peristromatis ex serico aliove pretioso opere contextis, alias floribus, & virentibus ramis sacros parietes scite vestiendo; verbo, in adornando curandoque sancto loco nihil ab ipsis prætermittebatur, quod ad ingenerandum hominibus Domus Dei reverentiam, & pietatem necessarium esset. Porro id genus functiones tanti fiebant, ut Laicis eas obire non permitteretur; eamque ob caussam consultius visum fuit, ad Diaconorum sublevandos labores novos Clericorum ordines, qui muneribus illis præficerentur, constituere.

C A-

1 Vetus inscriptio apud Pignorium *de servis Dominicu* (sic) *Clementis* memorat, nempe Basilicam Romanam S. Clementis. Vide Eusebium *Orat. de Laud. Const. c.* 17., S. Cyprianum *de opere & eleem.*, S. Pachomium *Reg. c.* 54. *Martyria* quoque, & *Memoria Martyrum* vocabantur. Confer Augustinum *l.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10.

2 Si tamen Pantheon templum fuit, nec potius balneum; de quo vide eruditam P. Lazeri Dissertationem.

(*a*) *Vitruv. L.* 4. *c.* 1. *Baron. ad Martyrol.*

(*b*) *Baron. Anno* 58. *n.* 102.

(*c*) *Dial.* 1. *c.* 5. *&* 3. *c.* 24.

CAPUT III.

Religionis exterior apparatus, ejusque necessitas.

Etsi Christiana Religio tota spiritualis sit, atque ad interiorem hominem præcipue spectet; nihilo tamen minus Christiani homines utique sunt cæteris mortalibus similes, perindeque ac reliqui sensuum, & phantasiæ objectis affici ac moveri solent. Imo dicere ausim, quam plurimos ipsorum in omni actione sua vitæque totius ratione sensibilium rerum ductum ac veluti magisterium unice sequi. Quotus enim quisque est, qui animali hominis parte prorsus superior totus sit in operationibus mere internis, & intellectivis? Imo qui tales sunt, quoties ab iis distrahi, & avocari non solent? Igitur rerum externarum adminiculis fulciri pietatem nostram, & adjuvari omnino necesse est. Si, quæ Angelorum natura est, puri spiritus essemus ab omni corporum concretione semoti, perinde in uno atque in alio loco animum per orationem ad Deum erigere nullo negotio possemus; nec fori aut compitorum strepitus, nec militarium tumultus stationum, nec popinarum nidor, & helluonum in illis temulentæ voces, nec ullius denique cloacæ sordes ac fœtor ab orando Deo animum avocarent nostrum. Cur autem omnia hæc loca nimium quantum ad colligendum animum inepta evitamus; nisi ut sensuum nostrorum ac phantasiæ lubricitati, & naturali ad exteriora effusioni utcunque occurramus? Nobis profecto, non Deo, templis & oratoriis opus est. Is enim locis omnibus ex æquo præsens adest, semperque ad nos audiendos paratus; nos vero ad colligendum cum ipso haud perinde quovis tempore ac loco expediti sumus. Frustra igitur certa quædam loca divino cultui sacramus, nisi eadem a nobis ita curentur, exornenturque, ut ad ingenerandam pietatem opportuna sint. Nos ipsi nonne indies experimur, quam difficile sit orationi vacare in Ecclesia loco tam incommodo sita, ut vicini fori aut frequentatæ ab hominibus plateæ strepitus e propinquo exaudiatur, tam pulverulenta insuper maleque perpurgata, vix ut invenias, ubi pedem figere, ubi considere, aut ponere genua commode liceat; in Ecclesia denique, ubi unda populi ultro citroque commeantis nunc in latera, nunc in pedes orantium incurrat, ubi infantium ejulatu, exactorum pro stipe corroganda, omnisque generis mendicabulorum clamoribus perpetuo interpelleris? Jam si ad hæc aurium tormenta oculorum etiam, quod sæpe fit, offensiones accedant, ut cum præter architecturæ, quam Gothicam vocant, obsoletam formam, templi cætera quoque ornamenta, & sacra supellex ingratum oculis spectaculum præbent, cum picturæ aut fumo pulvereque squallentes, aut a solis incidente lumine aversæ obscuroque loco positæ, statuæ item rudi opere elaboratæ, turpiterve mutilatæ passim extant: cum peripetasmata historias profanas, imo nonnunquam parum ædificationi consentaneas repræsentant, aut cum æditui imperitia contra ordinatæ structuræ modum ad regulam perperam disposita videntur; si denique dum res divina solemniter peragitur, plures ex omni parte Missæ privatæ celebrentur, aliis interim in odeo concinentibus, aliis privatim preces sacras persolventibus, aliis ad confabulandum, aliis ad dormiendum conversis, qui tandem inter tot ac tanta sensuum avocamenta animus sibi constabit? E contrario Ecclesiam cogita a turba, & tumultu semotam, structuræ insuper elegantia, & sacri instrumenti apparatu ac nitore præstantem, in qua bene coordinatus Clericorum chorus divini officii partes omnes ingenti cum modestia ac dignitate obeat, sane ad assistendum tali in loco rei divinæ, & ad preces non tantum lingua, sed intimo animi affectu, (a) quod Apostolus monet, fundendas, nullum efficacius afferri posset invitamentum.

Probe ista animadverterant primorum Ecclesiæ sæculorum sapientissimi Præsules. Erant isti partim Græci, partim Romani, sæpe

(a) 1. Cor. 14. v. 15.

ſæpe quidem philoſophicis Diſciplinis, ſemper vero urbanitatis, & decentiæ præceptis egregie imbuti; intelligebant, ad excitanda in hominum animis præclara ſenſa honeſtiſſimaque de rebus ſacris ac divinis judicia momenti plurimum habere ordinem, dignitatem & munditiam rerum, quæ ſenſibus objiciuntur; neceſſario etiam ex hac rerum æſtimatione voluntatem tenere commoveri, & colliqueſcere; Sed neque illud eos latebat, ægre admodum fieri poſſe, ut ad ſublimia ſeſeque digna hominis animus aſſurgat, quamdiu corpus ipſum impeditur, & phantaſia externarum rerum imaginibus veluti ſauciata languet. Interim tamen pietatem tanti æſtimabant, ut eam, quoquo modo poſſent, ad juvandam curarent. Quare illud inprimis agebant, ut tota publici Divinique Officii ratio, præcipue vero auguſtum Altaris Sacrificium, quanta maxima fieri poſſet, majeſtate & ſplendore perageretur, utque populus eidem quam commodiſſime intereſſet, quo ſic ſuus domui Dei amor, debitaque veneratio conſtaret. Procul tamen a Sacris Ædibus faſtum omnem profanum, procul effœminatum luxum, & quidquid denique lenocinari animis, & ſenſus externos ferire poterat, proſcribebant; neque enim ad permulcendos molliter ſenſus, ſed ad eoſdem, ut divinis vacare poſſent, ſublevandos exterior in templis pompa ſpectabat. Clarius iſta percipientur, ubi totam antiquorum Liturgiam ordine enarravero.

CAPUT IV.

Liturgiæ Ordo.

Singulis Dominicis Feſtiſque Sanctorum Martyrum, & jejunio dicatis diebus, denique ſæpius per annum pro diverſa cujuſcunque peculiaris Eccleſiæ conſuetudine divinum ſacrificium offerebatur; [1] votivæ etiam Miſſæ pro publicis, & privatis neceſſitatibus fiebant. [2] Dominicis ac feſtis diebus res divina peragebatur finita Tertia; (*a*) diebus vero jejunii tardius pro eo, ac refectio corporum nunc poſt Nonam, nunc a Veſperis præſcripta erat. [3] Ubi primum hora rei ſacræ deſtinata illuxit, Fidelium multitudo ad ædem principem confluebat, indeque una cum Epiſcopo, & Clero univerſo ad locum, in quo ſtatio illius diei indicta erat, ſe conferebat; hunc enim in modum Epiſcopus Eccleſias omnes ſuæ curæ creditas per ſe ipſe obiens luſtrabat, atque ex hujuſmodi viſitationibus, (*b*) cum collectus in unum corpus omnis populus ordinatim procederet, Proceſſionum ut vocant, ſive ſupplicationum apud Chriſtianos mos, & nomen fluxit. [4] Interea temporis intranre populo, ſinguliſque locum occupantibus, a choro pſalmus aliquis cum Antiphona ſua decantabatur, cui proinde Introitus nomen in Eccleſia inditum hodieque manet. [5] Diaconi & qui his juvandis ſubrogati erant, Subdiaconi videlicet, atque Oſtiarii certum ſingulis, ut quiſque templum ingrediebatur, locum aſſignabant; ut adeo in tanta multitudine confuſionis eſſet omnino nihil. Hoc ordine collocati, ac veluti in ſtationes ſuas diſtributi Fideles,

---

1 Variam Eccleſiarum diſciplinam quod ad Miſſarum celebrationem adtinet, paucis complectitur S. Auguſtinus *ep. ad Januar. Alibi*, inquit, *nullus dies omittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.* Confer Bonam l. 1. *Rer. Liturg.* c. 18. Grancolaſium *T. I. p.* 360. *seqq.* Leslaeum *in Miſſale Mozarabum p.* 305. *ſeq.* T. II.

2 De Miſſis votivis, quæ Alcuinum auctorem habere dicuntur, conſule Grancolaſium T. I. p. 433, & Martenium *de ant. Monach. rit.* l. 2. c. 5. n. 41.

3 Vide Card. Thomaſii opuſcula varia *T. VII. oper. noviſſ. edit. p.* 10, & Grancolaſium *T. I. p.* 658.

4 Confer Mabillonii commentarium *in ordinem Romanum p.* xxxi. ſeqq. Georgium *de Liturg. Rom. Pont. lib.* 3. *cap. I. ad VI.*, & Grancolaſium *T. I. p.* 726.

5 De introitu, quem S. Cæleſtino alii, alii S. Gregorio Magno tribuunt, conſule Bonam *lib.* 2. *c.* 3. §. 1. Salam in eumdem, Thomaſium *diſquiſit. antiquiorum rituum cantuum Miſſæ T. V. oper. p. VI.*, Grancolaſium *T. I. ant. Sacram. p.* 761. *& in antiquis Liturgiis p.* 459, Georgium *de Liturg. R. P. Lib.* 3. *cap.* 7, & Benedictum XIV. *de Sacr. Miſſ. l.* 2. *c.* 3.

(*a*) *Cod. Sacram. Edit. Rom.* 1680.

(*b*) *Ord. Rom.*

les, preces aliquamdiu taciti fundebant: tum Episcopus toto cœtu salutato, clara & elata voce comprecationem illam oratione quadam concludebat, quæ Collectæ nomen ea re sortita est.

Secundum hæc in solio suo Episcopus assidebat, (*a*) quod in extrema, & eminentiori Basilicæ parte, collocatum veluti centrum ac scopus erat, in quem conversi totius multitudinis obtutus collinearent. [1] Hac ratione (*b*) Pastorum quilibet visibilis quædam Dei imago, & ut sacræ paginæ loquuntur, forma gregis suæ erat, perinde ac Christus ipse splendor est, & imago Dei Patris. (*c*) Episcopum Presbyteri ad dexteram, & sinistram medium in orbem, quæ absidis figura erat, ipsi quoque sedentes circumdabant, Diaconis in pedes erectis. Ecclesiæ ista facies paradisi referebat imaginem a S. Joanne in Apocalypsi descriptam. (*d*) Episcopus cum volumine in manu, quo modo Ecclesiæ Patres depingi solent, throno insidens vicem ac personam sustinebat ipsius Dei sub habitu, & specie humana in throno sedentis, librumque manu tenentis intus, & foris scriptum. Porro Presbyteri viginti quatuor Seniorum augustum Senatum repræsentabant; Diaconi cum reliquis Sacrorum ministris Angelos exprimebant, administratorios videlicet Spiritus, ad Dei capessenda jussa perpetuo expeditos. Ante solium Episcopale septem candelabra [2] cum altari posita erant, in quo primum incensa multa, quæ sunt orationes Sanctorum, tum vero Agnus sine macula offerebatur, etsi aliis ac peregrinis speciebus panis propositus. Denique turmæ Fidelium, quibus Basilica tota replebatur, non ineleganter turbam illam magnam referebant, quam dinumerare nemo potest, Beatorum inquam Cœlitum, (*e*) *qui stant ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum: & clamant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno*. Hæc ferme cœtuum in Ecclesiis agi solitorum forma erat.

Ubi quisque certo loco constitit, Lectorum unus aliquis ambone conscenso e Vetere primum, subinde e Novo Testamento partem aliquam recitabat, nimirum ex Actis aut Epistolis Apostolorum; nam Evangelii lectio Sacerdotibus aut Diaconis reservata erat. Quo suavior auditu sacra hæc lectio esset, otiumque & opportunitas daretur tum audientibus, attentius lecta meditandi, tum Lectoribus, a contentione vocis sese colligendi, Psalmorum, Antiphonarum, & festivo vocis Alleluja interposito concentu lectio ipsa condiebatur. [3] Omnes hujusmodi lectiones peragebantur in lingua vulgari, id est, in ea, qua honestiores illius provinciæ homines utebantur. [4] Etsi enim Augustini ætate lingua Punica apud plebejos in Africa homines in usu erat, nullibi tamen legitur, ad Ecclesiasticum officium adhibitam fuisse. Contra vero in Thebaide lectiones sacras Ægyptiaco sermone obitas fuisse necesse est, quandoquidem (*f*) S. Antonius, qui præter hanc linguam nullam aliam cal-

---

1 Præter AA. *cap.* 2. citatos *adnot.* 3. consule de Episcopali solio Bonam *l.* 1. *c.* 20. §. 7. & Salam in eumdem; Eliam Vejelium insuper *de variis OEconomia Sacra generibus, nec non de thronis & cathedris Pontificialibus. Ulma* 1688.

2 Non tamen in ipso altari collocabantur, sed post cantatum *Kyrie* in pavimento presbyterii, & *ante altare*, seu in inferiori gradu, ac parte prope cancellos, quæ populum respicit, collocabantur. Vide Georgium *de Liturg. Rom. Pont. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 11.

3 De his adi præter AA. a Fabricio citatos *Bibliogr. antiq. p.* 376. Bonam *l.* 2. *cap.* 6. *seqq.* Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 26. 27. & 28. Benedictum XIV. *de Sacr. Missa l.* 2. *c.* 5. & 6. Grancolasium *antiq. Liturg. p.* 494. *seqq.*

4 Confer Martenium *l.* 1. *de ant. Eccl. ritib. c.* 3. *art.* 2, & Honoratum a S. Maria T. III. *Animadv. in Art. Crit. l.* 5. *diss. IV. part.* 2. *art.* 1. *seq.* Atque hinc fortassis mos ille dimanavit, quem aliquot sæculis in Ecclesia Romana viguisse novimus (vide Georgium *lib.* 3. *de Lit. Rom. Pont. cap.* 16. *nu.* 5.) epistolam, & Evangelium Græce & Latine canendi.

(*a*) 2. *Petr.* 5. *v.* 3.
(*b*) 1. *Cor.* 11. *v.* 1.
(*c*) *ad Tit.* 2. *v.* 7.
(*d*) *Apoc.* 4.
(*e*) *Apoc.* 7. *v.* 9. *&c.*
(*f*) *Vid. S. Ant. c.* 1.

callebat, audita Evangelii lectione ad Deum conversus fuit. In Syria superiore Episcoporum pauci admodum Græce docti erant, (*a*) nec alio, quam Syriaco, sermone ipsi utebantur, id quod ex Conciliis, quibus interfuere, comprobatur, ubi interprete indigebant.

CAPUT V.

Conciones.

LEctionem sacram concio excipiebat. [1] Antistes Evangelium aut aliam Divinæ Scripturæ partem explanabat, ex qua librum persæpe integrum a capite ad calcem sumebat exponendum; argumenta quidem certe talia inde seligebat, quæ plus in vulgus utilitatis, & momenti haberent; exempla hujusmodi expositionum continuarum in homiliis bene multis Chrysostomi, & in Tractatibus S. Augustini in Psalmos, in Joannem, & Epistolas Paulinas occurrunt. Selectiora vero e libris sacris decerpta argumenta in operibus Divi Ambrosii sese offerunt, qui Sanctum Basilium imitatus, primum quidem de opere sex dierum, tum vero de Noemi, Abrahæ aliorumque in sacra historia sanctitate insignium Virorum rebus gestis tractat. Dissertationes istæ Patrum, & Commentarii in sacras literas maxima ex parte, nihil aliud fere sunt, quam conciones vel ab ipsis Patribus subinde litteris mandatæ, vel ab aliis, qui concionibus intererant, notis compendiariis, de quibus supra egi, calamo exceptæ. Nimirum non erant Patres illi de genere male feriatorum sophistarum aut declamatorum, qui prava contradicendi mutuo æmulatione, aut alios superandi studio incensi, (*b*) nunc in scholis publice disputabant, nunc ad eruditionis suæ præstantisque ingenii ostentationem in Musæis abditi, volumina per otium conscribebant. Sed Pastores animarum erant infinitis negotiis distenti, quæ proximi charitas exigebat, maxime vero subditorum componendis litibus occupati; (*c*) qui tamen non omittebant quam frequentissime ad populum verba facere, ut muneris sui partem illam explerent, quam ministerio suo maxime omnium propriam esse ac necessariam judicabant. Etenim sub prima Ecclesiæ sæcula Episcopi omnes, extraque illos ferme nulli concionabantur. In Oriente primo acciri ad habendas conciones nonnulli ex Presbyteris cœperunt, qui ad id genus functionis singularibus naturæ, & gratiæ præsidiis instructi erant, qualem S. Joannem Chrysostomum fuisse constat; in Occidente vero inter primos, qui ex ordine Presbyterorum ad populum de suggestu agerent, S. Augustinus fuit.

Atque hæc causa est, cur nostri ævi concionatoribus Patrum sermones usque adeo alieni videantur ab idea & methodo concionandi, quam sibi hac ætate sequendam proposuerunt. Sunt illi nimirum plano simplicique stylo conscripti, in quibus neque artificium, neque partitiones oratorias deprehendas: absunt subtiliores ratiocinationes, absunt curiosarum pigmenta eruditionum: sine motu vehementiore affectuum nonnulli, plerique autem oppido breves sunt. Fateor equidem, non id spectasse sanctos illos Episcopos, ut clari perfectique oratores aut concionatores haberentur; sed illud spectabant unice, ut familiariter cum suis, quemadmodum magistri cum discipulis, cum liberis patres, agerent. Eandem ob causam exhortationes ipsorum homilias græce, latine sermones nominamus, id est, familiaria colloquia. Docere populum cupiebant exponendo Scripturas

1 Concio nunc epistolæ, nunc Evangelii Lectionem excipiebat; interdum etiam Symboli cantum, de quo præter Bonam & Martenium confer Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 530, Mabillonium *Comment. in Ord. Rom. p. XLII. seq.*, Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 20, Madrisium *ad S. Paullinum Aquilejensem diss.* 5. Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l.* 2. *c.* 6., *P. de Rubeis de Sacr. Forojul. ritib. c.* 6.

Ad Concionum ritus quod adtinet, uberem dabimus suo loco de illis dissertationem. Interea consule Ferrarii de hoc argumento libros tres, Hildebrandi exercitationem, Fabricii *Bibliographiam antiquariam p.* 377, Grancolasium *Antiq. Liturg. p.* 524, Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l.* 2. *c.* 6, Georgium *de Liturg. Rom. Pont. l.* 3. *c.* 19.

(*a*) *Conc. Eph. Conc. Chalced. Act.* 10.

(*b*) *v. Aug. de opere Monach. c.* 29. *& Ep. ad Dios.*

(*c*) *vid. Synes. Ep.* 57.

pturas Sacras, non per criticas curiosasque rerum indagationes ac quæstiunculas, uti Homerum, & Virgilium Grammatici in scholis explicabant, sed per traditiones Patrum antiquas, ut tam fidem stabilirent, quam morum efficerent emendationem. Commovere quidem, & flectere Auditorum animos studebant; hoc ipsum vero non tam eloquentiæ vi, adhibitaque in declamando contentione, quam veritatum, quas proponebant, magnitudine, proprii muneris majestate, vitæ totius sanctimonia, promptaque in omnes charitate consequi allaborabant.

Dicendi genus Auditorum captui accommodatum erat. Inter omnia Augustini opera ipsius ad populum sermones omnium simplicissimi humillimique sunt, atque adeo breviore facilioreque stylo, quam ejusdem Epistolæ, conscripti; hos enim sermones in oppido angusto atque obscuro ad institores, ad rusticam nauticamque turbam habuit. Cæterum idem S. Doctor in Polemicis libris, iis præsertim, quos contra Julianum edidit, luculenter demonstrat, nequaquam se Rhetoricæ artis, quam olim publice ac longo tempore docuerat, oblitum fuisse. Contra vero Sanctorum Cypriani, Ambrosii & Leonis conciones, utpote in civitatibus peramplis habitæ, longe elegantiores atque ad regulas oratorias magis exactæ sunt; diverso tamen stylo exaratæ, pro cujusque Patrum privata indole, temporumque, in quæ quisque inciderat, varia consuetudine. Neque enim rerum piarum, quæ a Patribus tractabantur, argumentis adscribi possunt, quæ humaniorum litterarum periti in voluminibus Patrum censorio stylo configunt, cum modo latini sermonis puritatem in iis desiderant, modo probationum haud satis firma momenta, & exornationum juveniles flosculos, allegorias inquam longius accersitas, verborum argutias, & locutionum ac vocum veluti rhythmicos concentus reprehendunt. Temporum ista non personarum aut materiarum vitia erant, nec dubium est, quin Patres, si Ciceronis aut Terentii ætate viverent, cum Cicerone etiam, & Terentio locuti fuissent.

Minor est Patrum Græcorum ab antiquis optimisque suæ nationis Scriptoribus in stylo differentia; minus enim Orientis lingua mutationi, & corruptelæ obnoxia fuit, studiis litterarum in ea orbis parte majori cura diligentiaque conservatis. Patrum istorum opera maximam partem solide conscripta, lectuque in paucis amœna sunt. Chrysostomus ante alios omnes concionatoris omnibus numeris absoluti exemplum mihi semper visus fuit. Is homilias suas orditur ab expositione Divinæ Scripturæ, dilucidando versus alios ex aliis, eo ordine ac numero, quo prius a Lectore fuerant recitati, in iisque explicandis sensum investigat maxime genuinum, & formandis moribus aptiorem; ad extremum Perorationis loco adhortationem subnectit moralem, quæ sæpe non tam argumento præmissæ expositionis, quam Auditorum præsenti necessitati convenit, quippe quam vigilantissimus juxta, & sapientissimus Pastor probe perspectam habebat. Illud etiam in ejusdem sermonibus animadvertas, vitia ipsum speciatim insectari, & ut ita dicam, singulari cum unoquoque illorum congredi certamine, nec ante finem facere unum aliquod oppugnandi, quam illud vel plane exterminatum, vel certe potissima ex parte compressum ac domitum videret. Digna sancto viro sententia est, quam is in homilia sexta in 1. Ep. ad Timotheum pronunciavit; postquam enim maledicendi, & conviciandi pravam consuetudinem graviter in ea reprehenderat, ita demum concludit: *Millies jam hujusmodi monita dedimus, neque ea repetere unquam desistemus, modo aliquis profectus eveniat*: & post pauca: *nunquam eadem vobis repetere desinemus, donec penitus insinuentur cordibus vestris, atque in opus erumpant.*

Sancti isti, & Apostolici Prædicatores, quos ad dicendum nec propriæ laudis nec privatæ utilitatis cupiditas, sed divinæ gloriæ, & animarum lucra exstimulabant, id unum propositum habebant, eo ingenii, & eloquentiæ nervos contendebant omnes, ut animas ad Creatorem suum adducerent, neque incredibili suo zelo factum satis putabant, quamdiu ipsis oculis non cernerent animorum commutationem minime dubiam aut vulgarem. Sic D. Augustinum constat negotium sibi sumpsisse, abolendi morem celebrandorum conviviorum, quo

die

die Martyrum anniversaria agebatur memoria, propterea quod ejusmodi convivia in commessationes denique, & intemperantiam abirent; morem hunc quantumvis inveteratum S. Doctor abrogavit, proponendo luculentas Divinæ Scripturæ sententias, gulæ vitia damnantes, duosque continuos dies etiam cum lacrymis populum cohortando, donec demum Auditorum videret expugnatos animos. Non erat tunc temporis metuendum, ne eadem in Ecclesia pugnantes inter se doctrinæ traderentur; neque enim præter Episcopum alius sive Concionator sive Doctor erat, nisi forte Sacerdos aliquis ab Episcopo delectus, qui jubente ipso atque ut plurimum præsente ex superiore loco verba faceret.

Concionis tempore omnibus ac singulis, quamvis Ethnici essent, aditus ad templum patebat; atque hinc erat illa Patrum in occultandis fidei arcanis dogmatibus circumspectio, ut de illis aut nihil admodum, aut subobscure tantum loquerentur. Eadem causa fuit, cur sermonem non raro Patres instituerent, qui ad Paganos ab errore ad sanam fidem adducendos spectaret, cujusmodi sermones inter opera ipsorum multi extant. (*a*) Quo tempore lectio sacra instructioque habebatur, Auditores ordine considebant, viris unum latus, alterum fœminis occupantibus, utque magis istæ ab illis remotæ essent, porticus templi, siquidem tales Ecclesia haberet, conscendebant. Principem in sedendo locum provectioris ætatis homines obtinebant; Parentes ante se tenebant liberos suos, nam hunc quoque tenellum gregem ad Ecclesiam admittebant, dummodo Baptismo initiatus esset; juniores natu, ubi scamna & sedes occupata jam erant, pedibus innitebantur. Diaconorum erat perpetuo invigilare, ut ordo hujusmodi diligenter observaretur, item cavere, (*b*) ne quis strepitus excitaretur, ne dormitare quidam inciperent, aut vicino arridere levius, aut in aurem inutilia insusurrare, aliterve oculis, & digitis annuere auderent; verbo, ut omnia modeste, & in silentio fierent, Diaconi curabant. In Africanis Ecclesiis populus omnis in pedes erectus instructiones publicas excipiebat, quemadmodum (*c*) S. Augustinus author est, qui tamen consuetudinem sedendi in Ecclesiis, quas ipse transmarinas vocat, receptam commendat.

Ut dicendi finis est factus, facessere ex Ecclesia jubebantur, quibus assistere sacrificio non licebat, *Audientes* [1] inprimis, & Gentiles. Subinde orationibus pro Catechumenis recitatis isti quoque, simili modo Energumeni precibus antea Deo commendati, templo exire jubebantur; idem *Competentibus* [2] ac denique Pœnitentibus fiebat. [3] Hunc in modum perpurgato (*d*) Fidelium cœtu, ac veluti zizaniis liberato tritico, preces ordine fundi cœperunt pro universa Ecclesia, pro singulis Clericorum, & populi gradibus, pro omnis generis afflictis hominibus, denique pro inimicis, & persecutoribus. Diaconus pro quonam orandum esset, prius admonebat populum, tum Episcopus orationem recitabat eo plane modo, qui hodiedum in die Parasceves solemnis est. Nam in aliis per annum Missæ Sacrificiis preces illæ nostro ævo supplentur

1 *Audientes:* isto nomine generatim interdum accipiebantur Energumeni pœnitentes, & qui jam catechesi prævia instructi Baptismum expetebant; siquidem omnibus istis audire Verbum Dei permissum erat. Alias vero, & hoc maxime loco per *Audientes* intelliguntur ii, qui in peccatis hæreant impœnitentes, quos Auctor Ecclesiasticæ Hierarchiæ Cap. de Communione, impurissimum genus Energumenorum vocat, utpote qui a vitæ pristina dilapsi sanctitate, mores & studia Dæmonum induerunt; quos proinde, etsi olim baptizatos, ante Catechumenos, & Energumenos, quorum videlicet corpora solum obsidebat dæmon, templo ejici a Diacono, moris erat, neque ad ullam rem divinam admitti, præterquam ad audiendarum Sacrarum explanationem, quo tandem converterentur.

2 *Competentes*, alio nomine φωτιζόμενοι, hoc est *illuminati* appellabantur; eo quod fidei doctrina jam satis eruditi baptismi gratiam simul expetebant, quemadmodum ex S. Augustino B. Isidorus vocem hanc explicat. L. 2. de Eccl. officiis Cap. 21.

3 Vide Bonam, Georgium *l. 3. de Lit. Rom. Pont. c. 19. n. 24. seq.*, Leslæum *ad Miss. Mozarab. T. 2. p. 506.*, Martenium, aliosque passim Liturgicos Scriptores.

(*a*) *Const. Apost. l. 2. c. 17.*

(*b*) *Constit. Apost. l. 8. c. 11.*

(*c*) *Aug. de Catech. Rud. c. 13.*

(*d*) *Const. Apost. l. 8. c. 6. &c. & Laodic. c. 19.*

tur orationibus ante, & post concionem usitatis. Secundum ista Episcopus altera vice salutem, & pacem omnibus impertiebatur, populo respondente: *Et cum Spiritu tuo*. (a) Tum Diaconus elata voce exclamabat: *Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi. Osculamini vos mutuo osculo sancto.* [1] Nec mora: ut quisque alteri vicinus erat, in signum perfectæ charitatis, qua præsentes inter se jungebantur, osculum pacis eidem dabat, rursumque ab eo accipiebat: Clerici quidem separatim, inter Laicos autem viri viris, & fœminis fœminæ, [2] singuli singulis in suo ordine ac sexu publicam hanc pacis, & concordiæ significationem mutuo sibi impendebant.

CAPUT VI.

Sacrificium, & Sacrificantium Vestes.

PRæmissis omnibus, quas hactenus exposui, dispositionibus, sacrificium denique initium sumpsit. Diaconi a Subdiaconis adjuti mappam unam supra altare, alteram supra abacum explicabant, altari vicinum, quem vulgo credentiam ex Italico idiomate nominamus; [3] iidem vasa omnia sacra præparabant, interque illa patenas præcipue, & calices, quæ omnia, ut mundiora conservarentur, velo superimposito cooperiebant. Rebus ita ordinatis Episcopus altari appropinquabat *splendidam vestem indutus*, (b) uti loquitur Author Constitutionum Apostolicarum, quæ res argumento est, jam tum temporis peculiares habitus ad altaris obeunda ministeria in usu fuisse; etsi figura a profanis indumentis nihil differrent. (c) *Casula* enim ætate Augustini vestimentum erat vulgare, & passim apud Laicos usitatum. *Dalmatica* inde a temporibus Valeriani Imperatoris adhibebatur; *Stola* nihil aliud erat, quam pallium talare ipsis adeo fœminis familiare, hanc Stolam nos cum Orario confundere cœpimus; erat autem (d) *Orarium*, quo nomine Stola Sacerdotalis exprimenda esset, fascia quædam linea, urbanitatis causa ab hominibus decori ante alios studiosis gestari solita ad sudorem a collo vultuque detergendum. Denique *Manipulus* aliud non erat, quam linteum sive mantile brachio injectum, quo sic majore cum munditia sacræ mensæ inserviretur. *Alba* etiam, id est, tunica ex lino vel lana candidi coloris, initio quidem Clericorum non erat proprius habitus, sed aliis etiam communis; (e) nam Vopisco Authore Aurelianus Imperator donavit populo Romano *tunicas albas manicatas* uti, & Oraria, quibus narium pituita exciperetur. (f) Sicuti autem, ex quo Clerici Albam ejusmodi perpetuo gestandi consuetudinem invexerunt, Sacerdotibus commendatum fuit, ut aliam ipsi consimilem vestem in promptu haberent, eaque, ut nimirum candidior servaretur, nonnisi ad ministerium altaris uterentur, ita credere juvat, eosdem, cum Casula, & Dalmatica nunquam non induerentur, alias præterea ejusdem formæ vestes habuisse, (g) uni sacrificio rite peragendo destinatas, quæ tamen, & materia, & coloris splendore aliis id genus in populo usitatis vestibus essent superiores. [4] Illud ante omnia sacri Canones

---

1 De osculo pacis dixi tomo superiore. Vide etiam Cotelerium *not. ad l. 2. Constit. Apost. c. 57.*

2 Nempe separatum in Ecclesiis locum viri habebant a feminis. Vide Grancolatium *T. 1. ant. Sacram. p. 19. seq.*, & Cotelerium *not. ad l. 2. Constit. Apost. c. 57.*

3 Græci non abacho utuntur, sed duabus ædiculis, seu aris parvis ad utrumque principis altaris latus constitutis. Abachi quoque nullus olim apud Latinos usus, ut ostendit Thiersius *Diss. de principibus Ecclesiarum altaribus cap. ult.*

4 De vestibus Sacerdotalibus adi præter Bonam, Martenium, Georgium, Grancolasium *T. 1. Ant. Sacram. Eccles. p. 132. seqq.* Bulengerum *l. 1. de Pontif. Episc. & Sacerd. Christi cultu, & vestitu*, Benedictum XIV. *de Sacr. Miss. l. 1. c. 7. seqq.* & Fabric. *Bibliogr. antiq. p. 562.*

(a) *Cypria. Apolog. l. cit. c. 11. & 12.*

(b) *Lib. 8. c. 12.*

(c) *August. de civ. Dei l. 22. c. 8.*

(d) *Thomass. discip. p. 1. l. 2. c. 34.*

(e) *Vopisc. in Aurel.*

(f) *Hom. Leon. Pap. IV. tom. 8. conc. p. 34.*

(g) *Conc. Brac. 4. cap. 3. An. 675.*

nes Presbyteris ac Diaconis commendatum volebant, ne quis eorum ministrare, aut operari sacris absque Orario auderet, (a) cujus tamen usu inferioris ordinis Clericis interdictum erat.

Id nimirum Ecclesia spectabat, ut sacrorum ministri exteriore etiam corporis cultu habituque præclaram Laicis honestissimamque opinionem functionum suarum imprimerent; ut oris, manuum ac vestimentorum nitor veluti radii quidam essent sublucentis ex animo internæ puritatis, & innocentiæ; ut denique Clerici omnes modestia sua, gravitate & in sermone, incessu atque obtutu moderatione reverentiam, & pietatem in plebe conciliarent. Profecto in exterioribus hisce exigendis tanta erat, tamque delicata Episcoporum vigilantia, ut S. Ambrosius certum hominem, etsi cæteroquin a sedulis officiis commendatum, inter Clericos cooptare noluerit ea solum causa, quod *gestus ejus nimium dedeceret*. Alterum quoque cum in Clero jam reperisset, nunquam in sacris assistere sibi ac ministrare passus est, eoquod *insolentiore incessu oculos feriret*. Et comprobavit sane eventus, non fefellisse S. Præsulem sententiam suam; nam ut ipsemet eodem loco narrat, uterque illorum ab Ecclesia recessit. Meminerint, qui ista legunt, Patres istos partim Græcos partim Romanos fuisse in summa morum elegantia educatos, scitæque urbanitatis sapientissimis præceptis a puero imbutos.

Episcopus ubi ad aram venit, (b) ex manibus Diaconorum oblationes, quas isti viritim collegerant, excipiebat. [1] In aliquibus tamen Ecclesiis usu receptum erat, ut Episcopus ipsemet a personis spectatioribus oblationes hujusmodi acciperet, tales (c) Romæ erant senatorii ordinis utriusque sexus homines. Nam Christiani ad unum omnes, summi infimique, Magistratus, atque adeo Principes ipsi divino officio intererant. Nihil altari, præter panem, & vinum, sacrificii videlicet materiam, imponebatur; cæteram sive annonam sive supellectilem sacram, ac denique quidquid ad Ecclesiarum usus a Fidelibus offerebatur, Diaconi in separatis armariis asservabant. Primitiæ tamen frugum altari imponebantur, sub finem Sacrificii benedicendæ.

Ad conficiendam Eucharistiam panis alius non adhibebatur, quam qui a Fidelibus oblatus, & ab Episcopo benedictus esset; [2] ex hoc pane benedicto quidem, at non consecrato nonnihil absentibus mitti solebat, in signum videlicet mutuæ concordiæ, & communionis. [3] Volebant Pastores ut Christiani, quotquot aderant, vel certe ii omnes, qui communicaturi erant, nemine excepto oblationem suam facerent; nimisque indignum videbatur, velle divites de pauperum oblationibus communionem suam accipere. Ipse etiam Episcopus pro se panem offerebat, eratque Romæ Subdiaconus, qui hanc ob rem (d) *Oblationarius* dictus fuit. [4] Itaque panum oblatorum tanta vis erat, ut merito in nonnullis Ecclesiæ Collectis sive orationibus altaria muneribus cumulata dicantur. Corporale autem, ut vocant, oblonga mappa erat, a duobus Subdiaconis ad altaris utrumque latus protensa. [5] Archidiaconi erat, altare veluti sacram mensam recte com-

1 Confer de Oblationibus Bonam, Georgium *lib. 3. c. 22.*, Leslæum *ad Missale Mozarab. p. 508. seq.*, cum primis vero eruditissimum P. Berlendis Theatini *de oblationibus* commentarium. Adde & Grancolasium *Antiq. Liturg. p. 537.*

2 Panis hic fermentatus erat apud Græcos; azymus apud latinos. Utrum autem in Ecclesia latina perpetuus fuerit azymi panis usus, gravis controversia est; de qua confer Sirmondum, Mabillonium, Bonam cum Salæ animadversionibus, aliosque citatos cum a Fabricio *Bibliogr. ant. p. 401. seq.*, tum a Jo: Gottfr. Hermanno in *historia concertationum de pane azymo, & fermentato in Cœna Domini*, *Lipsiæ* 1737.

3 *Eulogia* dicebantur, de quibus vide Bonam *l. 1. Rer. Lit. c. 23. §. 12. & l. 2. c. 19. §. 7.*, Grancolasium *Ant. Liturg. p. 575.*, Berlendis *de oblationibus p. 32. seqq.*, Leslæum *ad Miss. Mozarab. p. 538.*

4 Etiam *Diaconi oblationarii* mentio Sæculo X. occurrit. Vide Georgium *T. 2. Liturg. Rom. Pont. Diss. 1. c. 3. n. 10.*

5 Confer Thiersium *Diss. de principibus Ecclesiæ Altaribus cap. XXI.*

(a) *Conc. Laod. c. 22. 23.*

(b) *Ord. Rom.*

(c) *Can. Apost. 3. 4.*

(d) *Ordo Roman. Orat. secret. in Nativ. S. Joan.*

componere, panibus ordine collocatis, caliceque apposito, in quo vinum rite consecrandum erat; quoque certius constaret, purum ac defæcatum illud vinum esse, argenteo in vase cribri adinstar terebrato, percolabatur.

Pane, & vino rite oblatis, Episcopus incensum [1] quoque offerebat, symbolum videlicet orationum, quas Fideles fundebant, id quod in (*a*) Apocalypsi expressum legimus, ubi Angelum videre est, aureo thuribulo instructum, hoc genus sacrorum aromatum Divinæ Majestati adolere. Incensabantur tunc, quemadmodum hodiedum fieri solet, altare, oblata, Clerici, ac denique populus. Cæterum incensa tum temporis adhiberi solita, non qualiacunque erant, sed ex pretiosissimis, quæ per ea tempora haberi poterant, aromatis confecta, & quidem tanto sumptu atque magnificentia, ut Romana Ecclesia, & in Syria, & in aliis Orientalibus provinciis certos fundos possideret, qui nonnisi ad suppeditandos aromatum annuos proventus destinati erant. Offertorii durante tempore psalmus aliquis decantabatur, ex quo præter versiculum unum, qui psalmi illius antiphona esset, nihil aliud ad nos pervenit. [2]

CAPUT VII.

Consecratio, & Communio.

Offertorio finito Ecclesiæ fores claudebantur, tantaque cura a Diaconis aut ab Ostiariis intra Ecclesiam excubantibus clausæ tenebantur, ut ne (*b*) Fidelibus quidem, siqui serius adventarent, nisi post sacram Communionem aperirentur. [3] Alii ex Diaconis templum ipsum leni ac suspenso gradu obeuntes cavebant, ne quis minimo etiam seu strepitu seu gestu publicam pietatem interpellaret. Erat etiam inter ipsos, qui deditam operam puerorum gregi proxime Episcopale solium consistenti advigilaret; porro matres admonebantur, ut infantes suos in brachia sublatos apud sese tenerent. Hunc in modum tranquilla, & altum conticescens Fidelium multitudo non sine sacro quodam plenoque reverentiæ, & religionis horrore audiebat Præfationem, [4] & huic subnexam *Actionem*, quam nos *Canonem* [5] appellamus; Episcopus enim preces illas elata voce recitabat, [6] populo ad eas, quemadmodum ad cæteras omnes respondente: *Amen*. [7] (*c*) Admodum prolixæ illæ orationes erant, & hodiedum sunt in pluribus Orientalibus Ecclesiis; ex quibus Ecclesia Romana illas retinuit, quæ Sacrificio maxime propriæ atque essentiales sunt. In aliquibus adjungebatur brevis narratio præcipuorum capitum, ad historiam Religionis universam pertinentium, ut nimirum grates Deo agerentur de universi creatione, de mundi post diluvium instauratione, de vocatione Abrahæ, de beneficiis in populum Israeliticum collatis, de Incarnatione demum Verbi Divini, & humani generis per ipsum reparatione.

Secundum Consecrationem Episcopus (*d*) pro se primum divinam Synaxin sumebat, tum eam Presbyteris, Diaconis & reliquo Clero ex ordine impertiebatur; hos proxime

1 Vide Georgium in Indicibus *Liturgia Rom. Pont.* V. *thuribulum*, *thurificatio &c.*, Bonam *l.* 1. *Rer. lit* *c.* 25. Grancolatium *Antiq. Liturg. p.* 581., Leslæum *ad Miss. Mozarab p.* 535.

2 Quod si populi Oblatio brevior esset, bis saltem cantabatur a choro Offertorium versu interposito. Thomasius *T. V. p. XXX.*

3 Vide Berlendis *de oblationibus p.* 103.

4 Hanc Gotho-Hispani *inlationem*, *contestationem*, aut *immolationem Missa* appellant. Vide Georgium *de Lit. Rom. Pontif.* T. III. *Diss.* 2., & Leslæum ad Missale Mozarabum p. 531. ut Bonam omittam, & Mabillonium.

5 De Canone, de quo Liturgici omnes Scriptores, exstat Georgii singularis dissertatio, quæ tertia est tertii *de Liturg. Rom. Pont.* voluminis.

6 Vide Bonam *l.* 2. *c.* 13. §. 1., & Salam ad eumdem *p.* 278. seq.

7 De vocula *Amen* nonnulla superiore volumine adnotata sunt. Consule etiam Bonam *l.* 2. *c.* 5. 7. 13., & 17., & Grancolasium *Ant. Liturg. p.* 593.

(*a*) *Apoc.* 8. *v.* 3. *&c.*

(*b*) *Constit. Apost. l.* 8. *c.* 11.

(*c*) *Constit. Apost.* 8. *c.* 12.

(*d*) *Ibid. c.* 13.

me consequebantur Ascetæ aut Monasticæ vitæ cultores; subinde Diaconissæ, Virgines aliæque religiosæ fœminæ, pueri ac demum universus populus Sacris communicabant. [1] Ad temporis faciendum compendium in functione cæteroquin satis diuturna Presbyteri complures simul, & semel divinam Eucharistiam distribuebant, & Diaconi itidem complures sacrum Calicem præbebant libandum. Utrique ad evitandam in tanta multitudine confusionem sacram Communionem Laicis eodem ordine dabant, quo prius ab ipsis Oblationes collegerant, ut adeo neminem loco se commovere necesse esset. Viri sacram hostiam suismet manibus, fœminæ linteolis ad id destinatis illam excipiebant; quod ex sacris speciebus superabat, parvulis distribuebatur; quiqui vero non communicarant, iis reliquiæ panis benedicti, qui tamen consecratus non esset, dabantur, indeque panis benedictus originem sumpsit. (*a*) Durante sacra Communione Psalmus cantabatur, ex quo sola ad posteros Antiphona pervenit. Jam a quarto Christi sæculo infrequentior esse cœpit Eucharistiæ usus; & Sanctus Chrysostomus de multis conqueritur, qui sacris ita assistebant, ut sacrorum per Communionem participes non fierent. [2] Cæterum nono sæculo satis habuere Ecclesiæ Antistites, ut quatuor saltem per annum vicibus, nimirum festo Nativitatis Christi, Die Jovis sancto, & in solemnitate Paschatis atque Pentecostes divinæ mensæ Christiani accumberent. [3] Ex quibus omnibus pronum est conficere, bene longum fuisse Liturgiæ ordinem. Enimvero Christiani illorum temporum existimabant, aliud se Dominicis diebus non habere negotium, quam ut Deo rite famularentur. (*b*) Divus Gregorius probaturus, quam afflicta valetudine uteretur, in una Epistolarum suarum asserit ægre se tres horas continuas pedibus posse insistere, quo Divino Officio intersit. Nihilominus Canon Missæ idem prorsus tum temporis fuit, qui modo est, & sermones de eo non adeo prolixi inveniuntur.

CAPUT VIII.

Cantus Ecclesiasticus, & Magnificentia Divini officii.

TOtum officium Divinum cum cantu nunquam non peragebatur; de hoc sub prima jam Ecclesiæ tempora mentio fit; sed tamen credere fas est, progressu temporis, cum solutiora omnia habere inciperet Ecclesia in libertatem asserta, sacræ Psalmodiæ consuetudinem multo magis invaluisse; hanc in Occidentem a S. Ambrosio, Ecclesiarum Orientalium imitatione, introductam fuisse, (*c*) S. Augustinus commemorat; & in libro Pontificali legimus, sub idem tempus morem hunc a S. Damaso Papa præscriptum fuisse. [4] Jam vero cum antiquæ musicæ peritia, & ars per ea tempora floreret, in qua pro diversitate argumentorum diversa item cantus genera adhibebantur, (*d*) nunc leniora, nunc magis concitata, nunc læta, nunc tristia, alias ad gravitatem, alias ad dissolutionem animique leviores atque immoderatos affectus excitandos apposita; merito existimandum est, illud symphoniæ genus a Patribus ad Ecclesiasticum usum traductum fuisse, quod Majestati, & Sanctitati nostræ Religionis quam maxime congruebat, diligenterque ipsos providisse, ne qua

---

1 Vide Grancolasium *Ant. Lit. p.* 692. Mabillonium *Comm. in Ord. Rom.* §. VIII. & IX, Georgium *de Lit. Rom. Pont. lib.* 4. *c.* 17. *seqq.*

2 Confer Grancolasium *T.* 1. *Ant. Sacram. Eccles. p.* 294. *seqq.* & Martenium *l.* 1. *de ant. Eccles. ritib. c.* 4. *art.* 10.

3 Ratherius Veronensis quatuor hos dies Communionis recenset in *epist. Synodica ad Presbyteros* a Dacherio edita, & Leo IV. *in homil. de Cura Pastorali.* Plerique ter in anno Communionem præscribunt cum Concilio Agathensi, cujus hic est Canon 18. *Seculares, qui Natale Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* In Anglia teste Beda in *epist. ad Egbertum, nonnisi in Natali Domini. & Epiphania, & Pascha* Fideles communicabant. Consule Martenium l. 1. & Grancolasium *T.* 1. *p.* 294. *seqq.*

4 Plura de cantu Ecclesiastico dabimus in Dissertationibus. Confer interea Martenium *de ant. Monach. ritib. l.* 1. *c.* 2. *n.* 41. *seqq.* Bonam *de div. Psalm.*, ac Thomasium *Praf.* ad *Responsorialia*, & *Antiphonaria Eccl. Rom. T. IV. operum.*

(*a*) *Ordo Rom.* (*b*) *L.* 8. *Ep.* 35. (*c*) *Aug. l.* 9. *Conf. c.* 7. (*d*) *Platon.* 3. *de Republ.*

qua ad Dei laudes, & divina mysteria celebranda modulatio adhiberetur, quæ effœminato molliqueſono plus justo demulcere animos, & pectora pravis affectionibus pertentare posset. (*a*) Non negaverim tamen, Sanctum Augustinum nescio quid nimis tenerum, & suave in cantu Occidentalium Ecclesiarum notasse, eamque ob rem tutiorem, magisque ad pietatem idoneum duxisse morem, a S. Athanasio invectum, qui psalmos a lectore proferri curabat tam modica vocis inflexione, ut recitare magis illos, quam cantare videretur. Dijudicent Musices periti, num aliquod vestigium antiqui illius concentus in Chorali, ut dicimus, seu pleno cantu, qui nostro ævo in usu est, deprehendant; nam, quæ vulgo figuralis musica a nobis appellatur, nimis quam certum est, eam & a vetere plurimum distare, & novitium plane inventum esse. Denique quod attinet, ad modum cantandi orationes, & lectiones, facile quivis perspiciet, paucissimis illum tonis contineri, eo maxime fine adhiberi solitis, ut pronunciantis vox firmior sustineatur, & periodorum insuper notetur diversitas.

Satis, opinor, quæ hucusque in medium allata sunt, perspicuum reddunt, Sanctissimos illos primorum sæculorum Episcopos admirabili judicio, & sapientia in mores Ecclesiæ invexisse, quidquid intelligerent ad excitandos Fidelium sensus aptum esse, ut hac veluti via in animos hominum quamtumvis incultos, & rudes præclara de religione sensa introducerent. Age enim ob oculos tibi pone Fideles Romæ olim in Ecclesia Lateranensi congregatos ad celebrandum pervigilium Paschatis, quo tempore Sanctus Leo Papa Ecclesiæ præfuit; quid, amabo te, in illa sacratissima nocte non usquequaque splendidum, quid ad conciliandam devotionem non accommodum videas? Post novi ignis benedictionem continuo cereorum, & lampadum numerus innumerabilis ita resplendebat, ut nox illa cum die quamlibet sereno certaret; discussis momento tenebris, tanquam summoto sipario, locus ille augustissimus magnifici adinstar theatri sese offerebat: omnia marmore, & picturis collucebant: aderat Fidelium infinita propemodum vis, miro silentio pulcherrimoque ordine in certas classes pro ætatis, sexus & sacrorum ordinum varietate discreta. Inter cæteros jucundum oculis piumque spectaculum præbebat Candidatorum baptismi novellus grex, ea ipsa nocte sacro latice tingendus; visebantur præterea, qui Ecclesiasticis pœnis rite perfuncti, biduo ante cum Deo, & Ecclesia in gratiam redierant. Quid dicam de sacræ supellectilis magnifico apparatu? de argenti fulgore ex omni parte renitentis, de luce auri ac gemmarum, quibus sacra vasa, maxime quæ ad altaris ministerium propius spectabant, distinguebantur, ut ista omnia oculos præsentium non tam ad sese convertebant, quam intuentium perstringebant aciem? Adde noctis silentium, non alio sonitu, quam prophetiarum accurata prælectione, & versiculorum interposito cantu interpolatum, quæ ipsæ canendi ac legendi vices novam audientibus voluptatem afferebant? quid inter hæc animus faceret, tam præclaris ac venustis rerum imaginibus blande perstrictus? quam solidum præsentemque fructum percepisse ipsum putamus, tot mediis ad novam attentionem arrectum, qui jam antea sacrarum litterarum assidua commentatione ad excipiendam verbi Dei sementem optime comparatus erat? quantam credimus fuisse Diaconorum ac reliquorum altari ministrantium modestiam, quam decentem hominis exterioris confirmationem, utpote qui omnes a tali tantoque Episcopo selecti, sacrisque Ordinibus initiati, in ipsius atque adeo Dei Optimi Maximi præsentia functiones suas obibant, quem pro sua singulari pietate propemodum oculis aspectabilem habebant? quis vero cogitatione assequatur, quanta ipsius Summi Pontificis majestas fuerit, cui excellens doctrina, mira facundia, zelus divinæ gloriæ, animi magnitudo, omnium denique virtutum decora tantam ubique nominis celebritatem, tantam venerationem conciliabant? quam pleno pietatis ac reverentiæ sen-

(*a*) *L.* 10. *Confess. c.* 33.

ſenſu exiſtimamus Sanctiſſimum Præſulem orationes ſupra ſacrum fontem pronuntiaſſe, quas ipſe compoſuerat, & ſucceſſores ipſius tanti fecere; ut earum exempla per duodecim ſæculorum ſpatia uſque conſervata ad nos pervenerint? Sane mirari tunc tandem deſino; qui fieri potuerit, ut inter eas functiones Chriſtiani corporum ſuorum neceſſitates plane obliviſcerentur, & poſt ſolidæ diei jejunium noctem, quæ feſtum Reſurrectionis præcedebat, in Vigiliis, & precibus exigerent, cura & cogitatione ſumendi cibi in craſtinum penitus rejecta.

CAPUT IX.

Solemnitas Feſtorum, & ſacræ Peregrinationes.

UBi primum magno jejunio [1] ad finem perducto Paſchatis ſolemniſſima dies illuxit, non modo non prohibitum, ſed præſcriptum inſuper a ſanctiſſimis quibuſque Viris erat, ut corpora Fideles curarent ſua. Quantumvis enim opportuna ſint jejunia ad mentem in cœleſtia defigendam, & orationis, cui feſti per annum dies præcipue deſtinati erant, exercitia reddenda expeditiora; cautum tamen erat, ne quis dominicis feſtiſque diebus, neu per totam quinquageſimam jejuniis vacaret. Quinquageſimæ nomine, ſecus ac nos ſolemus, non intelligebantur quinquaginta dies, qui Paſcha proxime præcedunt; ſed totidem alii, qui a Paſchate ad Pentecoſten uſque fluunt. (*a*) Monachi quidem in Ægypto magna cautela utebantur, ne forte modico illo conſuetæ ſeveritatis laxamento privarentur fructu meritorum, longa in cibis abſtinentia prius collecto; iidem tamen diſcrimen aliquod inter utriuſque generis feſtos nimirum, & eſuriales dies faciebant. (*b*) Nam S. Pachomius Divi Palæmonis Magiſtri ſui præcepta ſecutus, in die feſto Paſchatis herbas oleo conditas apparavit, quæ arido pani, familiari alias Anachoretis cibo, interponerentur. (*c*) Alius quidam S. Sacerdos divino admonitu feſto item Paſchatis die prandiolum Sancto Patri Benedicto attulit ſolito lautius; & S. Antonius, ut aliud quoque lætitiæ ſignum ederet, in die Paſchatis, & Pentecoſtes tunicam geſtabat ex palmæ foliis contextam, quam a Divo Paulo Eremitarum Principe hæreditariam acceperat; Sanctus porro Athanaſius pallium humeris circumponebat ab Antonio ſibi relictum. In more nimirum Chriſtiani tum temporis poſitum habebant, & conſtanter obſervabant, (*d*) ut feſtis quibuſque diebus, & veſtibus uterentur magis ſplendidis, & in victu naturæ pluſculum indulgerent. [2]

Suus etiam honos proportione ſervata Martyribus habitus fuit, redeunte quotannis Ipſorum memoria; his enim diebus convivia celebrabantur, quæ, quia in profanam hilaritatem ad extremum degenerabant, ſæculo quarto aboleri neceſſe fuit. Magnus erat populi ad ejuſmodi feſta rite agenda concurſus. Nam cum alias privati quique paſtori ſuo conjuncti dominicos ac feſtos dies omnibus Eccleſiis communes celebrarent; In Martyrum anniverſaria memoria ad pulvinaria Ipſorum frequentes, omnique ex parte Religionis cauſa confluebant, qua opportunitate perſæpe factum eſt, plures ut Epiſcopi uno in loco ſimul convenirent. S. Paulinus, ut ex hoc unico exemplo de cæteris judices, plures quam viginti partim civitates, partim provincias Italiæ recenſet, ex quibus habitatores viri

una

1 Præter AA. citatos *ad cap. VII. part. II. adnot.* 1. de magno Quadrageſimæ jejunio confer Jo: Joachimum Homborgium *de quadrageſima Veterum Chriſtianorum, & ritibus in ea quondam uſitatis, Helmſtadii* 1677. Huc etiam ſpectant Joh. Caſparis Zeuneri *de dominica lætare, Jenæ* 1701, God. Ludovici *de ſeptimana magna, Lipſia* 1692, Joh. Frid. Mayeri *de hebdomade magna*, ejuſdem *de dominica Palmarum, Gryphiſwaldiæ* 1706, diſſertationes.

2 De Pentecoſte, aliiſque Chriſtianorum feſtis diebus præter Thomaſſinum, Bailletum, Gretſerum, Benedictum XIV. conſule AA. citatos a Fabricio *Bibliogr. ant. pag.* 330. *ſeqq.*, & a Gottlob Friderico Gudio in *Bibliotheca diſputationum & obſervationum de ſelectis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus ſpecimine p.* 17. & 196.

(*a*) *Caſſian. collat.* 21. *de Remiſſ. quinq.*

(*b*) *Vit. S. Pachom. c.* 8.

(*c*) *S. Greg. Dialog.* 2. *c.* 1.

(*d*) *S. Leo ſerm.* 3. *de quadrag.*

una cum uxoribus ac liberis suis catervatim singulis annis adventabant, ad festum S. Felicis quarto decimo Januarii celebrandum, nulla frigidissimæ tempestatis habita ratione; atque hoc in unius duntaxat honorem Confessoris in sola civitate Nolana factum fuit. Quid nunc de reliquis Christiani orbis partibus dicemus? quid Romæ in festis Ss. Hippolyti, Laurentii, & Apostolorum? quid Turone in festo S. Martini accidisse existimamus? [1] ad quæ loca etiam ex longe dissitis regionibus, nulloque non per annum tempore Fidelium pietas adibat; ex quo piarum peregrinationum consuetudo nata est. [2]

Et erat sane hoc unum ex præcipuis adminiculis adjuvandæ sensuum externorum opera internæ devotionis. Etenim sacrorum cinerum insignis cujusdam Sancti, sepulchri, ipsius carceris, catenarum ac cæterorum Martyrii instrumentorum conspectus multo vehementius animum commovebat, quam si hujusmodi res ab absentibus sola auditione acciperentur. His accedebant prodigia magno numero ad sepulchra Sanctorum patrata, ad quæ proinde visitanda ipsi adeo infideles vitæ, & sanitatis naturali amore ducebantur. Constat, inter primos libertatis Christianismo donatæ fructus illum extitisse, ut Sancta Helena curam in se ipsa susciperet, loca Hierosolymis, atque in universa Palæstina sanctitate celebria meritis honoribus illustrandi. Ex quo tempore frequentissimæ ad illas partes fuere peregrinationes, nec eæ admodum difficiles, cum propter Imperii Romani summam amplitudinem, situmque percommodum, alluente illud omni ex parte mari Mediterraneo, tum propter vias spatiosissimas, quæ ad militum itinera, & vecturarum atque commerciorum opportunitatem quaquaversus patebant. [3] Neque adeo operosum tunc erat, ex Hispania, Galliave in Ægyptum, in Palæstinam aut in Asiam proficisci.

Honorandi erant Martyres in eo ipso loco, in quo cruciatus, & necem pro Christo perpessi fuerant; nondum enim per ea tempora mos ille invaluerat, dividendi Sanctorum Corporum, & alio transferendi Reliquias. [4] Narrat S. Gregorius Papa, (a) ad suam usque ætatem non alias Apostolorum Reliquias in extera loca missas fuisse, quam linteola sepulchris ipsorum prius applicata; [5] imo nostro etiam ævo Sancti Petri, & primorum Successorum Corpora altissime adhuc recondita jacent. Mira erat cujusque populi in conservandis Sanctorum suorum cineribus religio, & vigilantia; (b) utpote in quibus certum singuli pignus tenebant tutelæ illius Sancti, & singularium de cœlo donorum, quæ in gratiam tam Sancti Depositi quælibet civitas ac provincia sibi promittebat. [6]

Sub idem tempus, quo Ecclesia tranquillitate fruebatur publica, videtur primum accurate ordinatus fuisse anni Ecclesiastici cursus. Celebris illa quæstio, quonam die celebrandum Paschæ festum esset, non ante terminata fuit, quam generalis Nicææ Synodus haberetur; neque ullum ante hoc tempus Oecumenicum coactum fuit Concilium, aut cogi sub Imperatoribus ethnicis tanta Episcoporum frequentia potuit, quantam in Nicæna Synodo videre erat. [7] Religiose tunc servabantur stata per

1 Vide Trombellium *de cultu Sanctorum dissert. VI. a cap. 1. ad XLIII.*

2 De peregrinationibus ad Sanctorum monumenta institutis plures agunt apud Fabricium *Bibliogr. Antiquar. p. 408.*, ut Bellarminus *de cultu Sanctorum lib. 3. c. 8.*, Fronto Ducæus *ad Chrysost. T. 1. pag. 6.*, Baluzius *ad hom. 3. Cæsarii Arelat.*, Gretserus *de religiosis peregrinationibus*. Adde Trombellium, qui omni eruditionis genere idem argumentum pertractavit *de cultu Sanctorum diss. 6. a cap. 44. ad caput 57.*

3 Peregrinationes in Palæstinam susceptas nuperrime vindicavit P. Mamachius *T. 11. Orig. & Ant. Christ. p. 27. seqq.*

4 Nempe hujusmodi mos non adeo frequens erat; at non plane a veteri disciplina alienus, quemadmodum non adversus Protestantes solum, sed etiam contra Fontaninium, aliosque Orthodoxos Scriptores ostendit Trombellius *de cultu Sanctorum diss. VII. a cap. 8. ad 23.*

5 De hoc S. Gregorii loco vide *cit.* Trombellium *cap. 17.*

6 Exempla habes apud Trombellium *diss. cit. cap. 21. & 24.*

7 Vide Natalem Alexandrum *hist. Eccles. Sæc. IV.* Bnerum *in appar. ad Jurisprud. Eccles.* P. Schvvarz *Collegior. historic.* T. II. Danielis nostri dissertationem *de Quartadecimanis*, Clavii Calendarium Romanum, Bettazzii epitomen Operis Paschalis &c.

(a) *Greg. 3. Epist. 30.*

(b) *Prud. Peristeph. passim.*

per annum tempora impertiendi Catechumenis baptismi in Paschate solum, & Pentecoste; (a) id quod ex Epistola Sancti Leonis Papæ perspicere licet, condemnantis Episcoporum Siciliæ consuetudinem, qui die Epiphaniæ festo baptizare non dubitabant; in eadem Epistola S. Pontifex docet, quo spiritu acta Ecclesia Dei varia per annum festa, diversasque anni Ecclesiastici partes instituerit, quo sic diversa vitæ Redemptoris nostri mysteria certo ordine ac modo honorarentur.

Ad eandem Ecclesiæ ætatem referri debent publicæ illæ ceremoniæ, quibus solemnia apud Fideles jejunia celebrabantur. Vacabatur iis diebus ab omnibus negotiis: civitates quantumvis hominibus frequentes solitudinum adinstar pacatæ, & silentes erant: pars diei maxima a congregatis in templo Fidelibus precationi verbique Dei auscultationi dabatur; ex quo factum est, ut Officium Ecclesiasticum in feriis, quibus jejunatur, nunquam non aliorum dierum Officio productius esset. Per illas ferias neque Martyrum solemnes memoriæ, neque nuptialia festa celebrabantur; tenuitque usque ad sæculum Christi nonum consuetudo, diebus jejunio sacratis cessandi ab infesta armorum tractatione, quam cessationem Veteres *Treugam Dei* vocabant; imo ne arma quidem gestare, aut itineri, nisi præsens necessitas id postularet, se dare licebat.

CAPUT X.

Ecclesiasticæ Pœnitentiæ ritus.

Pietatis illa exercitia, de quibus superiore capite actum fuit, fructus quidam erant pœnitentiæ, cui dies jejuniorum dicati erant; atque hæc causa est, cur pœnitentia, siquam forte aliqui promeriti essent, ad quadragesimam differri soleret. Ad hanc rite præparaturi sese Christiani post læta Natalis Christi & Epiphaniæ festa a Septuagesima ducebant exordium; tunc enim, quemadmodum hodieque fit, preces fundere incipiebant ad veniam peccatorum a Deo impetrandam, & ad pœnitentiam peccatores excitabantur, ad hunc unice scopum tam Septuagesimæ quam Sexagesimæ universum Officium dirigitur. Sacra lectio e libro Genesis petita Dei universorum procreatoris potentiam, justitiam & severitatem ob oculos ponit. Videre illic est Adamum paradiso terrestri exturbatum, orbem terrarum propter fœdissimos mores aquis consepultum, quatuor nefarias civitates cœlesti igne consumptas. Qui talibus propositis exemplis, atque Episcoporum insuper incensis cohortationibus commovebantur, ad Episcopum ipsum, aut ad Presbyteros huic ministerio destinatos, conferebant sese, & criminibus suis magno candore animi patefactis, quid ad ea expianda facto opus esset, ex pastoribus animarum suarum discebant. Istorum enim erat dispicere, num, qui se reos ultro fatebantur, ad penitentiam obeundam admitti mererentur, quis item pœnarum modus, quod tempus præscribenda essent; denique an clam aliis, an publice agenda pœnitentia: an e re communi Ecclesiæ foret, pœnitentem peccata sua palam confiteri?

Multi pœnitentiam publice peragebant, quorum tamen peccata in vulgus non constabant; plures etiam propter crimina alioqui atrocia, & nefanda secreto solum pœnitentiam agebant; ut fœminæ propter adulteria maritis ignota, aliique, quorum si evulgarentur patrata facinora, cum periculo capitalis pœnæ conjuncta erant. Cæterum adeo familiaria tum temporis Fidelibus erant jejunia, preces, vigiliæ, cæteræque corporis divexationes, etiam solius pietatis instinctu suscepta, ut nemini valde metuendum esset, ne alii forte, cum pœnitentiam agi a quopiam viderent, in ejus agendæ causam curiosius inquirerent. Pœnitentiæ tempus pro diversa Ecclesiarum consuetudine alias longiori, alias breviori spatio definitum erat, magnaque in Canonibus pœnitentialibus, qui ad nos pervenere, hac in re diversitas deprehenditur; plerumque tamen, ut quisque Canon antiquissimus est, ita maxime severus esse digno-

(a) Epist. 4.

dignoscitur. (*a*) S. Basilius duos annos furto, septem fornicationi, undecim perjurio, quindecim adulterio, homicidio viginti, totam denique vitam apostasiæ expiandæ præscriptos fuisse notavit.

Quibus pœnitentia publica indicta erat, (*b*) ii se Archi-Presbytero aut Presbytero Pœnitentiario sistebant, a quo nomine pœnitentium scripto mandabantur. (*c*) Subinde prima die ineuntis quadragesimæ ad Ecclesiæ portam comparebant pannosi, sordidati vestibusque scissis, qui antiquorum, quamdiu in luctu versarentur, habitus erat. Iidem Ecclesiam ingressi ex manibus Episcopi cinerem, quo caput, & cilicinam vestem, qua corpus tegerent, accipiebant; tum in terram prostrati tamdiu morabantur, quoad ab Episcopo, Clero, populoque universo preces pro iis de genibus persolutæ essent. His finitis Episcopus apposita exhortatione admonebat pœnitentes, ejecturum se ipsos ab Ecclesia esse, quemadmodum Deus ipse e paradiso Adamum propter prævaricationem exegit; caverent nihilominus despondere animum, sed potius ingenti in Dei misericordia collocata fiducia magnoque animo pœnas sibi dictatas accurate subirent. (*d*) Ad extremum etiam extra templum eliminabantur, clausis continuo templi foribus; hoc in statu, qui versabantur pœnitentes, domi fere se tenebant precibus, & suspiriis vacantes. Diebus festis, & stationariis ad Ecclesiam veniebant initio quidem ante fores, deinde intra ipsam Ecclesiam consistentes, ut lectionibus sacris, & exhortationibus interessent; quibus absolutis ante preces sacrificio præmissas exeundum erat; progressu temporis ad orationem cum cæteris Fidelibus communiter faciendam in templo remanebant, sed tamen humi abjecti, quamdiu sacra precatio durabat; hoc etiam exacto tempore, in pedes erectis more cæterorum orationi operam dare permissum erat. (*e*) Alius item modus erat, pœnitentes a reliqua Fidelium multitudine secernendi, sinistro nimirum latere, quod in Ecclesia occuparent, ipsis assignato. Erant igitur pœnitentium quatuor classes: prima *Plorantium*, secunda *Audientium*, tertia *Prostratorum*, extrema *Consistentium*; quadruplici hoc statu totum pœnitentiæ curriculum includebatur. (*f*) Sic exempli gratia, qui voluntarii homicidii reus erat, quadriennio inter *Plorantes* versabatur: quo nomine ii intelligebantur, qui pro Ecclesiæ foribus non sub atrii porticu, sed sub dio aeris inclementiæ expositi, orationis tempore stabant. Hic ille sacco indutus, cinereque capiti insperso, barbaque & capillis promissis introeuntes in templum Fideles supplex rogabat, ut peccatoris miserti, Deum deprecarentur, veniamque peccati, quod ultro manifestabat, sibi obtinerent. Quinquennio subsequente idem pœnitens homicida, ad *Audientium* ordinem gradu facto, Ecclesiam intrabat, instructionis audiendæ causa, intra vestibulum tamen cum Catechumenis remanebat, unde ante publicarum precum initia exeundum erat. Postmodum tertiæ pœnitentium classi additus, una cum Fidelibus cæteris preces quidem persolvebat, sed eodem, quo ante, loco proxime portam occupato, & corpore in terram prono, iterumque cum Catechumenis templo exibat. Septem annis in hoc statu expletis, ad quartum, & ultimum ordinem ascendebat, in quo quadriennii spatio durare jubebatur; toto hoc tempore non modo comprecationi, ut antea, intererat, sed arrecto etiam corpore eodem, quo reliqui Fideles, situ adstabat; cæterum oblationem pro more facere, aut Communionem sacram sumere, adhuc prohibitum erat. Denique viginti annorum exacta pœnitentia sacrorum, id est, Eucharistiæ Communioni pœnitens restituebatur.

Eadem quindecim annorum cum proportione distributio iis observanda erat, a quibus commissum adulterium publica pœnitentia expiari oportebat: quatuor anni in-

(*a*) *Epist. 3. canonica ad Amphiloch. c. 56. 58. 59. 61. 64. 73.*
(*b*) *Pontif. Rom.*
(*c*) *v. Tom. 9. p. 2. c. 14.*
(*d*) *Lib. Sacrament.*
(*e*) *S. Eligius hom. 8.*
(*f*) *S. Basil. ubi sup. c. 56. Epist. S. Greg. Thaum. cap. 1.*

inter Plorantes ; quinque inter Audientes, quatuor inter Prostratos, duo denique inter Consistentes exigi debebant ; ex his duobus exemplis in promptu est de cæteris arbitrari. Non tamen solius decursu temporis tota pœnitentiæ ratio limitabatur ; quin potius Episcopi in profectum pœnitentium sollicite excubabant, ut temporis aliquid cæteroquin præscripti vel imminuere, vel addere possent. Præcipua nempe, & solemnis, quam hac in re sequebantur, ea erat regula, ut quanta possent maxima vigilantia in proximorum procuranda salute elaborarent ; nequaquam vero in contumacibus, quorum desperata erat emendatio, tempus atque operam luderent. Nemo itaque pœnitentium ex uno gradu ad alterum, nisi de Superioris voluntate, procedebat. Is, ubi finiendum pœnitentiæ tempus judicabat, exeunte quadragesima id facere solebat, ut nimirum pœnitens festo Paschatis die divinis mysteriis frui inciperet.

Ergo feria quinta (*a*) sanctioris hebdomadæ ad fores Ecclesiæ sistebant se pœnitentes. Episcopus, multa prece ad Deum præmissa, ingrediendi templum copiam ipsis denique faciebat, Archi-Diaconi præsertim rogatu, proponentis Antistiti, esse hoc maxime tempus clementiæ in omnes expromendæ opportunum, planeque æquum videri, ut, quo tempore Ecclesia gregem suum recens baptizatorum novello fœtu multiplicat, eodem quoque errantes ac prope deperditas oviculas intra septa sua recipiat. Idem Archi-Presbyter flagitabat, conformans testimonio suo, ita se gessisse pœnitentes, ut venia, & admissione digni sint ; Archi-Presbyteri enim munus erat, hujusmodi homines, quamdiu in sacro luctu versabantur, diligenter examinare. His precibus inductus Præsul, verba primum ad pœnitentes faciebat de misericordia divina, morumque emendatione palam omnibus imposterum demonstranda, jubens præterea illos ad fidem suæ promissionis faciendam manus in sublime erigere. (*b*) Ad extremum idem Episcopus spe bona de ipsorum integra conversione plenus, solemnem iis absolutionem impertiebatur ; qua accepta continuo barbam, & caput attondere, saccum, & cineres ponere, vitamque more cæterorum Fidelium rursum inire pœnitentes incipiebant. Sine dubio multa in ejusmodi exterioribus ceremoniis pro locorum ac temporum modo diversitas fuerit ; universæ tamen ad eundem finem collimabant, erantque sane illustre argumentum, quo ipsi adeo innocentes bonique Christiani edocerentur, quanta peccati enormitas, quantaque ab eodem sese expediendi difficultas esset. [1]

CAPUT XI.

Principes Christiani.

HIs pœnitentiæ legibus nemo unus eximebatur, quantumvis illustri summoque in loco positus supra Vulgus emineret. Principes Viri perinde ac privati homines iisdem obnoxii erant ; qua de re Theodosii Imperatoris insigne est ad omnem posteritatis memoriam exemplum. Primis quidem tribus Ecclesiæ sæculis nemo fere credebat fieri posse, ut Magnates summique in sæculo Viri severæ Christianismi Disciplinæ ac jugo colla aliquando subderent : difficileque erat, animo assequi, qua tandem ratione Christiana humilitas suique abnegatio cum summo imperio inimicisque opibus stare aut conciliari posset. [2] (*c*) Atque hæc causa erat, cur Tertullianus olim affir-

1 Auctores quos de pœnitentia potissimum consules, præter Theologos, sunt Johannes Morinus in erudito opere *de pœnit.*, Sirmondus in *historia pœnit. publica*, Petavius *in animadv. ad Epiphan. & ad Synesium*, Martenius *de ant. Eccl. ritib.* Chardonius *in historia Sacramentorum*, Albaspinæus *in Observat. Eccles.* Accedant ut alios mittam, de quibus vide Fabricium *Bibliogr. antiq. pag. 402. seqq.*, ex Protestantibus Ægidius Strauchius *de priscis publice pœnitentium ritibus*, Christophorus Sonntagius *de hyemantibus, aliisque ad dilucidationem Canonis XVII. Concil. Ancyr.*, *Altdorffii 1705.*, Christophorus Beyerus *de magno veteris Ecclesia circa pœnitentes rigore*, *Lipsia 1725.*, ex Catholicis Grancolasius *T. II. Antiqui Sacramentarii Ecclesia p. 205. seqq.*, Zechius *T. 1. de jure rerum Ecclesiasticarum Sect. 2. tit. 6.*, Binerus *in app. ad Jurisprud. Eccles.*

2 Philippum tamen Christiana sacra fuisse saltem privatim amplexum plures sunt qui sentiant, ut nuperrime P. Sala *in Bona res Liturgicas*. Contra pugnat Mamachius *T. II. Orig. & Ant. Christ. p. 252. seqq.*

(*a*) *Pontif. Rom.* (*b*) *S. Elig. hom. 8. & 11.* (*c*) *Apolog. c. 21. Cont. Cels. C. 8.*

affirmarit, longe citius Christo nomen daturos fuisse Cæsares, si Cæsares simul, & Christiani esse nossent: eundem prope in modum Origines loquitur. Sed enim hoc quoque prodigium universo inspectante orbe terrarum patrare Deus voluit; eaque tam admirabili rerum conversione præcipuum secundi Ecclesiæ status a primo discrimen continetur, utpote quæ basis ac fundamentum erat publicæ libertatis in Ecclesia tunc stabilitæ, de qua hoc loco agimus.

Initio statim conversionis Magni Constantini videre erat Jesu Christi nomen & crucis ipsius sacrosanctum signum in Labaro, & signis Romanorum militaribus luculenter expressa; quodque ad eam diem supplicii maxime omnium infamis instrumentum fuerat, derepente exornandis Regum diadematis adhibitum fuit. Quis porro ejusdem Imperatoris adversus Patres Concilii Nicæni magnificam pietatem, quis honores illis habitos ignorat? Ille commeatum, ut ex longissime dissitis immensi Imperii partibus ad Synodum venirent, suis impensis comparavit; (a) Ille toto Concilii durantis tempore sumptus ad eorum sustentationem necessarios suppeditavit; Ille ad suas sedes reversuros regiis plane muneribus cumulatos ab se dimisit. Libellos supplices, quibus Episcoporum aliquot accusabantur, idem flammis cremari jussit, & Confessorum cicatrices, veluti præteritarum persecutionum gloriosa in Christi militibus vestigia exosculatus est. Jam in ipso Concilio frequentando quanta non edidit pientissimus Imperator Religionis, & reverentiæ specimina? Nullo milite prætoriano stipatus in Senatum Patrum se insinuavit, nec nisi annuentibus Patribus sedem occupavit suam. Denique soluto cœtu eosdem in palatio suo magnifico convivio excepit, cui ipse quoque accumbere non dubitavit. Sane tunc temporis, si quando alias, ipsis quodammodo oculis spectare licuit Christum Regem reges in ipsos imperium suum exercentem.[1]

Plus etiam honoris, & ornamenti Religioni nostræ Theodosius attulit insignibus virtutum suarum exemplis. Sæpe is, & familiariter cum Deo per orationem agere, hujus Numen in gravissimis negotiis implorare, secundos armorum cursus illi uni in acceptis referre. Præcipiti aliquando ira in populum Thessalonicensem accensus, atrocius æquo supplicium de iisdem sumpsit; palmare fuit Imperatoris hac in re peccatum, palmaris etiam de peccato acta publice penitentia.

Utrumque factum, (b) ut Theodoreti, qui illud literis consignavit, verbis utar, dignum sane est, quod eorum, qui hæc legent, utilitatis gratia narretur. Thessalonicæ coorta seditione quidam civitatis primarii viri partim lapidibus obruti, partim contumeliose a populo accepti fuerunt. Qua re intellecta, Imperator usque adeo præsenti iracundia exarsit, ut in universos temere, & crudeliter animadverti juberet promiscua Innocentium ac Reorum cæde. Hoc allato nuncio, Ambrosius ingressum Mediolanum Imperatorem, volentemque more solito in divinum intrare templum, ante Vestibulum occurrens, gravi, & Apostolica oratione procedere ulterius vetuit.... Imperator ea re permotus, utpote qui in sacra educatus doctrina sciret, quæ Sacerdotum, quæque Imperatorum essent officia, cum gemitu, & lacrymis in Regiam revertitur. Ibi mensibus octo in luctu & pœnitentia consumptis; in Natalitio Servatoris nostri festo iterum se Ambrosio sistit, utque vinculis se exsolvat, obtestatur, paratus pœnas omnes, quas medicinæ loco Sanctissimus Præsul imperaturus erat, opere ipso exequi. Tum Divus Ambrosius Legem ab Imperatore ferri jubet frangendis iracundiæ motibus apprime accommodam, atque a Theodosio manus suæ subscriptione illico firmatam. Ea lege irrita primum declarantur suffragia judiciave, quæ in iracundia lata essent; tum a pronuntiata sententia sive capitis, sive publicationis bonorum trigin-

1 De Constantino M. plura vide apud Bollandianos *ad d. XXI. Maij*, Tillemontium *in Monumentis Impp.*, Lupium in *Thesibus de vita Constantini Magni*.

(a) *Euseb. vita Constant. c. 6. 7. &c. Socrates Hist. 1. c. 1. 5. & 8.*

(b) *Ex Theodoreto Hist. Eccles. c. 16. 17. & 18.*

ginta dierum intervallum statuitur, quibus elapsis animoque ipsa temporis mora ad æquitatem revocato, sententiæ illæ novo examini subjicerentur. His a Theodosio prompte gestis, Ambrosius ipsum vinculis injecti prius anathematis exemit, templumque intrare demum ausus Imperator humi prostratus Davidicum illud ingeminabat: *agglutinata est pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum*: manibus insuper capillos vellens, & frontem percutiens, ac guttis lacrymarum rigans pavimentum, dari veniam sibi petebat. Hactenus Theodoretus, qui post alia, quæ ibidem refert, cum Apostolicæ libertatis ab Ambrosio, tum Christianæ modestiæ ac submissionis a Theodosio edita exempla, in hæc verba narrationem concludit: *tali tantaque virtute & Pontifex & Imperator erant illustres. Nam utrumque ego admiror, illius quidem libertatem, hujus vero obedientiam: itemque fervoris flammas illius, & hujus fidei puritatem*. Tantumque abfuit, ut Imperator istam Ambrosii magnanimitatem subiniquo ferret animo, ut ipsum solum pluris quam cæteros omnes Episcopos faceret, dicereque auditus fuerit: *solum novi Ambrosium dignum Episcopi nomine*. Nihilo minus Augusta Theodosii conjux a pietate mirificaque in pauperes beneficentia commendatur. Tam Religiosi mores & spiritus Christianis Principibus dignus in universa quidem Theodosii familia perseveravit, nullibi tamen illustrius, quam in sancta Pulcheria ipsius nepte promicuit. Ista annum ætatis agens quintum supra decimum una cum duabus sororibus suis voto Virginitatis rite emisso totam se Deo dicavit, &, quod magis mirere, in ipsa palatii luce ac frequentia Imperatoriæ aulæ persistens, adeo sese solitudini, pietati, sanctorumque operum assiduę exercitationi dedit, ut Scriptores illorum temporum palatium illud monasterio, loco nimirum, quo sanctiorem nullum sciebant, conferre non dubitaverint. [1]

In hac Schola Virtutum Pulcheria fratrem suum Theodosium institui curavit, qui eadem pietatis a sorore impressa vestigia sectatus, summo mane lectulo sese proripiebat, divinas laudes in consortio sororum sacro cantu celebraturus; assiduus erat in orando Deo, in visitandis Ecclesiis frequens: in iisdem locupletandis mirum in modum munificus. Sæpe is inedia corpus suum, quarta præsertim, & sexta feriis, affligtabat: bibliothecam habebat sacris libris instructissimam, divinæ Scripturæ libros memoriter complectebatur omnes: cum Episcopis sic, quasi unus ex eorum numero foret, agebat; veneratione tamen insigni eosdem, atque adeo Christianos omnes virtute conspicuos, prosequebatur. Multorum Sanctorum Reliquias insigni pompa transferri curavit, multorum nosocomiorum & monasteriorum fundator ac parens. Neque solum officiis Christianæ pietatis, verum etiam cæteris omnibus, quæ Imperatorem ornare solent, instituendum fratrem suum Pulcheria curavit. Excellentissimi Magistri liberalibus disciplinis, equestribus etiam ac militaribus exercitiis ipsum imbuebant: ad frigoris, & caloris, ad famis ac sitis ferenda incommoda inde a teneris annis assuefiebat. Præcepta porro urbanitatis, & decori, quæ in vestitu, in actione & incessu teneret, eadem Pulcheria Theodosio tradebat; hac Magistra didicit modum in risu tenere, nunc facilem & amabilem sese, nunc terribilem in loco præbere, denique sui copiam mira animi moderatione omnibus facere. Hac tam accurata cultura Theodosius affectionum suarum iræ præsertim dominus evasit, affabilis erga omnes, humanus & ad commiserationis tenerum sensum proclivis.

Talis tantusque Imperator junior fuit, etsi in purpura natus, & in Oriente vivens, sæculo fœdum in modum corrupto. Marcianus Imperator, qui de ipso Theodosio præclare meritus, multoque rerum usu edoctus eidem successit, similia edidit pietatis ac zeli in Religionem documenta, & quidem majori efficacia, & habilitate; neque alio opus est ad ipsius comprobandam virtutem argumento, quam quod Pul-

[1] S. Pulcheriæ vitam nuper ediderunt Bollandiani; Italice illam quoque perscripsit P. Contuccius Contuccius Soc. Nostræ.

Pulcheriam sibi sponsam delegerit, ea tamen conditione, ut virginitatem in conjugio ambo colerent.

CAPUT XII.

Mores Clericorum.

DUm Principum sæcularium vita adeo insigni sanctitate florebat; pronum est judicare, longe integerrimos sanctissimosque fuisse Episcoporum, & Cleri totius mores. Sed operæ tamen pretium erit, observare hoc loco mutationem nonnullis in rebus, quæ ad vitæ normam pertinent, in hoc secundo tranquilloque statu inductam. Iraque per id tempus cœpere Clerici exteriora quædam suæ professionis signa gestare; etsi re ipsa habitus ista diversitas, quo a Laicis secernebantur, non prius admodum apparuit, quam Barbari in Occidente rerum potiti sunt; (*a*) tunc enim Sagis & breviore vestitu non minus quam lingua Barbarorum a Laicis assumpta, soli Clerici vestitum Romanum, togam nimirum thalarem perinde ac linguam & leges Romanorum retinuere.

Complures ipsorum vitam in communi ducebant. Ecclesiæ Hierosolymitanæ imitatione, vitæ hujusmodi rationem tanquam perfectiorem complexi. Hi eodem tecto & triclinio, quoad ejus fieri poterat, communiter utebantur; proprium quidem certe possidebant nihil, non aliis quam ab Ecclesiæ liberalitate subministratis reditibus victitantes; ut adeo Clericorum talis cœtus unica quædam familia esset, cui Episcopus capitis, & patris loco præesset. Hujus instituti erant Clerici Sancti Eusebii Vercellensis, (*b*) S. Martini, & S. Augustini, qui *Clerici Canonici* nominabantur, ad distinctionem ab aliis Clericis, qui etsi non tanta religione ad canonum normam vitam instituerent, nihilominus non desinebant ab Ecclesia utiliter adhiberi.[1]

Qui in ejusmodi numerosa communitate non vivebant, non omnino tamen solitarii degebant, sed uno saltem aut duobus sociis stipati. Presbyteri, quos animarum cura ruri tenebat, juniores Clericos apud se tenebant, ut morum ac scientiarum præceptis ipsos informarent, simulque idoneos vitæ suæ testes haberent. Quid? Episcopus ipse nunquam sine Sacerdote quopiam aut Diacono erat, qui noctu etiam in Antistitis conclavi somnum capiebat; quem proinde Græci *Syncellum*, Latini *Cellulanium*, id est, in eadem cella cum Episcopo vel Patriarcha habitantem nominarunt, alio nomine *oculus Patriarchæ* appellabatur. Progressu temporis Syncelli nomen ac munus in dignitatem Ecclesiasticam abiit uni Patriarchæ aut Episcopo secundam. De aula S. Gregorii Magni Pontificis constat, eam non nisi Clericis, & Monachis compositam fuisse, duratque in hunc diem servata consuetudo, ut domestici officiales Pontificum Clerici omnes sint.

Cæterum sive in communi, sive privatim Clerici viverent, nunquam tamen fas ipsis erat, iisdem in ædibus fœminas apud se habere. (*c*) Sane inter capita accusationum adversus Paulum Samosatenum illud etiam erat, quod secum haberet, comitesque sibi, quo quo iret, adjungeret duas personas sequioris sexus, ætate & forma florentes, quodque Presbyteris ac Diaconis suis permittat, nonnullas ex eo genere fœminarum domi suæ tenere, quas græce *συνεισάκτους*, id est, *subintroductas*, velut Ruffinus vertit, *extraneas* vocabant.[2] Abusus iste late vulgari cœpit, ex quo pax Ecclesiæ donata est, cum prius ex innocentissima quadam consuetudine ortum ha-

1 Paucos, qui de Canonicis agunt Scriptores, suppeditat Fabricii *Bibliographia antiquaria p.* 475. Adde illis Mazochium in *differt. de Cathedrali Ecclesia Neapolitana.*

2 Alias specioso magis, quam vero nomine (*d*) *Agapetæ* dicebantur, quasi spirituali solum charitate dilectæ; ajebant enim, qui ejusmodi fœminas in suis ædibus alebant, id facere se, ut suus virginibus patronus esset, cum maritos aut tutores non habeant, sæpe etiam parentibus & fratribus destitutæ. Vide Dissertationes.

(*a*) *Thomass. Tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 46. *n. VII.*

(*b*) *Thomass. Tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 9.

(*c*) *v. Baron. ad Ann.* 272. *Concil. Antiochen.*

(*d*) *Sanct. Chrysostom.*

habuisset suum. Constat ex Evangeliorum sacro codice, fuisse olim mulieres vitæ sanctimonia illustres, quæ Redemptorem nostrum, (*a*) quocunque iter faceret, sequebantur, inservientes ipsi, & de facultatibus suis necessaria ad vitam subsidia suppeditantes. Porro S. Paulus testatur, cum cæteris Apostolis, tum Apostolorum principi Petro in more positum fuisse, quasdam ut fœminas Christianas peregrinationum suarum haberent comites. Tanta vero Apostolorum, & primorum discipulorum, quos Apostoli instituerant, sanctitas, tam insignis omnibusque explorata vitæ ipsorum innocentia erat, nullus ut sinistræ suspicioni locus relinqueretur; tanta etiam circumspectione hac in re iidem utebantur, ut ne Ethnicorum quidem ulli fœminarum illa societas scandalo esset; quod eo etiam facilius factu erat, si mulieres illæ, (*b*) uti Sancto Clementi Alexandrino visum fuit, Apostolorum & ipsorum discipulorum uxores fuerint, quas isti deinceps sororum loco habebant.

At ubi Christianæ disciplinæ rigor mitescere sensim & laxari cœpit, nihil proclivius erat, quam ut charitatis obtentu licentia & voluptas sese insinuarent; cumque Clericorum prisca vitæ severitas aliquantulum remisisset, horum vita sinistris hominum judiciis magis obnoxia esse cœpit. Sane Concilii Antiocheni Patres, ubi de duabus fœminis agunt; quas Paulus Samosatensis apud se tenebat, diserte addunt, ipsum delicate vivere, & gulæ intemperantius indulgere. Quare faciendum omnino Patres existimarunt, ut mali occasio omnis præcidatur, lege in omnes Clericos constituta, ut, qui conjugio ante illigati non essent, *Extraneas* domi suæ ne retinerent. Extranearum vero nomine mulieres omnes intelligebantur, quæ Clericis non essent sanguine conjunctissimæ; (*c*) has Nicænum Concilium declaravit esse Matres, Sorores & Amitas. [1] Quam plurima in hanc rem a Conciliis & Sanctis Patribus edita decreta scriptique tractatus extant, quo abusus iste, & ut S. Hieronymus loquitur, *pestis Agapetarum* nimium quantum inveterata stirpitus evelleretur. Imo si vel abesset suspicio omnis pravæ conversationis, non videbatur tamen consultum esse, ut Ecclesiasticis viris cum altero sexu multum consuetudinis & familiaritatis esset, ne pietatis quidem ac devotionis prætensa specie; nec probabatur, ut munuscula & bellaria iidem reciperent severæ masculæque virtuti inimica, atque ad mollitiem animis invehendam nimis quam efficacia. *Crebra munuscula*, inquit Hieronymus, (*d*) *& sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces literulas sanctus amor non habet.*

In universum tamen sua Ecclesiasticis per id tempus, eaque excellens vitæ integritas & sanctimonia constabat; qui, ut homines essent, infirmitate etiam ipsi circumdati, neque affectionibus inordinatis omnino vacui; vitam nihilominus maxima ex parte continentissimam ad cæterorum ædificationem agebant, quos proinde æquissimi quique rerum æstimatores insigni passim reverentia & honore colebant. Quamvis Episcopi tunc certum dignitatis gradum inter sæculares magistratus non obtinerent, propterea quod privatorum hominum adinstar nihil pompæ exterioris affectarent, non desinebant tamen pro sublimissimi status sui excellentia apud Magnates ipsosque Principes in honore esse. Supra jam demonstratum est, quantus a Constantino Magno (*e*) Patribus Nicææ congregatis exhibitus fuerit honos. De Maximo Imperatore memoriæ proditum est, adhibitum ab ipso ad mensam fuisse Sanctum

1 Nicæni Canon tertius ita habet: *Nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem συνείσακτον, nisi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.*

Eliberitani Canon 27. est: *Episcopus vel quilibet Clericus alius aut Sororem, aut Filiam Virginem dicatam Deo tantum secum habeat, Extraneam vero nequaquam.*

(*a*) *Matth. 27. v. 55. Marci 15. v. 41.*

(*b*) *Clem. Alexandr. 3. strom. prope med.*

(*c*) *Concil. Nican. Can. 3. & Eliberit. Can. 27. S. Hieronym. Ep. 22. ad Eustoch.*

(*d*) *Epist. ad Nepot.* (*e*) *Plura exempla vid. ap. Thomass. Tom. 2. lib. 3. c. 50. n. 7. & c. 58.*

ctum Martinum cum uno ex Presbyteris Sancti Episcopi, Imperatrice interea fuisset manibus ad mensam ministrante.

Cum solerent ea ætate Romani viros in dignitate constitutos diversis titulis honoris causa condecorare, nunc *Illustres*, nunc *Gloriosos*, alias *Spectatos* aut *Clarissimos* compellando, pro graduum, & dignitatis, qua quisque effulgebat, diversa ratione; Episcoporum ordini *Sancti*, aut *Beati* prænomen inditum fuit; cui interdum *pii*, *religiosi*, *Deo chari*, aliave similis honorifica vox accessit. Tituli hujusmodi adeo Episcoporum erant proprii, ut in Judiciis etiam, ubi accusari quempiam ipsorum & condemnari contingeret, honorifica illa præfatione nominarentur, id quod in Concilio Ephesino contra Nestorium, & in Chalcedonensi contra Dioscorum coacto videre licuit. Etiam in hæresim lapsis tituli illi non denegabantur. S. Augustinus in Colloquio Carthaginensi non dubitavit dicere: ***Sanctissimus Emeritus***, & ***Sanctissimus Petilianus***, etsi ambo Donatistarum errores tuerentur, nimirum offensione non vacasset, id genus titulis viros illos privare. [1]

Papæ nomen, (*a*) quod patrem significat, cum testificatione tamen tenerioris cujusdam affectus, diu admodum Episcopis omnibus in Ecclesia latina commune erat, & hodiedum omnibus Ecclesiæ græcæ Presbyteris tribuitur. Iidem Episcopi passim pro Dominis colebantur; neque ulla frequentior sæculis Christi quarto, & quinto Literarum inscriptio occurrit, quam hujusmodi: ***Domino Sanctissimo***, ***piissimo***, ***summeque venerando N. Episcopo***. Usitatum etiam erat, uti supra ostendi, prostrato ante eos humi corpore, pedes ipsorum deosculari. Et mirabimur adhuc, si honorum, qui adeo splendidi nobis videntur, ista significatio, Summo Pontifici Episcoporum Episcopo delata fuerit, quem Fidelium multitudo singulari semper, ac præcipuo quodam cultu venerata est, queinque Episcopi ipsi parentis, & Papæ, id est, dulcissimi parentis loco habebant, perinde ac Pontifex ipsos tanquam fratres tractabat, & nostro item ævo tractare solet? (*b*) Habet enim hoc Ecclesia Romana, ut plus quam cæteræ omnes Ecclesiæ veterum consuetudinum apprime retinens, & studiosa sit.

Multum sane ista sæcularium Potestatum adversus Episcopos Reverentia ad conciliandam ipsis magnam authoritatem valuit, qua instructi Viduarum, Orphanorum & quorumcunque calamitosorum hominum patrocinia susciperent; præcipue vero usi authoritate illa sunt Episcopi ad vitæ gratiam capitalium criminum reis impetrandam; (*c*) non quasi zelo justitiæ minus præditi essent; sed quia probe norant, hujusmodi zelum, quantum satis est ad coercendos facinorosos, in sæcularibus Dominis minime desiderari; cum illi interea animas omnium, sive Christiani essent, sive a nostris sacris adhuc remoti, Deo lucrifacere studerent. Procul dubio enim efficax, & blandum ad pœnitentiam aut baptismi susceptionem incitamentum erat tanta Episcoporum erga miseros charitas; idemque studium clementiæ, & mansuetudinis Ecclesiam Christi ipsis adeo Paganis mirifice commendabat.

In tanta luce honorum, publicæque ac honestissimæ existimationis constituti Episcopi Clericique omnes paupertatem tamen sibi quam maxime commendatam habebant. In Africa jubebantur Clerici, quantumvis Sacrarum Literarum cognitione præstantes, (*d*) aut ruri opus facere, aut opificium aliquod domi exercere, quo victum sibi & vestitum, sine præjudicio tamen functionum suarum, compararent. Quæ lex ad Clericos inferiorum ordinum potius, quam ad Diaconos, & Sacerdotes satis alioquin occupatos spectare videtur. Suppetunt nihilominus exempla quorundam Episcoporum, qui Apostoli hac in re consilium longissimis etiam retro temporibus opere ipso impleverunt. Sed undecunque demum Clerici vitam sustentarent suam, illud tamen curare debebant, ut frugalitatem semper ac modestiam christia-

1 De his titulis confer Mamachium *T. IV. Orig. & Antiq. Christian.*

(*a*) *Vid. Baron. in notis ad Mar. 20. Jan.* (*b*) *Vide Epist. Innoc. I. inter Epist. August.*

(*c*) *V. Ep. 54. Aug. ad Macedon.*

(*d*) *Concil. IV. Carth. can. 51. & 52. v. Thomass. Tom. 3. l. 3. c. 8. n. 2. 3. &c.*

ſtianam oſtenderent. Hinc eſt illa Canonum Eccleſiæ Africanæ lex, ut Epiſcopi victum mediocrem, & cæteram rem familiarem tenuem haberent. Accurate hoc ab Auguſtino obſervatum fuit, Poſſidio teſte, qui, cum affirmet, Auguſtinum præter legumina & herbas interdum carnium & vini aliquid hoſpitum gratia menſæ inferri curaſſe, non obſcure nos docet, quam viis parabiliſque ut plurimum fuerit Sanctiſſimi Præſulis victus. Sub eadem tempora D. Paulinus, (*a*) opibus prope immenſis ultro abjectis, ad quotidianos uſus ligneas ſcutellas & fictilia vaſa adhibebat. Sanctus Martinus aſello inſidens, & paupere lacerna indutus, Diæceſin ſuam luſtrabat. Admirationi præterea erant propter inſignem abſtinentiam & producta jejunia S. Lupus Trecenſis, S. Germanus Antiſſiodorenſis, & S. Hilarius Arelatenſis, Epiſcopi. De Sancto Epiphanio Ticinenſi Scriptores notant, nunquam ipſum balneo uti, nunquam cœnare, nunquam aliis cibis præter olera & legumina veſci ſolitum fuiſſe. Inter Orientis Epiſcopos S. Baſilius præter panem ſale conditum comedebat nihil, frigida ſitim levabat, unaque ſolum tunica veſtiebatur. Idem ferme inſtitutum S. Gregorius Nazianzenus tenuit. Divo Chryſoſtomo Adverſarii ſui exprobrabant, & accuſationis contra virum ſanctiſſimum præcipuum caput in eo reponebant, quod ſine ſocio cibum caperet, vitamque agitaret admodum ſolitariam; ipſeque Chryſoſtomus teſtatur reprehenſionem apud ſe incurſurum eſſe Antiſtitem, ſiquem *ſericis veſtiri*, *multitudinem ſequentium*, *& comitantium habere*, *circa forum arroganter incedere*, *equo vehi*, *domoſque ædificare cerneret*, *ſi jam*, *ubi commoretur*, *habeat*. (*b*) Hujuſmodi enim fuere, quæ ſæculo uno ante Chryſoſtomi tempora Paulo Samoſatenſi vitio vertebantur; hominem ipſum ajebant eſſe, qui laute vivat, qui ſplendido amictu fulgeat, qui per urbem incedens, turba hominum præ ſe & a tergo euntium ſtipatus, appareat, magiſque ad faſtum ac morem conſularem, quam ad Epiſcopalem modeſtiam compoſitus ſit. Et tamen Paulus iſte Antiochiæ Epiſcopus erat, quæ urbs pro Metropoli Orientis & inter cæteras orbis terræ prærogativa tertia habebatur. Adeo vero jam inſueverant hominum oculi tantæ Epiſcoporum modeſtiæ, ut quidam malevolorum aut imprudentium inique criminandi anſam inde arriperent, ſi forte nonnullos obſervarent hac in re aliis diſſimiles, pauloque ornatiores. *Quodſi*, verba ſunt ejuſdem S. Chryſoſtomi, (*c*) *modico ac ſobrio fruatur cibo Epiſcopus ..... ſi lavantem viderit quiſpiam, plurima in eum intorquentur conviciorum ſpicula. Indignus protinus judicatur, qui aſpiciat ſolem: quandoquidem illa gerit, quæ ille. Atque ille lavat, inquit alius, ut ego, comedit, bibit, veſtimentis operitur, domus curam gerit atque familiæ; cujus ergo rei gratia ille mihi prælatus eſt? ſed & famulos habet, qui illi miniſtrent, & aſello vehitur; cur præeſſe mihi debet? vide quæſo, quanta rerum abſurditas?* hactenus Chryſoſtomus. Et Ammianus Marcellinus, etſi Gentilis eſſet, iſque antiquis ſuperſtitionibus ſuis mordicus addictus, diſcrimen tamen animadvertit, quo ſub finem ſæculi quarti Pontifex Romanus ab Epiſcopis reliquarum Provinciarum exteriore corporis habitu differebat. Quaſi vero mirum & inſolens foret Epiſcopum Urbis, quæ mundi Caput & Domina erat, vehiculo aut Carpento uti, quo expeditius ampliſſimæ Urbis diverſas regiones adiret, veſtimentis inſuper melioribus indui, menſamque aliquanto lautius inſtruere, cui Summi quique Romani Imperii Proceres accumbere poſſent. Utcunque tamen iſta ſe habeant, illud in comperto eſt, eo ipſo tempore floruiſſe in Provinciis Epiſcopos tanta in victu parſimonia, tanta paupertate in veſtitu, tanta vultus modeſtia conſpicuos, ut merito iis virtutibus Deo juxta, & hominibus ſeſe commendarent; id quod idem ille Scriptor quantumvis Ethnicus atteſtatur. Imo ex allatis ſupra exemplis perſpicuum

(*a*) *Paulin. Epiſt. 1. in fine.*
(*b*) *Homil. 9. in Epiſt. ad Philipp.*
(*c*) *Homil. 2. in Epiſt. ad Titum. Similia his vide hom. 9. in Ep. ad Philipp.*

cium sit, etiam celeberrimarum urbium Antistites ea simplicitatis & moderationis laude insignes fuisse; ut alios præteream, quorum res gestæ a nobis lectæ non sunt, & fortasse ne literis quidem magna ex parte consignatæ.

CAPUT XIII.

Ecclesiæ opes.

ADmirabiliorem hanc Episcoporum modestiam reddit magnitudo divitiarum, quibus Ecclesiæ circumfluebant, & quas inter præcipuos libertatis fructus numerare licet. Tantum non fidem superabunt, quæ hac de re dicere ingredior, etsi certis argumentis comprobata sint. Vitæ omnes Romanorum Pontificum ab exordio sæculi quarti, & Pontificatu S. Sylvestri usque ad finem noni sæculi plenæ sunt largitionibus, quibus Ecclesias Romæ existentes non modo Pontifices atque Imperatores, verum etiam privati quidam homines dotarunt, nec vasa solum aurea argenteaque donata fuere, sed integræ etiam domus in Urbe, & extra illam prædia & possessiones, partim in finibus Italiæ, partim in aliis Romani Imperii provinciis adjectæ sunt. Satis hic loci abundeque fecero, si, quæ unus Constantinus magnifica pietate in Ecclesias profudit, dona ac munera, ex Anastasio Bibliothecario referam, qui ea ex antiquis documentis, sua ætate adhuc extantibus, congesta ab injuria temporis vindicavit.

Affirmat is, Constantinum complures Basilicas partim ædificasse, partim dotasse. Principem inter eas locum sibi vendicat Basilica Lateranensis, a suo Fundatore *Constantiniana* dicta; in hanc hujusmodi dona Imperator contulit. Tabernaculum ex argento ductili bis mille & viginti quinque librarum; in ejus anteriore parte figura extabat Salvatoris sellæ insidentis, alta quinque pedes & viginti supra centum libras gravis. Circumpositæ visebantur duodecim Apostolorum Statuæ, quarum singulæ quinque item pedum altitudinem, & gravitatem librarum nonaginta habebant, cum coronis argenti purissimi. In aversa tabernaculi parte alia Salvatoris imago erat in throno sedentis, alta quinque pedes, & librarum quadraginta supra centum, quam circumstabant Angeli quatuor ejusdem altitudinis, singuli centum & quindecim librarum, ex argento conflati, & pretiosis distincti lapidibus. Additæ præterea coronæ quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, quarum quælibet quindecim pondo gravis erat. Coronarum nomine hic intelliguntur totidem circuli, qui candelabra in orbem disposita sustinebant; Delphini vero ab Anastasio aliisque medii ævi Scriptoribus nominantur ornamenta majorum Lychnuchorum, qui lychnos sive lucernas portabant. His accessere altaria septem ex argento, singula ducentarum librarum; Patenæ aureæ septem, singulæ librarum triginta; Calices aurei quadraginta unilibres, quingenti vero argentei bilibres: Candelabra sive lampades (Anastasius Phara vel Pharocantharos nominat) universim centum & sexaginta, quorum quadraginta quinque libras triginta, reliqua viginti pondo singula habebant; plura ejusmodi vasa libens hic prætereo. In Baptisterio fons ipse sacer, sive Labrum Baptismale ex lapide porphyretico factum, & argento undique coopertum erat, cujus pondus ad ter mille & octo libras ascendebat. Fonti lampas imminebat ex auro purissimo librarum triginta, in qua ducentæ libræ balsami in die Paschatis consumebantur. Pone fontem sacrum Agnus aureus stabat triginta librarum, aquas fundens, ad dexteram Agni Salvatoris imago prostabat ex argento purissimo quinque pedes alta, librarum centum & septuaginta; ad sinistram porro B. Joannes Baptista intento in Christum digito titulum exhibebat: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*; Statua hæc ex argento centum pondo erat. Cervi quoque argentei septem fundentes aquam, singuli octoginta librarum, denique thuribulum aureum decem librarum, gemmis pretiosis quadraginta & duabus illustratum. Quid multa? subductis accurate calculis omnium donorum, quæ cum Basilicæ, tum Baptisterio Constantinus obtulit, universa ad sexcentas septuaginta octo libras auri, argenti vero pondo novendecim millia, sexcenta & septuaginta tria ascendunt. Cum vero libra Romana duodecim solum un-

cias

tias contineat, pondus illud auri & argenti marcas auri mille & ſeptendecim, marcarum autem argenti undetriginta millia ſupra quingentas efficit; ut adeo, ſi marca auri in noſtrate moneta æſtimetur trecentis Francis, ſive libris Gallicis, marca vero argenti libris Gallicis triginta, univerſum pretium auri & argenti, quod vocant intrinſecum, non computata artis æſtimatione, complectatur circiter duodecies centena millia librarum Francicarum. Præter hæc dona [1] eidem Baſilicæ & Baptiſterio collata a Conſtantino fuere ædificia urbana, & prædia (Anaſtaſius *Maſſas* vocat, quæ & *Manſi* nominantur) ex quibus tredecies mille nongenti & triginta quatuor Solidi aurei pro annuis reditibus percipiebantur, qui, Solido aureo non pluris, quam ſex Libris Francicæ monetæ æſtimato, facile ſuperant ſummam octoginta millium Librarum Francicarum in annuos proventus attributarum. Atque hæc omnia in unam Lateranenſem Eccleſiam unius Beneficentiæ Imperatoris collata fuerunt.

Idem ſeptem alias Romæ exædificavit Eccleſias, S. Petri Principis Apoſtolorum, S. Pauli, S. Crucis Hieroſolymitanæ, S. Agnetis, S. Laurentii, SS. Petri, & Marcellini, alias vero a S. Silveſtro Papa exſtructas ampliſſimis donis locupletavit. Extra urbem etiam templa molitus eſt Oſtiæ, Albani, Capuæ & Neapoli. Univerſim autem, quæ ſacris hiſce ædibus dono dedit, vaſa aurea argenteaque, ea mille trecentas, & quinquaginta novem marcas auri, & uncias quatuor, argenti porro marcas duodecies mille quadringentas, & triginta ſeptem conficiunt, quarum intrinſecus valor, rationibus obiter ſubductis ſeptingenta ſupra octoginta millia marcarum pretium exæquat. Præterea annui proventus, quibus Eccleſias illas inſtruxit ad ſeptendecim millia ſeptingentos, & ſeptendecim ſolidos aureos, id eſt, ad ſummam centenis millibus librarum Francicarum majorem aſcendunt. Aromata vero diverſi generis, quæ ex poſſeſſionibus Eccleſiarum in Ægypto, & Oriente ad eas pertinentibus quotannis ſubmittenda erant, eorum pretio, quod illa ætate multo, quam nunc, majus erat, ad noſtri duntaxat ævi rationes computato, ſuperabant tamen ſummam viginti millium Francorum. Sic, exempli cauſa, Baſilica S. Petri in Urbe proprias Antiochiæ ædes, & in ejuſdem vicinia fundos ſuos habebat, Tharſi item in Cilicia, Alexandriæ totaque in Ægypto, atque adeo in Provincia Euphrathæa certa bona prædiaque poſſidebat, ex quibus nonnulla pro annuo canone certam menſuram olei Nardini, Balſami, Storacis, Cinnamomi, Croci, aliaque id genus odorifera, & pretioſa aromata ſuffimento in thuribulis, & flammæ in lampadibus nutriendæ ſuppeditare debent. Adde his Eccleſias ab eodem Conſtantino, & S. Helena matre ipſius Hieroſolymis, Bethlehemi, & alibi paſſim in terra ſancta ædificatas; (*a*) adde Baſilicam duodecim Apoſtolorum, aliaſque Conſtantinopoli erectas, poſtquam Urbem iſtam, & ſecundam Romam a fundamentis exſtruxerat; adde regia plane dona, quibus Eccleſias per totum Imperium excitatas ditavit; adde ad extremum munera & bona, quæ Conſtantini in Imperio ſucceſſores, quæ Provinciarum Præſides, aliique ſummi Viri ac Dynaſtæ Chriſtum ſecuti, quæ ſanctæ, & nobiles Matronæ, ut Paula, Melania, aliæque complures ex opulentiſſimis voluntarie pauperes factæ in ornandam Dei Domum, & familiam congeſſerunt, quæque ipſi quoque Epiſcopi mirifice auxerunt, quorum ſancta erat æmulatio; ut ſuam quiſque Eccleſiam quam ſpendidiſſime copioſiſſimeque inſtructam haberet. His omnibus veluti ſub uno conſpectu poſitis arbitrari per ſe ipſe quivis poteſt, quantas neceſſe ſit fuiſſe opes Eccleſiarum in celebrioribus, & primariis urbibus, quæ Metropoles erant tam inſignium Romani Imperii Provinciarum, ut eædem noſtra tempeſtate pro ampliſſimis Regnis haberentur. Profecto Alexandrinæ Eccleſiæ propemodum immenſas conſtat fuiſſe divitias tempore S. Joannis cognomento eleemoſynarii, qui reditus illius tam ingentes tanta fide, & ſanctimonia erogavit. (*b*) Conſtat item ex

1 Vide Bulengerum *de donariis &c.*

(*a*) *Vid. Euſeb. de vita Conſt. l. 3. c. 34. 35. &c.*

(*b*) *Vita S. Gregorii per Jo: Diac. l. 2. c. 55.*

ex Epistolis S. Gregorii, quantum negotii sanctissimo Pontifici facessiverit administratio patrimoniorum Ecclesiæ Romanę quaquaversum per Siciliam, Hispaniam, Galliasque patentium; quam sollicite curandum fuerit, ut servi & mancipia possessionibus illis colendis addicti bene tractarentur, utque annui reditus in pauperum cujusvis provinciæ, unde ea bona suppetebant, levamentum & sustentationem adhiberentur. Nec ista cuiquam incredibilia videri possunt, nisi qui Romanæ Historiæ plane rudis sit, nesciatque, tantam temporis fuisse Romanæ Monarchiæ amplitudinem, tantas honorum etiam privatorum opes, ut familiare his esset, amicis suis integros pagos una cum habitatoribus testamento transscribere. (*a*) Præterea maximi per idem illud tempus constituti reditus erant conservandis ornandisque falsorum Numinum delubris, singulis etiam annis pecuniæ vis ingens in sacrificia, ludos, aliosque impiæ Religionis ritus profundebatur; quare in promptu erat, partem aliquam redituum tam male collocatorum, in dotem atque ornamenta Ecclesiarum derivare, sed tamen inter præcipuos, ut loqui solemus, fundos, quibus Ecclesiæ tunc locupletabantur, bona illa numerari debent, quæ persecutionum olim sæviente æstu Christianis per summam injuriam erepta, & Fisco addicta fuerant. [1]

Bonorum Ecclesiæ tam ingentium dominium ac procuratio tota penes Episcopos erat; ita enim diserte Concilium Antiochenum statuit: (*b*) *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione, & timore*. Sed enim tantum aberat, ut ea potestate, multum efficerentur Ss. illi Antistites, ut permolestam sibi potius accidere significarent, nihilque magis haberent in optatis, quam ut redirent aurea illa, & beata tempora, quibus Fidelium charitas tantum in dies singulos stipis, & oblationum afferebat, quantum levandis pauperum, Clericorum & Ecclesiarum necessitatibus sufficiebat. Hinc sæpe Augustinus fundos Ecclesiæ suæ omnes civibus Hipponensibus ultro offerebat, ea solum lege ac conditione, ut cum illis curam etiam susciperent sustentandi egenos, & Ecclesiis harumque Ministris prospiciendi, (*c*) *sed numquam id Laici suscipere voluerunt*, inquit Possidius. D. Chrysostomus Christianis exprobrabat, ipsorum sordibus, & inclementia coactos fuisse Antistites, ad providendum Ecclesiis de certis stabilibusque bonis, ne forte Virgines, Viduæ, & Pauperculorum greges fame contabescerent, si, quod in primitiva Ecclesia in usu erat, solis oblationibus, & eleemosynis pro cujusque libitu factis victitandum ipsis esset: *Nunc egros*, verba sunt Chrysostomi, *domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia hujusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat etiam hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non parvos ex vestra devotione consequi fructus. Modo autem duo quædam mala committuntur. Nam vos, quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei Sacerdotes a Sacerdotio aliena pertractant*. Et post pauca: *Non libenter ad hanc se deformitatem* (curandi sæcularia, & terrena) *immiserunt Episcopi, qui desiderabant fructus, ex vestra devotione sic acquirere, ut orationibus solum possent attendere. Nunc vero coegistis eos illorum, qui sæcularia gerunt negotia, curam & administrationes imitari: unde & universa commiscentur atque turbantur*. Denique ait: *non audistis, quia nequidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putaverunt Apostoli: Modo autem Procuratores, Dispensatores . . . . . redacti sunt Episcopi ob istarum rerum curam, & sollicitudinem. Cumque oporteat, eos animarum curam vestrarum habere, hoc prætermisso, illa sollicite curant, quæ publicanis, quæstoribus atque villicis curanda sunt*. Nihilominus viam aliquam, & rationem inivere SS. Præsules, expediendi se tam molesta rerum terrenarum

1 Huc spectant Beneficia Ecclesiastica, de quibus eruditissime præter Auctores alios a Fabricio laudatos *Bibliogr. ant. p. 471.* agit Thomassinus.

(*a*) *ff. de Instr.* (*b*) *Can. 25.*

(*c*) *In vit. S. Aug. c. 23.*

rum procuratione. Initio quidem Archi-Diaconis, tum Oeconomis ad hanc unice functionem destinatis provinciam illam imposuere; utque negotia etiam illa, quæ ad pietatem pertinent, levius ferrent, a Principibus Christianis Defensores Advocatos obtinuerunt, qui stabili sede in quavis urbe commorantes; rem Ecclesiæ pauperumque patrocinia magna charitate ac fide tuerentur. [1]

CAPUT XIV.

Hospitalia.

Bonorum Ecclesiæ pars bene magna fundandis & conservandis Hospitalibus Domibus insumpta fuit; nam sub illud tempus exstrui hujusmodi ædes cœperunt. Græci quidem & Romani Politicen suam usque eo elimaverant, ut otiosos homines beneque valentes ac robustos Mendicos a finibus suis exigerent; nusquam tamen legere est, publica quadam sanctione pauperibus illis prospectum fuisse aut subventum, qui ad publica servitia per corporis, & membrorum infirmitatem inhabiles erant. Imo passim existimabatur præstare, ut miserabiles hujusmodi personæ vitam potius cito finirent, quam ut eam longius producendo, sibi juxta & aliis oneri essent; qua re factum est, ut, qui inter pauperes cæteris animosiores erant, sibimet ipsis violentas manus inferrent. Longe aliter ac melius hac de re Christiani sentiebant. Hi enim animarum præprimis salutem sitientes, nullam istarum, quantumvis miserabili in corpore habitaret, negligendam putabant; & ut quisque mendicorum humana ope maxime destitutus erat; ita præ cæteris singulari cura & charitate dignus habebatur. Jam vero juvandi illos nulla expeditior erat via, quam ut communi omnes hospitio & victu exciperentur. Ergo ubi primum Ecclesiæ licuit esse a Tyrannis securæ, diversi generis domicilia misericordiæ fundari cœpta sunt: Ea nos universe *Hospitalia* dicimus; at Græci suis singula vocabulis efferebant.

Domus, in qua parvuli adhuc lactentes nutriebantur, sive Expositi essent, seu qua alia de causa ibidem educarentur, *Brephotrophium* vocabatur: Domus, in qua pupilli degebant, *Orphanotrophium*. In qua ægroti curabantur, *Nosocomium*: In qua peregrini & in itinere versantes refocillabantur, *Xenodochium* appellata fuit, atque hoc postremum ædium genus in Latino sermone proprie *Hospitale* vel domus Hospitalitatis nominatur. *Gerontocomium* erat, ubi senibus: *Prochotrophium*, ubi omnis generis egenis receptus dabatur. Hujusmodi ædes charitatis in amplis lautisque urbibus excitari solebant, quas inter Alexandrinum Hospitale in Historiis præcipue celebratur. Domiciliorum istorum procuratio Diaconis commissa erat, quibus tamen ut plurimum Sacerdos aliquis præficiebatur. Sanctissimi quique Episcopi neque laboribus, neque impensis parcebant ullis, quo pia hæc opera tuerentur atque proveherent: [2] Iisdem cordi erat pauperes sepelire, & captivos redimere a barbaris in servitutem abductos; horum enim sub occasum Romani Imperii frequentissimæ erant incursiones, & plagia. Gemino huic misericordiæ operi ita vacabant Episcopi, ut ipsa adeo Ecclesiarum sacra vasa vendere non dubitarent, quo litrum captivis, & demortuis loculum compararent, adeo duplici huic pietatis officio, tanquam privilegio speciali insignito, cætera posthabebant omnia. (*a*) Ea de re illustre in paucis extat S. Exuperii Episcopi Tolosatis exemplum, qui misericordiæ in defunctos, & captivos studio adeo sese atque Ecclesiam suam spoliavit, ut Divinissimum Christi Corpus in canistro, Sanguinem vero Sacrosanctum in vitreo calice gestaret. (*b*) De S. Paulino in vulgus notum est, ipsum rebus omnibus divenditis, ad extremum se ipsum servituti addixisse, ut viduæ cujusdam filium in libertatem assereret. [3] Hunc in

1 De his Advocatis Ecclesiarum vide Muratorium *in antiq. medii ævi.*

2 Confer P. Zechium T. 1. *de Jure rerum Eccles. Sect.* 1. *tit.* 12. & Muratorii *Antiquitates Italicas medii ævi.*

3 Vide Bollandianos, & P. Remondinium *in vita S. Paullini Nolani.*

(*a*) *S. Hieronym. ad Rust.* (*b*) *S. Greg. in Dialog.*

in modum Ecclesiarum ingentes thesauri, & pretiosa metalla, quibus sacræ ædes fulgebant, totidem veluti pia Deposita erant, quæ publica quadam ingruente calamitate, pestilentia inquam, fame, & his similibus, continuo tanquam oblata bene illa erogandi præclara opportunitate ad communium levamenta malorum impenderentur. Nimirum conservandis vivis templis S. Spiritus templa ipsa, & templorum opes præsto erant. Etiam illa mancipia, quæ intra fines (a) Romani Imperii servitutem serviebant, maxime si christiana essent, & Dominos haberent Gentiles aut Judæos, Ecclesiarum bonis redimi solebant.

CAPUT XV.

Monasteria.

SUb hæc demum tempora, cum tranquilla Ecclesiæ, & stabilis affulsit libertas, monasteria exorta fuere. Quamdiu enim Tyrannorum vexationibus infesta erant omnia, nullibi Fideles, præterquam in desertis locis, tutum perfugium inveniebant, quare ad vastas solitudines, præcipue in finibus Ægypti sitas, multi secesserunt, quorum quidem nonnulli, quod reliquum erat vitæ, ibidem transegerunt, ut S. Paulus, qui primus Eremitarum habetur. S. Antonius, qui vitam initio Asceticam haud procul a patrio solo aliquamdiu egit, subinde in eremum abdidit sese, ubi remotus a periculis ac tentationibus, quas ferere hominum consuetudo, & frequentia poterat, majori & libertate, & securitate ad pietatem se exerceret. Princeps is fuit, qui ejusdem vitæ sectatores in eremo congregatos ad vitæ communis societatem in solitudine colendam traduceret. Isti enimvero non amplius Ascetæ simpliciter nominabantur, etsi vitam revera Asceticam viverent, sed partim *Monachi*, quod solitarie agerent, partim *Eremitæ* a locis, quæ habitabant, vocari cœpere. Qui in communi vivebant, *Cœnobitæ* nominabantur: *Anachoretæ* autem, qui, posteaquam in communitate diu vixerant, ibique perdomare, & frangere appetitiones suas didicerant, in interiora denique solitudinis concedebant. Quanquam & Cœnobitę admodum solitarii erant; quippe qui præter alios ejusdem instituti socios mortalium videbant neminem, semoti multorum itinere dierum a locis cultis, & habitatis, ævumque transigentes in terra deserta, & invia, & inaquosa, ad quam proinde frigida aliis ex locis afferenda erat. Quid? hi ipsi nunquam interdiu, sed vespere duntaxat noctuque, cum ad comprecationem conveniendum erat, inter se revisebant, diem, quam longa est, agere soliti intra Cellularum angustias, quas singuli, binive incolebant, labori manuum intenti, silentiique religiosi custodes. Denique Cellulæ ipsæ satis magno intervallo sejunctæ erant; siquidem in vastissimis illis solitudinibus nunquam deesse spatium poterat, quamlibet multis interque sese longius dissitis tuguriolis excitandis.

Non erat Sanctis Antonio, Hilarioni, Pachomio, aliisque horum discipulis, & imitatoribus propositum, ut novum vitæ genus, illoque, quod Majores ipsorum sectati fuerant, perfectius instituerent. Id solum spectabant, ut Evangelicæ perfectionis disciplinam, quam de die in diem magis defluere animadvertebant, in ea puritate, qua ipsam a suis Patribus veluti sacrum Depositum traditam accepere, diligenter ac fideliter conservatum irent. Eam ob causam prototypi loco ante oculos sibi statuebant Ascetas Antecessores suos. (b) Ita Cassiano teste, qui in Ægypto Monasticen excolebant, imitandos sibi sumebant Divi Marci Discipulos, qui intra suburbia Alexandriæ commorantes domi se tenebant, precibus, sacrarum literarum commentationi, & manuum labori vacantes, neque nisi nocte appetente cibum capere soliti. Adhæc primitivam Ecclesiam Hierosolymis quondam florentem, Apostolorum item & Prophetarum exempla, quæ pro vitæ norma haberent, sibi proponebant. Non aucupabantur popularem admirationem vitæ insolitæ ac præter modum austeræ ostentatione; quin potius id uni-

(a) Joan. Diac. in vita S. Greg. l. 4. c. 43. (b) Cass. 2. instit. 5. 12. coll. 5.

unice ac ſerio agebant, ut vitam ducerent vere & genuine chriſtianam. Liquet hoc ex omnibus (*a*) S. Baſilii regulis, quæ aliud nihil ſunt, quam compendium totius doctrinæ moralis Evangelicæ, cunctis Fidelibus a Chriſto Domino propoſitæ. Sic v. g. de habitu loquens, contentum, ait, vivere debere Chriſtianum iis veſtimentis, quæ ratio decori, & corporis a frigore, cæteraque aeris intemperie defendendi neceſſitas exigat, atque hoc ipſum, ut quam minima cura & ſollicitudine fiat, elaborandum; Idem jubet unam tantum veſtem a ſingulis adhiberi, quæ noctes ac dies uſui ſit, quod ſane in regione, ubi Sanctus degebat, factu proclive erat. Verbo, pauca in iis regulis continentur, quæ Monachis peculiaria plane ſint.

Quædam nihilominus erant ipſis omnino propria, ut, quod matrimonio, & rerum terrenarum dominio renunciare, quod conſuetudinem hominum etiam Chriſtianorum, atque adeo conſanguineorum vitare tenebantur. (*b*) De cætero erant hujuſmodi monaſticæ vitæ cultores boni ac probi Laici, ſuo labore & induſtria victum quæritantes, ſilentii ac ſeceſſus perſtudioſi, vitiis ſingillatim extirpandis attenti, ut, poſteaquam veluti in agone contendentes legitime certaſſent, ad eam denique animi puritatem eniterentur, quæ ipſos Dei & rerum divinarum aſpectu dignos efficeret. His principiis omnes illorum piæ exercitationes regebantur: Jejuniorum aſſiduitate primo ac præcipuo loco gulæ vitium & intemperantiam oppugnabant, tum ejus præſidio antevertere impuras tentationes, ſpiritumque ſuum veluti poſita carnis mole ſibi redditum, atque ad divina ſpeculanda magis idoneum perficere laborabant. Modum tamen in jejunando ſic tenebant, ut vires labori neceſſarias conſervarent, ſomno item modico ita fruebantur, ut tamen valetudini ea res fraudi ne eſſet, ſane hac vitæ methodo morbis & adverſa valetudine ſuperiores, ad ſeram ſenectutem ſani ac vegeti perveniebant. Quam plurimos in Vitis Patrum invenias nonagenarios, plures centenariis proximos, & nonnullos centenariis majores. Inter Ægyptios præſertim temperantiæ in victu præclara exempla animadvertere licet; ex his ſapientiæ fama præſtantiſſimi quique poſt maturam deliberationem (*c*) longo rerum uſu comprobatam victus ſui rationem in eos veluti cancellos redegerant, ut ſinguli ipſorum quotidie poſt Nonam duobus panibus veſcerentur, qui ambo duodecim unciarum pondus non excederent, frigida inſuper ſitim levantes. Præſens remedium ad luxuriæ & avaritiæ tentationes ſolitudo erat, cujus ope ipſæ adeo rerum imagines, quibus exſtimulari vitia illa ſolent, quantum quidem homini fas eſt, ex animis eliminabantur. Eidem avaritiæ bellum indicebant diligenti ſtudio ſummæ paupertatis, fideique & conſtanti animi inductione, nihil unquam proprium poſſidendi, verum id modo, quod ad vitæ propriæ ſuſtentationem neceſſe foret, retinendi reliqua parte in egenos diſtributa. (*d*) Tam ingentes porro erant hujuſmodi eleemoſynæ, ut, ſancto Auguſtino referente, naves interdum integras iiſdem onerari contigerit. Iracundiam, turbulentum & familiare nimium hominibus malum, ſilentii fræno & vitæ ſocialis uſu coercebant; hæc enim vita ſingulos obligabat, ut alter alterius onera portare aſſueſceret. Denique ſocordiam aſſiduo labore: triſtitiam precibus & pſalmorum cantu: vanitatem & elationem obedientia & mortificatione domabant.

Erant tunc inter Monachos, qui agriculturam exercerent, & operarum adinſtar meſſis aut vindemiæ tempore ſuos Dominis labores elocarent. (*e*) Verum perfectiores inter illos plus juſto diſtrahi animum hoc genere laboris animadvertentes, deliteſcere in cellis ſuis malebant, & ſtoreas, calathoſque ſive caniſtra ex junco & ſparto contexere; propterea quod hac ratione animus a meditatione ſacrarum Scriptu-

(*a*) *S. Baſil. Reg. fuſ. N.* 22.
(*b*) *Caſſ. inſtit.* 5. *c.* 12. *&* 16. *&* 6. *cap.* 7. 1. *Cor.* 9. *v.* 25. 2. *Tim.* 2. *v.* 5.
(*c*) *Caſſ. coll.* 2. *c.* 19. (*d*) *De Mor. Eccleſ.* 1. *c.* 67.
(*e*) *Caſſ. Coll.* 24. *de Mortific. c.* 3. *&c.*

pturarum non avocaretur, sed facultas relinqueretur mente ad cœlum identidem emicandi. Nemo tamen unus erat, qui ab exercitiis, ut dicere solemus, corporalibus penitus vacaret, aut libris saltem describendis non occuparetur. Cæterum in studia litterarum pauci admodum incumbebant, multi ne legere quidem sciebant. Neque tamen ea res obstabat, quin virtutis splendore maximam sibi venerationem, non modo ad vulgus, sed ad summos quosque viros utriusque ordinis & status sive laicalis, sive Sacerdotalis & Episcopalis conciliarent; ut adeo ex Monachis non raro sanctissimi quique, & Ecclesiasticis muneribus præ cæteris apti viri ad Ecclesiarum & Episcopatuum gubernacula evocati fuerint. Tunc enim vero ex umbra in lucem prodibant, monasterium cum civitate commutantes, & in frequentia hominum more cæterorum Clericorum agentes. (a) Nondum quidem per ea tempora solennium votorum nuncupatio usitata invenitur; nihilo tamen minus grande etiam tum nefas putabatur, si Monachus seu animi levitate, seu qua alia causa abstractus, solitariæ vitæ instituto ac veluti portu relicto in sæculi pelagus sese referret. Hujusmodi transfuga pœnitentiæ Ecclesiasticæ subjiciebatur, in bonis vero caducis aliam pœnam non subibat præter notam labemque nomini suo ea status permutatione inustam.

Tanta vero (b) Monasticæ vitæ erat tamque late celebrata sanctitas, brevissimi ut spatio temporis per Orientem universum plura non solum Monachorum, verum etiam Monasteriorum millia efflorerint. (c) Qui solam S. Pachomii regulam sectabantur, ad quinquaginta millia erant, per diversa quidem domicilia distributi, unius tamen Archi-Mandritæ imperio subjecti, & quotannis ad celebrandum Pascha convenire soliti. Facillimum porro erat ejusmodi Monasteria fundare. (d) Neque enim hominis ullius aut permissione, aut subsidio opus erat, ut liceret caduca omnia abjicere, in loca inhospita secedere, pauperculas casas ex ligno & arundine ibidem repertis exstruere, vitamque in silentio & labore degere non modo sine ullius mortalium incommodo, sed etiam magno rei communis compendio, propter eleemosynarum, quæ ex desertis, uti supra demonstravi, submittebantur, (e) copiosam largitionem usque adeo Monasteriorum numerus crevit, ut ex desertis locis in cultas regiones & confinia civitatum novæ ac religiosæ coloniæ deducerentur. Et sane iniquum videbatur, fertilissimas mundi ac lætissimas plagas, cujusmodi Italia, Sicilia, & Græcia sunt, tam piorum cœtuum fructu atque exemplo privare. Cæterum instituti sui usque retinentes Monachi, his etiam in regionibus perinde ac si in eremo degerent, clausuram & silentium studiose observabant. Jam qui viciniores urbi alicui vivebant, ad publicam Ecclesiam ipsi quoque recipiebant sese, Episcopalis instructionis & divinorum mysteriorum futuri participes; locum tamen, quemadmodum virgines ac viduæ in Ecclesia certum, atque a reliqua multitudine sejunctum habebant. Nihil tamen ea res impedivit, quo minus intra religiosa etiam septa Oratoria haberent, in quibus stato quoque tempore comprecationi operam darent. Qui vero longius ab urbibus aberant, nonnullos e suo numero Sacerdotes habebant, qui divinis rite operari, & Sacramenta impertiri cæteris possent; & progrediente tempore consultius visum fuit, ut in unoquoque Monasterio unus saltem Presbyter cum uno aut duobus Diaconis versaretur, qui Abbatis insuper dignitate sæpe fulgebat. Hac ratione nulla foras prodeundi necessitate compulsi, in Monasteriis quasi mortui in sepulchris delitescebant, id quod splendidæ excusationis loco obtendebat vaferrimus Hæresiarcha Eutyches, cum Patrum Concilii Chalcedonensis ora reveritus, sistere se sacro illi Senatui non auderet.

Monacharum etiam domicilia in eremis erant,

(a) V. Cass. coll. 17. 21. (b) v. Chrysostom. Homil. 14. in ep. 1. ad Timoth.
(c) S. Aug. de Mor. Eccl. 1. c. 67.
(d) S. Hieronym. præfat. in Reg. S. Pachom.
(e) All. Conf. 5. can. 535.

erant, ubi personæ sequioris sexus commorabantur, adeo vicinæ virorum Monasteriis, ut mutuum inde auxilium haberent, simulque adeo ab illis sejunctæ, nullus ut periculo aut suspicioni relinqueretur locus. Monachi Sanctimonialibus ædiculas exstruebant, aliisque in operibus, quæ majorem afferebant defatigationem, præsto illis erant; vicissim Sanctimoniales Monachis vestes consuere, aliaque id genus obsequia exhibere solebant, quæ tamen commercia charitatis nonnisi a senioribus quibusdam exercebantur, quibus solis ad hoc delectis Sanctimonialium habitationi appropinquare licebat. In urbibus etiam complures hujusmodi Parthenones fundabantur, in quibus consecratæ Deo Virgines, quæ in privatis antea ædibus vivebant, ad communis vitæ societatem colligebantur.

Episcopi, qui communis vitæ usum in Clerum suum invexerunt, exemplum ejus rei a vita Monastica sumpsere, ad ejusque normam, quantum per vitæ, ut vocant, activæ occupationes liceret, suorum disciplinam accommodarunt. Hinc est, quod istiusmodi Communitates non raro Monasteria nominata fuerint: imo processu temporis utrumque nomen confundi ac permisceri cœpit. (a) Sæculo Christi quinto Episcoporum, & Presbyterorum in Galliis, & Occidente pars maxima vitæ monasticæ institutum juxta, & habitum amplexi erant. Sanctus Gregorius Magnus posteaquam ex Monasterii latebris, in quas, sæculi pompa valere jussa, sese abdiderat, in lucem orbis terrarum eductus fuit, vitam nihilominus monasticam pro se ipse constanter coluit, & Monachis sanctimonia longe clarissimis palatium suum complevit, ex quibus Episcopos sane multos, magnique nominis Augustinum præcipue aliosque Angliæ Apostolos, creavit.

Vitæ monasticæ princeps usus is erat, ut ad majorem perfectionem ejus adminiculo eluctarentur, cum animæ primigenio innocentiæ flore adhuc candentes, tum reversi ad Deum peccatores, quibus propositum erat, contractas sordes voluntariis pœnis eluere. Ea causa fuit, cur in Monasteria cujuslibet conditionis ac ætatis personæ admitterentur; Parvuli quidem, ultro a parentibus oblati, ut mundanis periculis lubrica ipsorum ætas mature eximeretur, senes item, qui vitæ finem ac veluti extremum actum sancte obire desiderabant: denique matrimoniis illigati, quorum uxores in eandem vitæ rationem sua ex parte ineundam conspirabant. Diversis hujusmodi classibus diversæ item regulæ a S. Fructuoso Bracarensi Archiepiscopo conscriptæ leguntur. Alii vero, qui per aliquot aut plures annos ex Canonum formula pœnitentiam agere de suis criminibus debebant, multo sane commodius in Monasterio aliquo præstare id poterant, ubi & exempla communitatis novum stimulum, & seniorum blanda alloquia haud parum solatii afferre pœnitentibus possent; quam si iidem in turba hominum, aliisque Fidelibus permixti vitam austeram, & a communi consuetudine abhorrentem vivere vellent. Hunc in modum Monasteria alias carceris, alias exilii loco esse cœperunt, quibus persæpe summi quidam Viri conclusi fuerunt, Pœnitentiæ causa, quemadmodum in Gallia sub Regibus primæ, & secundæ stirpis (Merovingorum, & Carolingorum) & in Oriente post sæculum Christi sextum accidisse comperimus. [1]

CAPUT XVI.

Instituti Monastici cum vita primorum Christianorum comparatio.

Ex Monasteriorum hactenus descripta ratione luculenter ac prope ad oculum patuit Dei Providentia curaque plane singularis conservandi in Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi non modo puritatem in doctrina fidei, sed etiam in exercitatione virtutum perennem sancti-

[1] Innumeri sunt qui de Monachis agunt, Rosvveydus *ad vitas Patrum*, Bellarminus, aliique a Fabricio recensiti *Bibl. ant. p. 472. seqq.* Adde illis P. Zechium tum in *Hierarchia Ecclesiastica Tit. 33.*, tum *T. 1. de Jure Rerum Ecclesiastic. Sect. 1. Tit. 9.* doctissimum Garampium in libro cui titulus *Memorie Ecclesiastiche appartenenti all' istoria e al culto della B. Chiara di Rimini p. 399. & p. 52..*, Muratorium in *antiquitatibus medii avi.*

(a) *V. Thomass. verb. Monast. Joann. Diac. l. 2. c. 11. & 12.*

ctitatem. Qui enim reflectere animum voler ad ea, quæ de veterum Christianorum disciplina in secunda hujus operis parte dicta a nobis sunt, illaque conferre cum instituto S. Benedicti, & cum disciplina Monasteriorum, quæ hodiedum recte constituta sunt, ex facili, opinor, intelliget, parum inter utrumque vitæ genus interesse discriminis.

Dixeram eo loco, Christianos antiquiores negotium Religionis ac pietatis principe loco habuisse, cæteris omnibus rebus caducis eidem subesse, & famulari jussis; quid vero aliud Monachi faciunt, qui mundo nuncium remisere, quo majori libertate *unum* illud *necessarium* curent, & quibus eam ob rem *Religiosorum* inditum nomen fuit, quod in nascente Ecclesia bonis omnibus Christianis commune erat? iidem Monachi, Ascetæ & Virgines personæ *Devotæ* nominabantur, quo vocabulo toti Deo dicati, & mancipati intelligebantur.

Veteres illi Christiani sæpe partim communiter, partim privatim orationes ad Deum fundebant, eaque assiduitate ad consuetudinem orandi sine intermissione, quoad mortalibus licet, quam proxime accedebant; atque hæc ipsa orandi Dei ratio, & sacra Psalmodia nullibi melius ordinata, nullibi exactius observata notatur, quam in Monasteriis, in quibus ea sæculis facile duodecim elapsis, nihil a prima sui institutione, quam S. Benedicto debet, degeneravit. Cum porro curis omnibus Monastici Viri vacui sint, quæ ad hoc sacro penso avocare ipsos possent, nihil mirum est, in eodem rite persolvendo cæteris religiosiores eos fuisse; vulgoque existimatur, ab iisdem Officium Ecclesiasticum in eam formam redactum, & concinnatum fuisse, quæ inde a longissimo tempore ab universa Ecclesia in usum deducta fuit. (*a*) Illud profecto extra dubitationem est, Divinum Officium a S. Benedicto ita distributum fuisse, ut singulis hebdomadis Psalterium absolveretur. A Monachis etiam addita sunt Canonico Officio *Prima*, & *Completorium*, quæ initio privatæ solum preces erant in quavis familia christiana aut communitate religiosa ad diei cujusque initium, & finem Deo sacrandum recitari solitæ; quarum proinde stabilem, & publicum usum Cassianus affirmat novum esse, suoque primum ævo introductum. (*b*) In hisce omnibus eadem Canonicorum cum Monachis disciplina fuit; imo Canonici, si eorum principia spectes, Regulares erant omnes. Præterea sæpe antiqui Christiani ad divinam mensam accedebant, sæpe item Monachi; (*c*) Discipulos S. Apollonii quotidie accessisse Ruffinus author est. Diu quoque antiquissimum morem retinuere, tenendi apud se sacram Eucharistiam, quam ipsi sibi, cum Sacerdotis copia non esset, impertirentur.

Veteres Christiani toti erant in legendis sacris libris. (*d*) Idem in Regula S. Benedicti commendatur, quadragesimæ præsertim tempore, & Dominicis quibusque diebus, ut eo tempore lectio succedat operi manuum, quod cæterorum per hebdomadam dierum partem magnam occupabat, & cujus nostro in ævo vestigia quædam extant, etsi fateri necesse sit, genus istud monasticarum exercitationum minus, quam cætera, fuisse conservatum. Silentii custodia, quemadmodum supra dicebam, necessaria erat peccatis linguæ tam frequentibus inter homines, quam a sacra Scriptura reprehensis sedulo fugiendis, qualia sunt: obtrectationes, falsæ delationes, verba illiberaliter jocosa & histrionica, colloquia demum vana, *quæ ad rem non pertinent*. (*e*) Et animadvertere licuit, disciplinam eorum Monasteriorum magis adhuc vigere, in quibus silentii major ratio & cura habetur. Patrum & fratrum appellatio, pro cujusque ætate ac conditione, Fidelibus initio communis erat; iidemque Præsulibus & universis, qui authoritate in eos pollebant, magna submissione morem gerere, arctissimo inter se nexu charitatis conjungi, hospitalitatis in peregrinos & in egenos misericordiæ officia colere solemne habebant; quorum nihil non in monasteriis frequentari hodieque videmus.

C A-

(*a*) *Thomass. I. parte l. 2. c. 6. 7. 8. n. 2.* (*b*) *3. Instit. 4. 6.*
(*c*) *S. Basil. Ep. 289. ad Cæsar. Pater.* (*d*) *Reg. S. Bened. c. 48.*
(*e*) *Ad Eph. 5. v. 4.*

CAPUT XVII.

Monastici Habitus cultusque exterioris a communi usu diversitas, ejusque rei causa.

ERit fortasse, qui contra dicta proxime superiori capite ista objiciat. Si ita est, ut tu inquis, si monasticæ vitæ sectatoribus aliud nihil propositum erat, quam vitam ejusmodi instituere, quæ bonum Christianum condecet; cur tam singularia in speciem affectarunt? cur tam multa a reliquorum Fidelium consuetudine aliena præseferunt? quorsum ista in rebus mediis atque indifferentibus a communi more facta secessio? quorsum habitus vitæque totius exterioris ratio in victu, in somno, in habitatione adeo a cæteris hominibus diversa, ut inter Christianos totidem novas ac diversas nationes videre tibi videaris, quot extant hodie varii generis Religiosi Ordines? quo tandem spectat multiplex illa regularum differentia in rebus, nulla cæteroquin Dei lege seu imperatis seu prohibitis, quibus alii ab aliis ordinibus discrepant? Nonne ista studio excogitata ab iisdem videri possint, ut multitudinis in se oculis animisque conversis, vulgi plausum ac liberalitatem, suique reverentiam compararent? hæc sunt atque his affinia, quæ complures taciti secum animo volutant, quæque nonnulli palam etiam jactare non verentur nimis quam temere, & per summam antiquitatis ignorationem. Qui enim dedita opera dispicere hanc in religiosis ordinibus exterioris cultus diversitatem volet, nihil in his moribus novum & insolitum, sed potius residuæ antiquitatis luculentam imaginem ibidem animadvertet, a monasticis ad hæc usque tempora quam fidelissime conservatam, dum interea cæterorum mores hominum stupendum in modum mutatos atquæ innovatos videmus.

Age enim, ut a vestimentis exordiamur, jubet suos Alumnos S. Benedictus una tunica cum cucullo, & scapulari veste pro manuum labore, contentos esse. Tunica hujusmodi sine pallio multo ante vestimenti genus erat infimæ plebi usitatum, quam proinde plebem Poeta *Tunicatum Popellum* nominat:

Vilia vendentem Tunicato scruta Popello. (a)

Cucullus item capitis tegmen erat oblongum & acuminatum ab agricolis & pauperibus gestari solitum; quod subsecutis sæculis commune incœpit esse cujuscunque conditionis hominibus, nam & de Mævio servo Martialis ait:

Pullo Mævius alget in cucullo. (b)

Et de Mannejo, qui non modo ingenuus erat, sed etiam pro Equite se venditabat, idem canit:

Illinc cucullo prospicit caput tectus. (c)

Cumque tegmen hoc capitis ad arcenda frigora peropportunum esset, illius usus ex eo tempore ita conservatus fuit, ut nonnisi duo abhinc sæcula cessarit. Imo Clerici quoque, & litterati Viri, atque adeo nobiles ac proceres diversi generis capitia sive cucullos gestabant. Porro Scapulare a Sancto Benedicto præscriptum fuit, cum labori manuumque operi insistendum erat; & est sane hujus vestimenti ingens commoditas, cum ad scapulas in sustinendo onere muniendas, tum ad anteriorem tunicæ partem mundam sartamque conservandam. Patet igitur non alias S. Patriarcham filiis suis imperasse vestes, quam quæ pauperibus regionis illius communes forent, a quibus illæ nulla propemodum re differebant, nisi quod ejusdem omnes figuræ ac modi essent; id quod plane necessarium erat, ut a Monachis omnibus indiscriminatim adhiberi possent. Nemini vero mirum videatur, si sæculorum omnino duodecim intervallo in habitu Religiosorum S. Benedicti quædam in colore & forma introducta fuerit diversitas, pro Regionum videlicet ac Reformationum varietate. Quantum ad alios Religiosos Ordines inde a quingentis sexcentisve annis institutos; isti quoque vestimentorum illud genus retinuerunt, quod initio fundati Ordinis sui in usu esse intelligebant. Horum major

(a) Horat. l. 1. ep. 7. (b) Lib. 10. ep. 76. v. ult. (c) Lib. 5. Epigr. 14.

major pars a vestibus lineis abstinet, quæ res nobis oppido aspera & dura videtur; verum lineæ supellectilis usus longe post Divi Benedicti tempora primum invaluit; imo nostra etiam ætate nondum in Polonia communis omnibus est; in Turcia quoque universa sine stragulis lineis dormitur corpore semivestito. Et tamen prius etiam, quam linteamina insterni lectis, aliterque ad vestienda corpora applicari solerent, familiare hominibus erat, vestibus omnino positis somnum capere, uti hodiedum in Italia fieri assolet; Hæc causa erat, cur lege sancitum in monasteriis fuerit, ut cum vestitu quisque suo, ac ne cingulo quidem lumbis detracto, quieti se daret.

Jam ad victum quod attinet, supra jam demonstravi, non modo sapientissimos quosque Gentilium leguminibus & pisciculis victitasse, lectione insuper ad mensam adhibita; verum etiam Christianos probavi ad cætera Ecclesiæ universæ solemnia jejunia multa alia privata pietate addidisse, multasque sub initium ac finem epularum persolvisse preces. Nihil ergo novi, nihil a communi usu remotum (*a*) S. Benedictus suis præscripsit, quin potius paterna plane indulgentia erga eosdem usus fuit, ubi duo fercula cocta & vini nonnihil ipsis permisit. Manducandi & dormiendi tempora æqualiter omnibus definita erant, & usque ad postremum hoc sæculum observata fuere; nona aut decima hora matutina, ut hodieque opifices solent, prandebatur; sub horam porro sextam vespertinam cœnari mos erat; ex legibus politicis, quæ de componendo vesperi igne, & claudendis fabrorum ferrariorum officinis tractant, colligere licet, nocturnæ quietis tempora ab hora octava vespertina usque ad quartam matutinam numerari solita fuisse, quæ sane certissima regula est, dimidium noctis accurate metiendi, præterquam quod ista temporis distributione servata quam minima diei pars somno deperdatur.

Dormitorium nullo cellarum interpositu patens erat, (*b*) omnibusque commune, quemadmodum in regulis S. Benedicti adnotatur, illudque plane demonstrabat vitæ communis perfectam rationem; nam in communitate vivere, si proprie loqui velimus, nihil aliud est, quam eodem conclavi ad nocturnam quietem, eademque mensa ad famem depellendam uti. Magis etiam hac ratione paupertatis decus elucet, & quælibet virtus veluti in tuto ibidem versatur. Etenim superior nullo negotio observare omnia, & unico obtutu, siquid usquam citra modestiæ leges admitti contingeret, speculari potest, maxime cum ejusdem regulæ jussu Dormitorium lampade accensa nunquam non illustratum, lectulique ex culcitra straminea, & stragulo compositi in propatulo esse debuerint. Mos iste dormiendi in domibus Hospitalibus retentus est, quem profecto constat fuisse antiquissimum, & primis Christianis familiarem; Nam Auctor Recognitionum proponit nobis S. Petrum una cum tredecim discipulis suis eodem in conclavi cubantem; huc etiam pertinet syncellorum, de quibus supra, institutum, ad hanc dormiendi consuetudinem proxime accedens. Nihilo ferme minor cellarum antiquitas erat. Quanquam, ut vere dicam, qui primi deserta loca inhabitabant Cœnobitæ, non tam cellas, quam casas sive tuguriola singuli habebant inter se discreta, & Carthusiensium ac Camaldulensium cellis sive ædiculis haud absimilia. In Monasteriis tamen, ubi clausura strictior erat, angustiorque, cubicula hodiernis similia erant, cujusmodi olim in antiquis ædibus mancipiorum visebantur, quod enim pauperibus infimæque conditionis hominibus proprium erat, id suos in mores Monachi, Christianæ humilitatis ergo, invexere. Cellulæ porro istæ ad laborandum, ad legendum, & ad privatim orandum Deum aptæ erant.

Denique videor mihi in Monasteriis invenire adhuc vestigia quædam veteris architecturæ, qua Romanarum ædium partes antiquitus ordinari solebant, qualemque Vitruvius & Palladius nobis describunt, Ecclesia, quæ in monasticis ædificiis

(*a*) *Reg. S. Bened. c. 39. & 49.* (*b*) *c. 22.*

ctis primum semper & anteriorem locum occupabat, ut nempe sæcularibus etiam accessus ad easdem pateret, successisse videtur primæ sive anticæ domuum antiquarum parti, quam Romani *Atrium* vocabant; hinc in aliud Atrium pergebatur, porticibus desuper clausis circumdatum, quod ex græco *Peristylium* appellabatur; secundum hoc atrium Monasterii partem illam repræsentat, in quam ex Ecclesia intrabatur, & quæ proprie Monasterii claustrum nominatur, ex quo in cæteras Religiosi ædificii partes introitus patet, cujusmodi sunt Capitulum & Refectorium, quorum illud antiquis Exedra, istud vero Triclinium dicebatur, demum hortus extremum plerumque Monasterii locum obtinet, id quod in antiquis ædificiis pariter usuveniebat.

Utcunque ista se habeant, illud certum exploratumque est, sanctos Viros regularum Monasticarum Conditores nec novitatis aliquid in Religionem nostram inducere, nec a reliquo cœtu Fidelium exotica vitæ ratione discedere cum suis voluisse. Nam ea, quæ in Monasteriis extraordinaria videntur esse, non tam Monachis ipsis, quam reliquis hominibus, qui a priscis illis moribus defecere, tribuenda sunt; perinde ac antiquissima ædificia singularia haberi cœperunt, propterea quod ea sola temporum injuriis superiora plurimorum spatio sæculorum ætatem tulerint; utque sapientissimus quisque Architectus ædificia ex antiquitate residua præcipuo studio inspicere, & contemplari solet, probe gnarus, non aliunde artem suam postremis hisce temporibus denuo suscitatam fuisse, quam ex antiquorum ædificiorum veluti excellentium prototyporum proposita ad imitandum forma; ita optimi quique Christiani, ut viva & spirantia veræ virtutis exempla condiscant, haud perfunctorie observare debent, quæ in Monasteriis regulari observantia florentibus recepta usu vident. Haud equidem me fugit, pauca illorum superesse, quibus ipsa temporis diuturnitas, ut fit in humanis rebus, remissionis & laxamenti aliquid non attulerit; sed nimirum pauca etiam atque adeo nulla hodiedum ex antiquitate remansere ædificia, quæ vitium fecerint omnino nullum; imo quam plurima eorum videas adeo male habita, ut præter rudera & parietinas nihil supersit, & tamen qui has ipsas ruinas attenta cura inspicere, qui fragmenta etiam exigua tam pretiosæ antiquitatis, veluti membra quædam & articulos elegantissimi quondam corporis, investigare velit, eaque cum iis, quæ hanc in rem ab idoneis authoribus scripta leguntur, conferre & comparare, inveniet denique atque extundet ex his reliquiis totius veteris structuræ symmetriam occultumque artificium, & sensum scriptorum, qui de hoc argumento disseruerunt, assequetur. Haud absimili modo plurimum utilitatis afferet, diligenter inquirere in exercitationes Monasticas, maxime si ad eas accedat studium Regularum ab Auctoribus sacrorum Ordinum præscriptarum, lectio item Canonum, Evangeliorum & Vitarum Sanctorum, quibus nulla Ecclesiæ ætas vacua fuit. Interea fateamur necesse est, in Monasteriis veluti in totidem Gazophylaciis totius retro antiquitatis asservari thesauros. Hinc eruti maxima ex parte sunt manuscripti Codices, quorum ad instaurandas humaniores artes ingens usus fuit; hic Patrum opera, & Conciliorum Canones in lucem protracti; hic demum ex Monumentis antiquarum in Monasteriis consuetudinum varia indies deteguntur, quæ ad illustrandam Ecclesiasticam antiquitatem docte curiosis hominibus jucunde mirificeque serviunt. Ad extremum perfectionis Evangelicæ exacta observatio in Monasteriis, uti aqua in fonte diligenter custodito, pura ac defæcata usque permansit; cum interim eadem olim tam sancta disciplina per sæculi cœnosas paludes decurrens semper magis magisque inquinaretur, qua de re postrema hujus dissertationis parte agendum erit. [1]

C A-

[1] Confer. Johannem Cassianum in *lib. de institutis cœnobiorum*, Bollandianos T. 1. Junii *p.* 418. *seq. Antuerp. edit.*, & Zechium in *Hierarchia Ecclesiastica Tit.* XXXV.

AD CAPUT I.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De ritibus olim in Baptismo adhiberi solitis

DISSERTATIO I.

I. Baptismi tractatio aliis quibuscumque Sacramentis præmittenda est, cum sit, & reliquorum Sacramentorum janua, & ad ipsam Christi Ecclesiam necessaria introductio; nec sine illo haberi possit animæ salus, attestante salutis omnis auctore Christo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Est quippe Baptismus nativitas ad supernaturalem vitam, omnisque sanctitatis primordium, & fons; ab æterna morte traductio ad deiformem, æternamque vitam. Adeo ut Gregorius Nazianzenus or. 4. ad sanctum Baptismum non dubitet istud tam necessarium, & saluberrimum mysterium proclamare τῶν τῶ θεῶ δώρων τὸ κάλλιςον, καὶ μεγαλοπρεπέςατον *Donorum omnium Dei pulcherrimum, & magnificentissimum*.

II. Quæcumque nunc cæremoniæ Baptismo adhibentur, eædem omnes apud priora Ecclesiæ sæcula usitatæ fuerunt, catechismi, exorcismi, insufflationes, unctiones verticis, scapularum, & pectoris: quarum mysteria ab antiquis Patribus exponuntur; præsertim a Tertulliano tractatu de Baptismo, adversus Quintillam; & a Cyrillo Hierosolomitano in catechesibus. Illinebantur pariter, sicut nunc, oleo sacro neophytorum aures, & nares: quem ritum pulcherrimo sermone Augustinus elucidat, ut per hoc singuli fidelium admoneantur, aures quidem eloquiis perniciosis occludere, atque ad excipiendum bonum Christi odorem nares animi aperire, ut cum sacra sponsa post fragrantiam unguentorum ejus curramus, quandiu vita nostra respirabit. Quæ tamen olim oleo liniebantur baptizandorum aures, & nares, nunc saliva.

III. Aspirantes ab Baptismum, qui Catechumeni vocabantur, in duplici erant differentia, audentium scilicet, & competentium. Circa competentes præcipua versabatur Sacerdotum cura. Jam enim sufficienter fidei mysteriis imbuti, scriptisque eorum nominibus, præparabantur omni pietatis, & pœnitentiæ dispositione ad Sacramentum suscipiendum, & ad singulos ritus, & ad interrogata responsiones rite obeundas. Ad hos diriguntur Augustini sermones, inscripti, *ad competentes*; Cæterorum, qui auditores dicebantur, differebatur Baptismus ad tempora remotiora.

IV. Licet autem Apostolica traditione receptum esset, ut infantes baptizarentur secluso etiam vitæ periculo, hoc tamen fiebat invito admodum Tertulliano, atque etiam vituperante: sed futili prorsus, & inani argumento, dum c. 18. de Baptismo ita conqueritur: *Cur festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Perinde ac si auctor iste Pelagio præcurrere, illiusque hæresim peccati originis impugnatricem prævertere studuisset. Tunc vero nulla præcedebat catechesis, & ministri assumebantur, ac sponsores, qui pro puero baptizando responderent conceptis verbis. Tempora baptismo, citra necessitatis casus, præfinita erant sabbatis Pascha, & Pentecosten præcedentibus, ut statuit Papa Siricius epist. ad Himerium Tarroconensem Episcopum c. 2. Leo Magnus epist. 4. & 80. Gelasius epist. 1. c. 12. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in Sanctum Baptisma: in qua tertium prætereadiem assignat Epiphaniam: sed istud ad localem quandam consuetudinem pertinebat. Et Tertullianus, diversique veteres Canones diem excludunt

Epi-

Epiphaniæ ab hoc Sacramento, solaque duo sabbata commemorata huic muneri assignant.

V. Præmittebatur adultorum Baptismo peccatorum omnium secundum distinctas species ad aurem Sacerdotis confessio, quæ Græcis Exomologesis dicitur. Non enim pudori parcebatur, qui nullus fuisset in generali, & publica peccatorum confessione, qualem edit Sacerdos sacram Missam inchoans. Hujus rei testes sunt omni exceptione majores Tertullianus l. 6. de Baptismo cap. ult. *Ingressuros Baptismum*, inquit, *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptismum Joannis; tingebantur*, inquit, *confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras*. Hæc Tertullianus. Quod idem testatur Cyrillus Jerosolimitan. Catech. prima; Gregorius etiam Nazianzenus orat. 40. in sanctum baptisma cujus ista sunt verba: *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Joannes baptizaverit ut per istius vitæ pudorem, alterius vitæ ignominiam devites, notumque facias te serio, atque ex animo peccatum odisse, ac detestari dum illud tamquam contumelia dignum traducis, deque eo triumphum agis*.

VI. Immediate ante baptismum denudabantur intra baptisterium catechumeni, viri a Diaconis, fœminæ a Diaconissis, atque quasi Christi Atletæ inungebantur ab hierarca in tribus corporis locis, ut scribit Dionysius Eccl. Hierar. c. 3. Quod intellige in vertice, in pectore, atque inter humeros: quam unctionem reliqui ministri prosequebantur per totum corpus, Diaconi videlicet in viris, Diaconissæ in fœminis. Idem confirmat Cyrillus Hyerosolimitanus catech. mystagog. 2. dicens: *deinde vestibus exuti oleo exorcizato uncti estis a summis capillis usque ad infima corporis*. Severus præterea Alexandrinus tract. de Baptismo hæc ait: *Educit baptizator baptizatum de medio aquarum, & dat eum susceptori suo, & ungit omnia membra ejus, & manus, & pedes, & nares, tum demum induitur suis vestimentis*.

VII. Ritus baptizandi antiquissimus, & communis erat per trinam immersionem, quam indicat Apostolus Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum Christo, per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos ambulemus in novitate vitæ. Si enim complantati facti sumus similitudinis mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Eadem fere repetit, & commemorat Colos. 3. Quamvis ergo immersio plus haberet incommodi, & pudoris, quia tamen plus habebat mysterii ob Dominicæ mortis, sepulturæ, & resurrectionis conformitatem ac similitudinem majorem, erat in ordinario Ecclesię primitivæ usu; neque adhibebatur infusionis ritus, nisi erga periculose ægrotantes. Nunc vero major habetur incommodorum corporis atque pudoris ratio, simulque amovendarum tentationis illecebrarum, adeo ut ritus immersionis jam ubique propemodum exoleverit.

VIII. Hincmarus Rhemensis Metropolites in sua ad Presbyteros epistola de Baptismo, meminit salis, quod in os baptizandi solet ingeri, ut catechumeni putrida, & fluxa peccata sale, quod est sapientiæ symbolum, ac hieroglyphicum, munere divino mundentur. Catechumenis etiam auditoribus necdum competentibus pro sacramento gustandum præbere consueverat Ecclesia in communionis indicium. Id attestatur Concilium Carthaginense III. can. I. V. ita statuens: *Placuit ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Ibi eulogiæ sacramenti nomine honestantur, qui catechumenis tribuebantur in signum pacis, ac benevolentiæ, & communionis per fidem. Quo spectat istud Augustini testimonium lib. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 6. *Id quod accipiunt catechumeni*, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quia est Sacramentum, cum sit sacræ rei signum aliquod.

IX. Altera baptismi cæremonia ipsa est linitio, qua aures, & nares saliva persunduntur a ministro baptismi, ut quemadmodum cæcus in Evangelio Marci cap. 7. luto e terra cum saliva Christi commisto lu-

lumen recepit, sic intelligamus eam sacræ hujus ablutionis vim esse, ut mentem ad divina perspicienda illustret. De hoc ritu hæc perhibet S. Ambrosius lib. 1. de Sacrament. capite 1. *Quid egimus Sabbatho? nempe apertionem, qua mysteria celebrata sunt apertionis, quando sibi aures Sacerdos tetigit, & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus quum ei oblatus esset surdus, & mutus, & tetigit aures, & os ejus: aures quia surdus erat, & os quia mutus: & ait Ephpheta quod hebraicum verbum est, & dicitur adaperire, quia mutus erat, os tetigit. Quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas, Christi bonus odor sumus: Quemadmodum dicit sanctus Apostolus 2. Cor. 1. & sit in te fidei, & devotionis plena fragrantia.*

X. Solemni Baptismo duo alia ut plurimum Sacramenta jungebantur, Eucharistia, & Confirmatio: ut liquet ex Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Jerosolymitano, Ambrosio, & Chrysostomi ad Innocentium Papam epistolis, facinus enarrantibus quod acciderat intra baptisterium, quando eruptione militum Christi sanguis præparatus ad neophytorum communionem effusus est, exutæque ad baptismum fœminæ gravis contumeliæ discrimen subierunt. Albinus Flaccus, sive Alcuinus, qui sub finem octavi sæculi floruit lib. de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancti Paschæ, hæc scribit: *Ipsis etiam infantibus tria uno die conferri Sacramenta, atque post trinam immersionem ubi præsens est Episcopus, chrismari ad Confirmationem, & mox sacra Eucharistia refici.* Hoc tamen districte admonet, ne lactentur infantes, antequam communicaverint.

XI. Testes sunt Tertullianus de Corona militis c. 3. & Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, moris fuisse, ut recens baptizatis exhiberetur lactis, & mellis degustatio. Quo ritu mystice significabatur hac spirituali ad cœlestem vitam nativitate, quasi modo genitos infantes deberenos ad innocentiam, & morum simplicitatem reformare, ut ibidem Hieronymus exponit. Quæ eadem res indicatur per vestem candidam, qua induebantur qui de aquis baptismi emerserant.

XII. Consuetudo Mediolani, aliisque quibusdam in locis, non tamen Romæ, invaluerat, ut Episcopus linteo succinctus, baptizandorum pedes ablueret, antequam ad fontem deducerentur. Id testatur Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. & lib. de his qui misteriis initiantur, cap. 48. Ejusdem meminit pariter Augustinus epist. 118. ad Januarium in fin. Quem morem abrogat in Hispaniis Concilium Illiberritanum can. 48. dicens: *Nec pedes eorum, qui baptizantur lavandi sunt a sacerdotibus aut Clericis.*

XIII. Quod de Christi Salvatoris baptismo enunciaverat S. Præcursor Joannes Baptista Matth. 3. *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne*, crasso intellectu, & pingui minerva concipientes quidam hæretici dicti Seleuciani, quos memorat S. August. lib. de hæresib. ad Quodvultdeum hære. 59. nullam in suo baptismo adhibebant aquam, sed tantum modo ignem, qui metaphorice sanctum exprimit Spiritum: quia quæ corporaliter ignis operari solet, eadem exequitur in animo divinus Spiritus: illustrat namque mentem, peccata, pravosque habitus absumit, sacrumque inspirat charitatis ardorem. Ideoque sæpius sub specie ignis legitur apparuisse.

P. D. G.

P. D. C. CHARDON BENEDICTINI

DE BAPTISTERIIS

DISSERTATIO II.

Nunc primum latine reddita ex ejus historia Sacramentorum, & a F. A. Z. S. J. adnotationibus illustrata.

I. DUbitandum non est, quin antequam Ecclesias construxissent Christiani [1], ac persecutionum tempore, quo raro admodum, magnisque cautelis conveniebant, Baptismum ubicumque licebat, fuisse collatum. Post ipsam redditam Ecclesiæ pacem sæpe videre erat non tot quin plures, qui in Jordane baptizari vellent. Constantinus Magnus vehementer optavit, in eo fluvio, cujus aquæ a Salvatore nostro consecratæ fuerant, regenerationis Sacramentum suscipere, ut ex Eusebio (lib. 4. de Vita Const. c. 62.), ac Theodoreto (lib. 1. hist. Eccl. c. 32.) accepimus. [2] Deo Apostolicis S. Augustini, sociorumque suorum curis mirifice favente, hi diversis in fluviis multa Anglorum millia baptizarunt, nondum enim erant baptisteria, in quibus possent Sacramentum hoc celebrare, ut testificatur Venerabilis Beda in sua Anglorum historia (lib. 2. c. 16. & 19.) Tandem exempla habemus Baptismi Catechumenis Confessoribus in carceribus, [3] atque infirmis privatis in domibus [4] administrati.

II. Sed generatim loquendo persecutionibus Ethnicorum cessantibus Baptismus publice in Ecclesiarum baptisteriis [5] traditus est,

---

1 Sic Johannes baptizabat in Jordane; Philippus quoque Eunuchum in solitudine baptizavit, Tertullianus *Petrum* in *Tibri* conversos suos tinxisse scribit (*de Bapt. c. 4.*) ut Johannes in Jordane fecerat, nullamque distinctionem esse addit, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, omnes enim aquas de pristina ordinis prærogativa Sacramentum Sanctificationis consequi invocato Deo. In hunc modum auctor Recognitionum sub nomine Clementis Romani (*l. 4. c. 32.*) Petrum Apostolum repræsentat populo prædicantem, & dicentem, *ut in præsenti quidem tempore diluantur peccata vestra per aquam fontis, aut fluminis, aut etiam maris, invocato super vos trino beatitudinis nomine.* Suum quoque ipsius & aliorum quorumdam baptismum, ut a Petro in certis fontibus Syriæ mari contiguis datum describit idem auctor (L. VI. n. 15.). Tertulliani porro, atque adeo Justini M. temporibus idem mos videtur fuisse deducendi baptizatos ad fluvios. Nam ille (*de cor. mil. c. 3.*) ait: *Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo.* Justinus vero (*Apol. II.*) *deinde*, inquit, *eo adducuntur a nobis ubi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.* S. Victor Massiliensis Martyr sub Maximiano in suis apud Ruinartium actis (p. 260. Veron. edit.) dicitur conversos sui carceris milites *pro tempore diligenter instructos, adscitis Sacerdotibus ipsa nocte ad mare duxisse, ibique baptizatos propriis manibus de fonte lavasse.*

2 Idem etiam Basilio Magno desiderium insederat, ut testatur Amphilochius, aut quisquis alius est, ejus vitæ auctor (c. 4.). Sed S. Hieronymus (*de locis hebraicis*) ait: *Bethbaara trans Jordanem, ubi Johannes in pœnitentiam baptizabat; unde & usque hodie plurimi de Fratribus, hoc est de numero credentium ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.* Præterea multo post ea tempora Baptismum in Epiphania eo in flumine celebratum esse constat ex itinerario Antonini Martyris, cujus verba recitat Martenius l. 1. c. 1. a. 2. num. 3.

3 Vide acta SS. Montani & Lucii, ibique reperies Donatianum in carcere baptizatum. Rogatianus quoque, de quo Acta SS. Fructuosi, & Sociorum a Ruinartio edita, in carcere ablutus fuit.

4 Exemplum sufficiat Novatiani, qui urgente morbi necessitate in lecto baptizatus fuit ab Exorcistis, ut docet Cornelius Papa apud Eusebium (*lib. 6. hist. c. 43.*). Id quoque cum aliis infirmis observatum ubique est, qui ipso in lecto perfundebantur, *Clinici* propterea dicti; quamquam exceptis infirmitatis, proximæque mortis casibus baptismum domi celebrare vetitum fuit, non a sacris canonibus tantum, qui baptismum hunc *parabaptismum* appellant ut a Conc. Constantinopolitano sub Menna Act. I., sed etiam ab Justiniani legibus (Nov. 42. c. 3. & Nov. 58.). Adi Binghamum l. XI. c. 6. §. 12.

5 Ita quidem usitatiore vocabulo appellantur; sed *sinctoria*, & Baptisterii Basilicam ea ab Ambrosio dicta reperio (lib. de initiandis mysteriis c. 5.), itemque *secundum tabernaculum ubi virga Aaron floruit* (l. 4. de Sacr. c. 1.) Cyrillus vocat (Catech. 1.) *vestibulum seu porticum domus baptisterii;* Fortunatus (lib. 2. carm. 12.) & Gruteriana inscriptio quam num. Sequente reddemus, *aulam baptismatis*. Græci passim illumina-

est, quæ ædificia erant rotunda [1] & a Basilicæ corpore, & ab ipso vestibulo segregata [2]; ad dexteram autem qua ad idem vestibulum patebat aditus, collocata, nempe a meridionali Ecclesiæ latere plerumque sita erant. Dico *plerumque*, in more enim erat orientem versus extremam Ecclesiæ partem convertere, quantum per locum licebat; erant tamen olim plures Ecclesiæ, atque hodiedum supersunt aliquæ, quæ aliter sunt constitutæ, seu ob eam quam indicavimus, loci caussam, seu quod in Ecclesias fuerant immutata idolorum templa, aut Basilicæ diversa admodum ratione constructæ, ita ut etiamnum Ecclesias videre sit, in quas aditus ad Occidentem haud vergit, cujusmodi est Romæ Ecclesia S. Petri, cujus altaria versa non sunt ad orientem. Socrates (*l.* 5. *c.* 22.) quoque testificatur, aram magnæ Ecclesiæ Antiochiæ ad occidentem fuisse conversam; januæque magnifici templi S. Sepulcri, cujus Eusebius (*lib.* 3. *Vit. Const. c.* 37.) descriptionem nobis reliquit, erant ad orientem constitutæ. S. Paulinus a communi regula Ecclesias contra orientem collocandi minime veritus, Basilicam versus S. Felicis eam convertit quam Nolę ædificavit.

III. In majoribus Urbibus ingentia adeo atque ampla erant hæc Baptisteria, ut magni in illis conventus haberi possent. Concilium a S. Flaviano habitum, in quo Eutychetis hæresis primum proscripta fuit, in Baptisterio coactum fuit Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac S. Chrysostomus suos ibi celebravit conventus cum XL. Episcopis, dum Theophilus ejusque sectatores in Concilio ad Quercum in eum inquirebant. P. Mabillonius in suo Itinere Italico refert vidisse se in pluribus Urbibus ejusmodi Baptisteria ab Ecclesiis disjuncta, ac præ ceteris Novariæ, Romæ, Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, aliisque in locis. Turonis quoque Baptisterium Ecclesiæ S. Martini videre est, quod ab Ecclesia ipsa separatum, Canonicis autem capituli locus. [3] Ducangius in suo Glossario Florentinum Baptisterium hisce verbis describit: *Florentiæ*

minatorium; qua de voce consule sis Lacerdam nostrum (Advers. Sacr. cap. xxi. n. 51.); *piscinam* Sidonius Apollin. lib. 2. epist. ad Domit. aliique (confer Beveregii notas ad can. XI. Concilii Nicæni, & VVedder Kampium de Baptist. Veter. c. 1. n. xx.); *Templum Baptismatis* Gregorius Turonensis (*lib.* 2. *hist.* Francorum). Aponius antiquus Scriptor (l. 3. comm. in Cant. cant. Biblioth. Max. SS. PP. T. XIV.) *fontes hadornm*. *Fons* etiam dicitur Baptisterium. Singulare nomen est, quod hodieque apud Aquilejenses Baptisterium obtinet, nempe *Ecclesia Paganorum*; de quo vide Cl. P. de Rubeis in *D.ss. de Sacr. Forojul. Ritib. c. XXVII. p.* 372.

1 Vetustus Theclæ fons Mediolani octagonus erat. Docent id carmina olim ibi insculpta, atque a Grutero descripta (1166. 8.)

Octachorum Sanctos templum surrexit in usus
Octagonus fons est, munere dignus eo
Hoc numero decuit Sacri baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit

Baptisterium instar rotundæ turris indicat S. Paullinus (epist. XII.) ad Severum his versibus

Iste duas inter diversi culminis aulas
Turcito fontem tegmine constituit

Aquilejense Baptisterium hexagonum erat, uti & Parmense quod hodieque exstat. Confer P. de Rubeis in Diss. de Sacr. Forojul. Ritibus cap. XXVII. n. 2.

2 Plura in hanc rem adduci possent veterum testimonia Paullini (*ep. XII. ad Severum*), Fortunati (*lib.* 2. *carm.* 12.), Gregorii Turonensis (*lib.* 6. *hist. c.* 11.). His missis audiamus Cyrillum Hierosolymitanum (*Catech.* Myst. 1.): *primum ingressi estis in porticum baptisterii*. Anastasius vero in vita Hadriani Papæ ait, *Carolum M. Francorum Regem cum clero & populo Romano Sabbatho Sancto stetisse in Ecclesia Lateranensi, quousque in baptisterio Sacramentum baptismatis conferret Pontifex*. Nam quod Prudentius contra Symmachum baptisterium intra ædes Lateranenses fuisse indicet dum canit

Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat
Quo cinis ille latet, genitoris amabilis obses
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes
Unde Sacrum referunt regali chrismate signum

quod, inquam, Prudentius baptisterium intra ædes Lateranas fuisse indicet, ita accipiendum viri docti jamdudum monuerunt, ut prope Lateranas ædes fuisse intelligatur, sed cum Ecclesia Lateranensi, cui proximum erat, unum veluti corpus effecisse. Sanctus quoque Bonifacius quum Monasterii B. Altonis Ecclesiam consecrasset, ita ut præter solitum morem feminis ad eam liber pateret aditus: *fontem deinde quemdam in eodem loco juxta Ecclesiam positum ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere*, ut in ejusdem Altonis vita legimus. Vide etiam adnot. XV. Sed quæ ex Paullino recitabimus carmina (adnot. XIII.) suspicionem movent in ipsis ædibus S. Felicis Baptisterium fuisse, etsi in remotiore quodam loco constitutum

3 Cernebatur olim Baptismalis Ecclesia in australi parte Cathedralis Hildesheimensis, ex vita S. Godehardi num. 23. apud Bollandum 4. Maii.

tiæ in Italia e regione maximi Templi Ecclesia est rotunda Sancto Joanni Baptistæ sacra. Hanc Baptisterium appellant. Tota hæc marmorea habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium e marmore lucidissimo positum visitur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacrum percipiunt. [1] Johannes quoque Diaconus in suo de Ecclesia Lateranensi libro (c. 12.) animadvertit, fontes Baptismales ibi esse rotundos, atque porphyreticas inter columnas positos in medio Ecclesiæ. Baptisterii ipsius forma eodem Johanne auctore rotunda est. Ad sacros hosce fontes certo graduum numero plerumque descendebatur; hi autem septem erant juxta plures auctores (Theodulphum Aurelian. *l. 2. de Bapt.* c. 13. Hugonem Flavin. *in Chron. Vird.*) quod quidem non generatim accipiendum, sed de pluribus locis. [2] Ex his gradibus tres descensui ad quartum deserviebant; super hoc catechumeni immergebantur; per tres alios iterum adscendebant; aut potius hi gradus ita dispositi erant, ut Sacerdos, & Patrinus a quibus tenebatur, qui in sacrum balneum immergebatur, possent singuli seorsum, nec difficulter adscendere, quemadmodum quartum gradum uterque descendebat. Ita intelligenda mihi videntur quæ ait S. Isidorus (l. 2. de div. off. c. 24.) de gradibus, qui in baptismalibus fontibus habebantur. En ipsa ejus verba, quibus hosce gradus allegorice explicat. *Fons autem omnium gloriarum origo est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu .... tres in ascensu .... septimus vero is est qui & quartus, stabilimentum pedum &c.* [3]

IV. Quemadmodum non nisi bis aut ter in annum traderetur alias baptismus, ut in superiore capite animadvertimus, & plura hominum millia præsertim in magnis urbibus simul baptizanda sæpe accurrerent; ita in eodem Baptisterio plures erant baptismales fontes. Id hodieque in Pisano Baptisterio videre est, ut nos docet P. Mabillonius in suo itinere Italico. Anastasius Bibliothecarius pretiosa sæpe commemorat ornamenta quibus Pontifices Baptisteria locupletabant, ac D. Fleury quæ hic auctor habet, in sua historia Ecclesiastica refert, quod post narratam Pontificum, qui ejusmodi munera obtulerunt, mortem facere consuevit. Consule illum. [4] Quod ad nos spe-

---

1 Uberiorem Florentini Baptisterii descriptionem elaboravit Clariss. Gorius ejusdem Baptisterii Præpositus cap. 1. sui *de mitrato Jesu Nazareni Crucifixi capite* commentarii, qui in tertio Symbolarum litterariarum volumine prodiit, & P. Richa in Ecclesiis Florentinis Tomo V.

2 Vide de Pisano Baptisterio Ciampinum (Vet. Mon. T. II. p. 22.)

3 Eadem fere habet pseudo-Albinus (de divin. Offic. cap. de Sabb. S. Paschæ)

4 Picturis variis ornari solebant baptisteria; ex cujusmodi fuerint discimus ex Ægidio Monacho Aureævello in Oberto Episc. Leodiensi c. 28.

Fontes fecit opere fabrili
Ære vix comparabili
Duodecim qui sustinent
Boves typum gratiæ continent.
Materia est de mysterio
Quod tractatur in baptisterio.
Hic baptizat Johannes Dominum;
Hic Gentilem Petrus Cornelium,
Baptizatur Craton Philosophus:
Ad Johannem confluit populus.
Hoc quod fontes desuper operit
Apostolos, & Prophetas exerit.

Varia quoque anaglypha baptisteriis erant ornatui, Angeli, aves &c. Inscriptiones etiam addebantur. Ecclesia Nativitatis Domini apud Bethlehem, de qua Eusebius de Vita Const. l. 3. c. 42., antiquum habet Baptisterium in australi parte cum hac epigraphe.

ΥΠΕΡ ΜΝΗΜΗC ΚΑΙ Α

ΝΑΠΑΥCΕΩC ΚΑΙ ΑΦΕ

CΕΩC ΑΜΑΡΤΙΩΝ Ω. Ν. Ι.

ΚΣ ΓΙΝΩΣΚΕΙ ΓΕΝΟCΚΙ ΤΑ ΟΝΟΜΑΤΑ

nempe ut vertit Ciampinus (in Synopsi hist. de Sacr. ædif. a Constant. extructis c. 24. p. 152.) *pro memoria & quiete*, & remissione peccatorum O. N. I. (his litteris asterisco obsignatis ipsa videntur denotari no-

spectat, illud nobis satis sit dicere Altaria in baptisteriis erecta fuisse ad sanctum sacrificium celebrandum, & communionem deinde Neophytis administrandam, qui post susceptum confirmationis sacramentum aderant sacris mysteriis, atque communicabant. Hilarius Papa in Baptisterio Constantinianæ Basilicæ tria erexit Oratoria, seu altaria, ut refert Anastasius, quorum primum dicatum erat S. Joh. Baptistæ; secundum S. Joh. Evangelistæ, tertium S. Cruci. De Symmacho autem Papa idem Anastasius ait, eum *ad fontem in Basilica S. Petri Apostoli Oratorium Sanctæ crucis ex argento, confessionem & crucem ex auro* excitasse. Pisano quoque Baptisterio, ut idem P. Mabillonius adserit, adhæret etiamnum altare cum globo super illud concavo, in quo Eucharistia olim ad usum, ut verisimillimum est, recens baptizatorum adservabatur. [1]

V. Ejusmodi erat vetustioribus temporibus ordinaria Baptisteriorum forma, & locus. Baptisteria deinde, quæ juxta Cathedrales Ecclesias fere constituta erant, dicta sunt Ecclesiæ, seu Parœciæ. Hinc in pluribus Episcopalibus Urbibus Ecclesias videmus S. Johannis rotundi, cujus nomen suam satis originem demonstrat, S. Johannis claustri in Tullensi urbe, & S. Johannis Virduni in Lotharingia, quæ principibus Ecclesiis ferme adhærent. Eo autem facilius fuerit in Ecclesias convertere hæc vetera Baptisteria, quod aliquando dedicabantur, atque consecrabantur, [2] hujusque dedicationis, quæ Episcopo etiam reservata erat, ut ex aliquibus antiquis monumentis constat, dies quotannis celebraretur. [3] Quædam tamen antiqua Baptisteria intra Ecclesiarum ambitum contenta prope januam ad lævam conspiciuntur (vide Galliam Christianam nov. edit. T. I. & Thesaurum anecdot. P. Martene T. 3. p. 1576.) [4] Idem P. Mabillonius ait, unum vidisse se Vercellis ita constitutum. *Ingressus ad lævam*, inquit ille, *se offert vetus Baptisterium ex marmore duo habens altrinsecus sedilia*. Posterioribus temporibus, post sextum, inquam, & septimum sæculum, haud multo aliter collocata sunt baptisteria. Unum ex ære optime elaboratum videre est Venetiis in Templo S. Marci; in sacello scilicet ad portam, qua aditus est in contiguum Ducis Palatium. Nescio an secus factum alicubi deinceps sit, nisi in Badenensi apud Helvetos Ecclesia, ubi Baptisterium (quemadmodum P. Mabillonius adserit se vidisse in itinere Germanico) non ad portam, sed in superiori navis parte ad aquilonem positum sub effigie columbæ suspensæ. [5]

VI. Sacri fontes fere lapidei, marmorei, aut

---

mina) *Dominus cognovit nomina*. Inscriptionem Mediolanensis Baptisterii S. Theclæ adnot. 6. vidimus. Confer Fletvvoodum (p. 388. 2. p. 440. 2. p. 521. 1.) & Cl. Paciaudium Antiq. Christian. diss. 2. c. 4. Lege etiam Paullini epistolam XII. ad Severum.

1 Huc spectat quod de Baptisterio S. Felicis canit S. Paullinus (*Nat. X.*)

Est etiam interiore sinu majoris in aula
Insita cella procul quasi filia culminis ejus
Stellato spatiosa tholo, trinoque recessu
Dispositis sinuata locis; medio pietatis
Fonte nitet, mireque simul novat atque novatur
Namque hodie bis eam geminata novatio comit
Dum gemina Antistes gerit illic munera christi,
In geminos adytum venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia sacramenta lavacro.

2 Petitionem de dedicando Baptisterio habes in libro Diurno Romanorum Pontificum Garnerianæ editionis (Tit. XIX.); Orationem vero ipsam in dedicatione Baptisterii in Ordine Romano T. XIV. Biblioth. Max. PP.

3 Sic in pervetusto Martyrologio Corbeiensi apud Martenium (T. III. anecdot.) ad d. XVII. Kal. Maij legitur: *in Antissiodoro dedicatio Baptisterii, qui est juxta Basilicam S. Germani Episcopi, & Confessoris*. Vide Paciaudium *diss. 2. antiq. Christian. c. 3.*

4 Idque Joh. Jacobus Chiffletius in nova & accurata disquisitione de ampulla Rhemensi ait a Chlodovæo Francorum Rege constitutum fuisse.

5 Antiquus mos est columbas aureas, vel argenteas in Baptisteriis suspendendi; quod constat ex accusatione clericorum & Monachorum Antiochenorum habita contra Severum suum Episcopum in Constantinopolitana Synodo a. 518. Suspensæ autem illæ columbæ erant, ut baptizandi baptismum Christi, in quo Spiritus S. sub columbæ specie apparuit, in memoriam sibi revocarent; tum etiam ut meminissent, se non ex aqua tantum, sed ex Spiritu, cujus typum gerit columba, renasci.

aut porphyretici erant; [1] pulcherrimus atque peramplus, in quem immergi infans posset, exstat in Cathedrali Methensi, nullo nunc usui, nisi forte Judæi qui identidem ad nos transeunt, baptizandi sint. [2] Ovalis est hujus vasis forma; sed plerumque rotunda erat [3] uti hodieque videmus in antiquioribus in Italia existentibus. Unum ex his fontibus commemorat Gregorius Turonensis (*Lib. 1. de Glor. Martyr. c. 23.*) *ex marmore vario, inque modum Crucis* elaboratum.

VII. S. Edmundus Cantuariensis in suis Constitutionibus (c. 10.), & Concilium Wirgoniense (c. 5.) lapideos fieri sacros fontes jubent; addit tamen hic sanctus baptizari infantes posse vita periclitantes in vase ligneo, modo vasa ejusmodi expleto baptismo igne comburantur. [4]

VIII. Prioribus seculis, quibus baptismi administratio Episcopis unice incumbebat, unum tantummodo Baptisterium in tota diœcesi constitutum erat, iis nempe in locis, in quibus residebat Episcopus, & principi Ecclesiæ proximum in qua Sedes erat Episcopalis. [5] Clara vetustæ hujus disciplinæ vestigia etiamnum supersunt cum in Italia, tum in Galliis in quibusdam urbibus, ut Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, ubi infantes in uno Cathedralis Ecclesiæ baptisterio baptizantur. Idem apud Arvernos observatur in Aniciensi Ecclesia, & apud Armoricos in Corisopitensi. Rhemis idem mos quadringentis circiter ab hinc annis vigebat, ut discimus ex antiquo *Ordinario*, seu Rituali hujus Ecclesiæ, in quo ubi agitur de ritibus Sabbathi Sancti, legimus: *completa fontium benedictione, ipse Pontifex baptizat unum si paratus est; reliquos vero, si plures fuerint, baptizant Presbyteri Parochiales, & confirmat eos Dominus Pontifex.*

IX. Ab hac regula excipienda est Roma, in qua ob portentosam populi in ea Imperii Urbe principe commorantis multitudinem, magnumque eorum numerum, qui Christianam fidem amplectebantur, a primis seculis plura fuere Baptisteria in præcipuis Ecclesiis ut ad S. Johannem in Laterano, ad S. Petrum, ad S. Paullum, ad S. Laurentium in Damaso, ad S. Agnetem, ad S. Pancratium, & in aliis celebrioribus Ecclesiis.

X. Deinceps vero quum qui in agris degebant, Christianis sacris imbuti sunt, Baptisteria quoque extra Episcopales Urbes erecta sunt, non tamen in omnibus iis locis habebantur, ubi *curæ* quas dicimus, & Parœciæ; quin & in ipsis parvis urbibus, quæ carebant Episcopo, multos tamen habebant curatos, Baptismus in Baptisterio tantum unius, ejusque præcipuæ Ecclesiæ administrabatur. Hæc Baptisteria constitui non poterant, nisi Episcoporum, in quorum diœcesi hæ erant Ecclesiæ, auctoritate, quod disertis verbis a Concilio Vernen-

si sub

1 Lapideos esse debere fontes, seu potius fontium vasa, & Panvinii vocabulo ut utar, pelves, statuunt antiquæ Constitutiones Richardi Episcopi c. 18., sed in Concilio Ilerdensi quemadmodum a Burchardo, & a Gratiano citatur, decernitur, ut *omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit*, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi *officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur*. In celebri porro Monasterio S. Dionysii in Galliis servatur vas egregium porphyreticum, quod ex capta urbe Pictaviensi ubi fons baptismalis erat eo transtulisse Dagobertum Regem, vetusta est Monasterii traditio.

2 Mabillonius (*Itin. Ital. p. 22.*) narrat, Veronæ ad portam Ecclesiæ (S. Zenonis) *ingens conspici labrum porphyreticum habens in orbem pedes* XXVI. Labrum hoc VVedderkampius (in libell. de Bapt. p. 62.) perperam retulit ad vasa baptismatis. Cui usui fuerit labrum illud, pereruditе de more nos docet generis nobilitate atque doctrina præclarissimus Marchio Maffejus (*Ver. illustr. part. 3. col. 68. & seq.*). Ceterum non ea saltem ubique fuisse amplitudine hujusmodi fontes, ut totum hominem capere possent, aperte demonstrant, quæ idem Mabillonius tradit (*Itin. Italic. p. 71. & 79.*)

3 In gestis Episcoporum Cenomanensium dicitur S. Julianus primus Cenomanensium Antistes *in quodam vasculo lapideo in modum dolii* Defensorem Principem cum Goda uxore tinxisse. Legimus etiam in vita S. Uldarici Episcopi Augustani: *Ecclesiam in cœmeterio in formam crucis ædificare cœpit, & ædificatione peracta, altaribus quinque in ea compositis in honorem S. Johannis dedicavit, & dolium baptizandi de petra excisum in ea constitui fecit*. In laudata S. Zenonis Ecclesia Veronæ extat hodieque octagonus fons a Brioloto quodam constructus. Confer Biancolinum (Notizie Storiche delle Chiese di Verona *l. 1. p. 32. & seqq.*)

4 Quod baptizandis Regum Scotorum filiis olim inserviebat vas cupreum erat; illudque capto Edimburgo in Ecclesiam S. Albani transtulit Richardus Lens eques auratus tempore Henrici VIII. Anglorum Regis.

5 Confer Martenium num. XV.

si sub Pipino Rege sancitum (can. 7.) reperimus in hunc modum ; *ut publicum Baptisterium in nulla Ecclesia esse debeat , nisi Episcopus constituerit , cujus parochia est*. Ecclesiæ, ubi baptismales fontes erant, *Tituli baptismales* [1] vocabantur, atque hoc nomine distinguebantur a ceteris, quæ fontibus sacris carebant.

XI. Magno hæc numero non erant neque in agris , neque in urbibus , pagisve ut ex canone XLVIII. Meldensis Concilii, & Burchardo (*l. 3. c. 22.* ex quodam Aquisgranensi Concilio) constat , ubi legimus diserte constitutum : *plures baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt, sed una tantummodo eum subditis capellis* . Hoc nomen erat , quo appellabantur Ecclesiæ , in quibus nulli baptismales fontes , *capellæ* aut *oratoria* dicebantur , nec licebat in illis baptisterium construere, aut Presbyterum Cardinalem , seu titularem . S. Gregorius Magnus nos id docet in sua ad Ariminensem Episcopum epistola (*l. 2. Indict. 10. ep. 9.*) ubi de Oratorio loquens , quod nobilis femina nomine Timothea in ea urbe ædificari curaverat, ait : *prædictum Oratorium absque missis publicis consecrabis ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem* . Idem Pontifex de Oratorio Neapoli exstructo eadem edixerat observanda (l. 8. ep. 3.)

XII. Zacharias Papa easdem hac de re leges sequutus est in suis ad Pipini Regis Capitula responsis (Resp. 7.). Nunc etiam in Burdigalensi urbe inter Gallicanas spectatissima , in qua plures sunt curæ , seu Parœciæ , tres tantum exstant baptismales Ecclesiæ, Cathedralis nempe S. Andreæ dedicata , Ecclesia S. Crucis Ordinis S. Benedicti, & Ecclesia S. Severini.

XIII. Qui in his Oratoriis, seu Capellis fere conveniebant populi, ter quotannis ad matrices Ecclesias conferre se debebant, ut in pluribus statutum est Conciliis, ac sancta isthæc disciplina, ait Baluzius (*in not. ad Capit. T. 2. p. 1064.*) , diu in Ecclesia perseveravit , atque ad undecimum usque seculum est conservata . Addit , sibi præ manibus esse litteras Pibonis Tullensis Episcopi datas a. 1079., quæ illam confirmant. Ait ibi Pibo, *Ecclesiam de Munz* antiquitus Capellam de Blano extitisse , hominesque apud eamdem villam de Munz commorantes ter in anno, videlicet in Pascha , Pentecostes , & Natale Domini ex consuetudine apud matrem suam Ecclesiam de Blano convenire , & debitas oblationes Presbytero de Blano ibidem persolvere. Ab hoc onere illos vindicat, illaque charta Baptisterium illis ac liberam sepulturam concedit . Exemplum hic habemus auctoritatis, qua in hujusmodi rebus præstabant Episcopi. Suo Pibo jure utitur ad Baptismalis Ecclesiæ dignitatem evehens Capellam, seu Oratorium alteri prius subjectum Matrici Ecclesiæ, ad quam unam , qui in eo Oratorio divinis officiis aderant , deferre debebant infantes suos baptizandos.

XIV. Baptismales Ecclesiæ ceteris , uti vides , longe præstabant . Hinc Carolus Magnus Imperator (Capit. I. a 813. c. 19.) lege lata edixit , ut pagorum , in quibus novæ ædificarentur Ecclesiæ , decimæ ad antiquas , in quarum territorio constructæ fuissent, pertinerent. Idem a Leone IV. constitutum, indeque Gratianus (169t. c. 45.) colligit, decimas nonnisi baptismalibus Ecclesiis solvi debere ; & Batholomæus Brixiensis, decimas baptismalibus Ecclesiis semper esse solvendas, non capellis. [2]

XV. Auctor , qui Cambriæ descriptionem edidit (Giraldus c. 18.) , ait, Brittones decimarum partes duas solvisse baptismalibus Ecclesiis, aliam Episcopo Diœcesano. Utique ex hoc Ecclesiis baptismalibus adnexo jure Monachi decimas percipiunt Ecclesiarum, quibus haud deserviunt, quæque nihil aliud olim fuerant quam capellæ ad præcipuam Ecclesiam , quæ ipsorum erat , spectantes , atque aliquibus in locis plerasque matricium Ecclesiarum prærogativas , aut illarum saltem partem aliquam conservarunt ; quæ quidem prærogativæ nunc *jura Curatorum primitivorum* vocantur.

XVI. Monachi quoque Baptisteria suis in

1 Quo illas nomine compellat Flodoardus l. 2. hist. c. 19.
2 De his omnibus vide eruditam Eleciaci dissertationem *de origine Parœciarum*.

in Ecclesiis habuerunt ex concessione aut privilegio, quod ipsis sanctitas viræ suæ comparavit. Horum privilegiorum virtute Monasteria S. Pachomii jure hoc insignita fuerant: id supra ex epistola S. Theodori comperimus, quam in prima hujus historiæ parte adlegavimus; & auctor vitæ S. Pachomii (*apud Boll.* 14. *Maij*) qui ipsi æqualis temporum fuit, testificatur in Tabennensibus Monasteriis Catechumenos regenerationis gratia fuisse donatos, postquam fidei rudimentis rite imbuti fuerant, magnaque cura ad tanta mysteria instituti. Ex Eginardi quoque testimonio (*in annal. ad an.* 826.) exploratum est, Baptismum Moguntiæ in Ecclesia S. Albani fuisse collatum. Idem vidisti de Monasterio S. Crucis Burdigalensi. [1]

XVII. Denique certum est, infantes Nobilium juxta Monasterium Casæ - Dei habitantium tingendos ex more delatos fuisse Sabbato Sancto. Bertrandus, qui historiam conscripsit miraculorum S. Ruberti ejus domus conditoris, testis fuit hujusmodi consuetudinis oculatus (*in lib. Tripart. dist.* 1. *n.* 23.)

XVIII. Ad Baptismales Ecclesias, earumque prærogativas ut redeam, invenimus eas alias dictas fuisse *plebes* ob populi, qui Christianismi officiis satisfacturus illuc confluebat, multitudinem. Hinc procul dubio *Plebani* nomen, quo Curati hodieque in quibusdam regionibus appellantur. *Oracula* etiam dicebantur, ut in Capitulis Pipini Reginis Italiæ videre est, atque alibi. Carolus Magnus Imperator dignitatis harum Ecclesiarum rationem habens legem edidit, *ut nullatenus ea laici homines tenere deberent*; hæc tamen lex, quæ in capitularibus anni 793. legitur, non ita generatim executioni mandata est ut omnes penitus abusus ea in re tollerentur; nam ut in Chartulario Prioratus de Paredo reperit Baluzius, Ecclesia S. Benigni, quæ cœmeterium habebat, Baptisterium, & jus Sepulturæ, a laicis beneficii jure, a quo se abdicarunt temporibus Prioris Hugonis, diu detenta fuit.

XIX. Alia dignitatis, qua hæ Ecclesiæ ceteris antecellebant, nota erat, quod cum in reliquis Ecclesiis unus Presbyter sufficeret, in his præter Presbyterum Diaconus insuper necessarius erat; quod videre est in vetustis Capitulis ex Codice Vaticano, & Casinensi a P. Sirmondo divulgatis. Baluzius hæc inde verba in suas adnotationes in capitularia retulit (p. 1066.): *ut nulla Ecclesia, cujuslibet diœcesis, ubi Baptismum fit, presbyter absque Diacono reperiatur.*

XX. Iis, quæ hoc capite de Baptisteriis disseruimus, addemus, Concilium Antissiodorense (*an.* 578. *can.* 14.) vetuisse, ne mortui in Baptisteriis sepelirentur; tanta olim erga hæc Sancta loca fuit reverentia [2]; ex qua etiam factum, ut Episcopi Sanctorum reliquias in iis reconderent, ut plures docent loci historiæ S. Gregorii Turonensis, qui ipse in Baptisterio, quod ædificare præceperat, Reliquias S. Johannis, & S. Sergii Martyris collocavit [3]. Tandem in decretis XVIII. Concilii Toletani præcipue observandum illud occurrit, etsi Quadragesimæ initio etiam alibi Baptisteria claudebantur [4], ostia tamen in Hispaniis ab Episcopo manu sua, atque annulo fuisse præterea signata.

P. D. C.

---

1 Adi Martenium n. XVI.

2 Imo & Catechumeni a Baptisteriis arcebantur; sic enim statuit Arausicanum I. c. 19. *Ad Baptisterium Catechumeni nequaquam accedant.*

3 Mirabitur id nemo qui sciverit, in locis Martyrum sanguine decoratis Baptisteria fuisse aliquando extructa. Sufficiat indicasse Prudentii hymnum VIII. qui inscribitur: *de loco, in quo Martyres passi sunt, qui nunc Baptisterium est.*

4 Toletani Concilii hæc verba sunt cap. 11.: *Licet in initio quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen Ecclesiastica consuetudinis ordo deposcit, & necesse est ut ostia baptisterii in eodem die pontificali manu annulo assignata claudantur, & usque in cœna Domini Solemnitatem nullatenus reserentur, ob id videlicet, ut per signaculum pontificum (excepto gravissima necessitatis obventu) in his diebus monstretur, per totum orbem non licere fieri baptismum, & Sanctificationem: iterum episcopali ad eam observatione reserata, signetur dominica pateat mysterium resurrectionis, in quo ad vitam solius est aditus homini: ut quia per baptismum consepultus est in morte Christi, consurgat eum eo in gloria Dei. Quod quia in aliquibus Ecclesiis minime hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus atque decernimus, ut ita a totius Hispaniæ, & Galliarum Pontificibus custodiatur, quatenus in prædicto die initii videlicet Quadragesimæ, & ostia Sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum signaculo obsignentur: ita*

ut

P. D. C. CHARDON BENEDICTINI
DE SUSCEPTORIBUS,

Qui prioribus Seculis dabantur baptizandis.

DISSERTATIO III.

Nunc primum latine reddita ex ejus historia Sacramentorum, & a F. A. Z. S. J. adnotationibus illustrata.

I. PAtrini ii vocabantur, qui baptizandos Episcopo offerebant, immersosque atque sacro e fonte prodeuntes illos suscipiebant: quod disertis verbis ait Concilium Arelatense VI. (can. 27.) *Et patrini eos, quos de lavacri fonte suscipiunt.* Qua etiam de causa *susceptores* etiam dicti sunt. Quoniam vero Ecclesiæ spondebant pro illis, quos Jesu Christi membris Baptismo adscribendos exhibebant, seque eorum fidei vades præstabant; nomine quoque *sponsorum* donati sunt; atque hoc eos nomine appellat Tertullianus (lib. de Bapt.), cujus locus una simul antiquitatem hujus consuetudinis ostendit, & onera, quibus se se objiciebant, qui quempiam offerrent baptismo abluendum. [1] Patrinorum meminit ille in eo celebri loco, ubi videtur suadere velle, baptismum non esse nisi ab eo, qui rationis usu jam præstet, suscipiendum. *Quid necesse est*, inquit, *sponsores etiam periculo ingeri?* In Oriente quoque Patrinorum usum fuisse constitutum ostendit pseudo-Dionysius, qui illos ἀναδόχους appellat (de cælesti hier. c. 2. & 7.) quod nomen latino susceptores respondet. [2]

II. Si primis Ecclesiæ seculis jubebantur qui ad baptismum adcedebant, patrinos habere, qui pro ipsis sponderent; multo id magis necessarium fuit posterioribus seculis, quibus infantes fere soli offerebantur baptizandi; ut enim scite ait Anonymus auctor (in notis Baluzii in Capitularia p. 1178. T. 2.), cujus homilia legitur in antiquissimo Lugdunensis Ecclesiæ MS. Codice, infantes, qui nondum loqui sciunt, pec-

---

ut nisi in cœna Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debent ostia reserari. Inconveniens etenim res est, ut illic in præmemoratis Quadragesimæ diebus cunctis aditus pateat adeundi, ubi non licet debitum mysterium exerceri. Non in solis autem Hispaniis clausa fuisse Quadragesimæ tempore Baptisteria docet auctor epistolæ Secundæ de expositione antiquæ liturgiæ Gallicanæ apud Martenium (Tom. V. anecdot.) his verbis: *Sanctus Deus Archangelorum in Quadragesima concinetur, & non canticum Zachariæ, quia ista modulatio deprecabilis est populo; sicut verba texti ipsius continentur; & propter hoc non canetur Prophetia, propter quod & Baptisterium clauderunt, scilicet quia canones præcipiunt, vel Baptismum Quadragesima non est.*

1 De Patrinorum origine lubet aliqua uberius adnotare. Enimvero si qui sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur libri, ejus essent, aut Constitutiones Apostolicæ S. Clementem Auctorem haberent, hac de re non esset cur disputaretur, nam apud utrumque Scriptorem Patrinorum mentio occurrit. Isaacus Jundt, qui a. 1755. *de Susceptorum Baptismalium origine* commentationem edidit Argentorati, a Tobia Pfannero deceptus Dallaum scribit, susceptorum institutionem ad quintum Sæculum detrudere, quum tamen ille *de cultibus Religiosis Latinorum* p. 10. Genevensis editionis a 1671. diserte adserat, *patrinorum officium jam in usu fuisse apud Christianos Secundi Seculi exeuntis*. Certe Tertullianus *sponsorum* meminit; neque vero credibile est quo Tertullianus scribebat tempore primum invectos illos fuisse, præsertim quum parvulorum baptisma ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usitatum sponsorem postularet, qui pro parvulis *fidejussores responderent, quod abrenuntiarent diabolo, pompis & operibus ejus*, ut loquitur S. Augustinus *Serm. CXVI. de tempore*. Neque tamen quod VValafridus *de reb. Eccles.* c. 26. docet, crediderim solum occasione baptismi parvulorum sponsores institutos. Ecclesia enim etiam pro adultis videtur ab ipso suo exordio exegisse, ut non sine vade, ac fidei sponsore quisquam ad baptismum accederet. Nam si posterioribus seculis id postulavit Ecclesia, multo magis hoc prioribus illis persequutionum temporibus, quibus facilius esset susceptam fidem deserere, atque in minere fidelium numero videtur Ecclesia requirere debuisse. Quare nec Polydorum Virgilium moror, qui ab Hygino Papa constitutos primum Patrinos ait *l. 4. de Invent. rer. c. 4.* nec Spencerum, Rivetum, citatumque Jundt, qui a Patrinis in Baptismo Proselytorum apud Hebræos usitatis eorumdem in Ecclesia morem arcessunt.

2 Aliis etiam vocabantur nominibus, *Compatres* etiam dicti sunt, *Patres Spirituales*, *fidejussores*, *fideidatores*, *fidedictores*, *Vades*, Patres, *gestantes*. Consule Vicecomitem lib. I. cap. XXX.

peccatorum remissionem accipiunt per fidem eorum, qui ipsos e sacris fontibus suscipiunt; & certe, addit ille, oportet ut qui polluti sunt per peccatum suorum parentum secundum carnem, salventur per fidem suorum parentum secundum spiritum. Itaque videmus, Patrinos deinceps non ad unum baptismum requisitos fuisse, sed etiam ad Catechismum, & ad Confirmationem; ut Johannes de Janua (in Glossario Cangii V. Catechizari) Jureconsultus quæsierit, an *Catechismus dirimat matrimonium;* cui quæstioni respondet juxta Glossam, ***quod per catechismum Baptismi, & confirmationem Episcopi contrahitur compaternitas***. Differunt tamen in hoc quod licet per Baptismum, & Confirmationem contracta compaternitas impediat, & dirimat matrimonium, illa tamen quæ contrahitur per Baptismi Catechismum adeo est exilis & invalida, quod vix impediat matrimonium contrahendum, numquam autem dirimit jam *contractum*.[1] Hanc spectavit consuetudinem Glaber Rodulphus in vita S. Guillelmi Abbatis Divionensis, dum ait (n. 4.) *Filium, quem ei uxor pepererat, Catechumenum fieri per manum Imperialem præcepit, quod ille* (Berengarius Rex Italiæ, Imperator etiam dictus) *ut monitus fuerat, impleri mandavit, ac propria puerum sustulit dextera, eique nomen indixit* Villelmum, *quem scilicet postmodum Regina conjux illius ex sacro fonte suscepit baptismatis*. Hinc intelligimus, quid Flodoardi verba illa (*in Chron. an.* 945.) significent: *Gerberga Regina filium peperit*, qui Karolus ad catechizandum vocatus est.

III. Mos etiam fuit plures in variis hisce circumstantiis patrinos sibi adsciscere, ut testificatur Hyginus Papa (*de Consecr. dist.* 4.), nisi necessitas cogeret unum tantum ad hæc omnia adhibere. *In Catechismo*, inquit ille, *& in Baptismo, & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.* In Chronico Urspergensi ad ann. 1124. monentur parentes, *ne etiam filios suos, & filias suas ad baptismum teneant, sed sibi patrinos quærant*. Et patrinos inter, & filiolos intercedebat adfinitas, ut in legibus Henrici I. Angliæ Regis sarcitum sit: *Qui alicujus filiolum vel patrinum occiderit, erga eum & parentes mortui conjunctim reus sit, & crescat emendatio secundum* Weram, *sicut* Manbota *secundum Dominum*. In multis tandem Conciliis plures statuuntur adhiberi *Patrini, in levatione scilicet maris duo mares, & una femina, in feminæ vero levatione unus mas, & duæ feminæ*, ut in Eboracensi *an.* 1195. *c.* 4. Saristeriensi *an.* 1217. *c.* 119. Coloniensi *an.* 1280. *c.* 4.

IV. Patrini olim quos e sacro fonte susceperant, iis raro nomina imponebant; etsi exempla non desint, quum Guntramnus Rex Gregorio Turonensi teste (*lib.* 10. *hist. Franc. c.* 28.) Nepotem suum, cui patrinus fuit, Chlotarii nomine donarit, sed ut dicebam, rarum id fuit: sæpe etiam nomina in Baptismo non mutabantur. Nam ut alias ostendimus quinque aut sex prioribus seculis mos non fuit infantes statim ab eorum nativitate baptizare, nisi in mortis discrimine essent constituti. Itaque sua jam nomina habebant tam infantes quam adulti, quum ad Baptismum offerebantur; eaque fere servabant. Utrorumque etiam nomina pluribus ante Baptismum diebus exquirebantur, Ecclesiæ matriculæ inscribenda. Juxta vulgatum Ordinem Romanum in magno scrutinio quo de egimus, dabant Catechumeni nomina, ut scriberentur. Siricii tamen temporibus Romæ obtinuerat mos ea dandi quadraginta vel etiam pluribus ante Baptismum diebus; hic enim Pontifex *generalia baptismatis tradi* prohibet *Sacramenta* aliis quam *electis, qui ante dies quadraginta vel eo amplius nomen non dederint*.

V. Ipso Quadragesimæ initio Competentium nomina in Hierosolymitana Ecclesia scribebantur. *Intrasti*, inquit S. Cyrillus (*Cathec.* 3. *num.* 4.), *eo loco dignus habitus nomen tuum inscriptum est . . . satis lon-*

1 Binghamius (*Orig. Eccles. lib. XI. c.* 8. §. 12.) huic adfinitati, nuptiarumque inter ejusmodi adfines prohibitioni succenset; Sed perperam. Vide Vicecomitem *l.* 1. *c.* 34. & Tournelium (*de matrim. p.* 265. *Venetiis.* 1731.)

longum habes intervallum, quum pœnitentia XL. *dierum tibi detur.*

VI. Ex his, atque ex interrogatione, qua in scrutiniis ex infantibus ipsorum nomina exquirebantur, ut animadvertit Hugo Menardus (*p.* 350. *nov. edit. T.* 3.) in ea Gregoriani Sacramentarii verba: *quis vocans?* illud sequitur, eos ante Baptismum sua habuisse nomina, multoque magis adultos. Romanorum ritus fuit nono a nativitate die maribus, puellis octavo nomina imponere, ut ex Macrobio (*l.* 1. *Saturn. c.* 16.) discimus; atque hi dies dicebantur *dies lustrici, quibus infantes lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* [1] Idem decimo a nativitate die faciebant Græci, Hesychio teste, juxta Aristotelem vero septimo, [2] ac quibusdam ritibus hæc cæremonia peragebatur, schedulas supra focum describendo, quibus propterea, ut Hesychius, Suidas, aliique adnotarunt, nomen ἀμφιδρόμια. [3]

VII. Veteres quoque Franci nonnisi nono die nomina infantibus dare consueverunt. Constat id ex ea salica lege, in qua dicitur: *Si quis infantem . . . natum antequam nomen habeat infra novem noctes occiderit.* [4] Verosimile admodum est, antiquos Christianos suos mores his consuetudinibus conformasse, exceptis, quas omnino abjecere superstitionibus. [5] Græci hodieque nomen infantibus non imponunt, nisi octavo ab eorum nativitate die, ut ex eorum Euchologio constat. Apud Moscovitas Sigismundo Libero auctore (*de rebus Moscoviticis cap. de Baptismo*) ipso nativitatis die infantibus nomen datur, etsi nisi post quadraginta dies, morbi caussa excepta, non baptizantur.

VIII. Quoniam in hoc argumento versamur, jucundum fore curioso lectori arbitror, si addidero, quod in itinere D. Gentilis (*T.* 2. *p.* 36. *& seq.*) invenio de tempore, quo Sinenses infantibus nomen imponunt. *Ubi infans natus est*, inquit ille, *intra mensem parens ejus blandum illi nomen imponit* Siaoming *lactens*, ut diminutivis nominibus simile, quo Europæi suos puellos compellant, atque uno hoc nomine toto infantiæ tempore distinguitur. At quum infans animum cœpit ad litterarum studia conferre, novo a patre donatur nomine, quod familiæ nomini postponitur (nostris enim moribus Sinensium mores maximam partem adversantur); quare ubi dicimus ex. gratia Petrus Alemannus, dicunt illi Alemannus Petrus. Tandem ubi juvenis virilem ætatem adtigit, pileolus virilis illi traditur, ac tunc nomen ad amicorum arbitrium mutat, no-

1 Quod quidem M. Antoninus Philosophus Imperator mutasse videtur, tricesimo die præfinito. Confer Capitolinum in ejus vita c. 9. ubi alii tamen legunt *intra tertium diem*; Sed nescio an satis bene

2 Dissidentes Græcos Scriptores ita conciliari posse existimat Vicecomes *l.* 2. *c.* 14. ut vel alterutrum diem eligere unicuique liberum fuerit, vel Athenienses quidem (horum enim diserte meminit Suidas) decimo die, reliqui Græci septimo nomen imposuerint.

3 Perperam heic Chardonius Amphidromia cum diebus Nominalibus confundit; illa enim quinto a nativitate die celebrabantur, Vide Suidam verbo ἀμφιδρόμια. Heinc Plautus quasi ex more Graciæ scribit. (Truc. II. 4. 69.)

Quin diis sacrificare hodie pro puero volo
Quinto die quod fieri oportet

4 Tit. XXVI. lege V. Sed apud Joh. Georgium Eccardum p. 151. legitur *infra VIII. noctes occiderit.*

5 Ethnicas dierum lustricorum superstitiones quas insectatur, ita Persius describit (Sat. II. 31. & seqq.)

Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum; frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campo, nunc Crassi mittit in ades.
Hunc optet generum rex & regina: puella
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic rosa fiat.

Sed etsi Christiani a superstitionibus plurimum abhorrerent, aliquas tamen in nominibus imponendis servarunt olim, ut ex Johanne Chrysostomo, qui ea illos de caussa exagitat (hom. XXII. in c. 4. ep. 1. ad Corinth.) animadvertit eruditissimus noster Martinus de Roa *Singularium locorum*, ac rerum l. 2. c. 20. *Quum nomen filio imponendum sit, omissa Sanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant, accensis lucernis, & his nominibus impositis, qua plurimum duraverit, ejus nomine filium appellant; hinc eum diuturnius victurum conjectant.* Hæc Chrysostomus.

novumque quo donatur, deinceps servat. Sæpe etiam fit, ut hoc nomine literas, aliaque a se scripta consignent. Narraverat antea Gentilis, familiæ illos nomine uti ad hæc subscribenda, etsi isto numquam appellantur, nisi quis dignitate illis multum præstaret; tunc enim huic illos eo nomine vocare liceret.

IX. Ut ad argumentum nostrum redeamus, quæ de tempore, ac circumstantiis, in quibus infantes nomine donabantur, exceptione non caret. Plura nempe habemus exempla nominum in Baptismo traditorum infantibus, atque adeo adultis, qui quo ad eam diem vocati fuerant, nomen in ea sancta cæremonia deponebant; [1] sed non id instar ordinariæ regulæ fuit. [2] Theodosius Junior Imperator, Athenaidem Philosophi Atheniensis filiam antequam eam duceret, baptizari jussit, eamque *Eudociam* in Baptismo Episcopus Atticus nominavit ex nomine Matris Imperatoris, ut docet Socrates (l. .. c. 11.). Refert Gregorius Turonensis (*lib. 8. hist. Franc. c. 22.*) quemdam Diaconum, cui nomen Waldo, in Baptismo Berteramnum fuisse appellatum. Carolus Magnus Imperator Romæ quum esset a. 781. filium suum baptizari curavit ab Hadriano Pontifice, qui Caroli Manni non amplius, sed Pipini nomine eum appellari voluit. [3]

X. Plura exempla recitari possent infantium, qui in Baptismo nomen acceperunt; quod usitatum erat, ubi paullo post nativitatem baptizabantur. Verum hæc non probant, consuevisse generatim id fieri; atque

1 Videtur heic indicare Chardonius, adultis in Baptismo tum nomina imposita solum fuisse, quum priora deponerent. Atqui etsi vera sunt quæ hactenus ex Menardo accepit, adultos tamen filios suos Christiani aliquando nullo prænotabant nomine antequam ad Baptismum adducerent. Confirmat hoc liber Manualis Dodanæ ad VVillelmum filium, editus in appendice ad Seculum IV. Benedictinum parte I., in cujus capite VII. VVillelmum filium primogenitum sic illa adloquitur: *hac verba a me tibi directa lege, intellige, & opere comple, fratremque tuum parvulum, cujus modo inscia sum nominis, quum baptismatis in Christo non adcepeeit gratiam, insinuare, nutrire, amare, ac de bono in melius* provocare non pigeat. Porro e... parvulus hic dicatur, videtur VVillelmus potius adultus puer, quam infans fuisse, quum *de bono in melius provocari* potuerit; quis enim hæc de lactente puello intelligat? Hic tamen nullo ad eam diem nomine fuit appellatus, quum *baptismatis in Christo non adcepisset gratiam*. Sed ratio ejusmodi satis ostendit communem fuisse usum nominis in Baptismo tantummodo imponendi.

2 Alia, quam quæ heic Chardonius mox recitabat, in hanc rem profert exempla Matterius l. 1. c. 1. a. x. n. 3. Sed nolui silem, id a viro docto instar Canonis pronunciatum ibi fuisse: *qui ex paganis ad Christum convertebantur, nomine gentili abjecto novum adsumebant: qui vero ex Christianis parentibus progeniti erant, hi aut nullum nomen ante baptismum habebant, aut indultum mutabant vel etiam aliquando retinebant*. Nam de Christianis quidem recte constituta hæc sunt; de Paganis vero generatim illud enunciari quei potuit? Nam ut T. Flavii Clementis Martyris, Constantini Imperatoris, aliorumque i. genus virorum exempla prætercam, in actis S. Bonifacii Martyris legitur: *Judex autem ait ad eum: quid vocaris? Beatus Bonifatius dixit: jam dixi tibi quia Christianus sum: si autem vis discere* COMMUNE *nomen meum, Bonifatius vocor*. Similia legimus in Actis S. Thallelæi apud Bolland. ad XX. Maij p. 180. n. 2., quæ legitima ne sint, an spuria (quod Tillemontio videtur) nihil in rem nostram facit. *Quid porro illud sibi vult*, inquit doctissimus Canonicus Mazochius in Kalend. Neapolit. p. 297., *quod heic* COMMUNE *nomen vocant? An non potius* Christiani *nomen* communem *omnibus dicendum erat*, Bonifatii *vero aut* Thallelæi *proprium? Atqui ne dubita, quin id ex consuetudine Hellenistarum petitum fuerit, quibus κοινὸν &* commune *tantumdem est, quod profanum, & immundum; quod alibi* carnale nomen *dicitur, ac Spirituali opponitur. In actis S. Hilariani (apud Boll. ad 16. Martii) Tatianus Diaconus de nomine interrogatus respondit: nomine carnali* Tatianus *vocor, Spirituali vero* Christianus. *Ex eo vero Bonifacii, & Thallelæi responso tandem edisces quæ mens Martyribus fuerit, quando nomen pristinum suum non audentes depromere, ejus loco se* Christianos *vocabant. Nam qui sic se gerebant, nomina sua pristina pro impuris habebant, utpote die lustrico, uti appellabant non sine facie imposita*. Hactenus præclaræ eruditionis Canonicus. Sed hæc ostendunt, Paganos quum ad fidem Christi conversi tandem baptizabantur, non semper profana sua nomina dimisisse. Abjecisse tamen aliquando præsertim quum essent idolorum vocabula, testificatur etiam Eusebius lib. de Martyr. Palæstinis cap. XI.

3 Hinc vides a Sacerdotibus, aut Baptismi Ministris imposita interdum fuisse nomina: quod etiam ostendit Cedullæ Regis Occidentalium Saxonum exemplum, cui Sergius tempore baptismatis *Petri nomen imposuit*, ut ait Beda lib. V. hist. Angl. c. 7. Hodieque apud Moscovitas, ut Sigismundus Liber testificatur loco supra citato, *nato infante mox accersitus Sacerdos ante januam habitationis in qua est puerpera, certas stando recitat orationes: pueris nomen imponit*. Supra vidimus a susceptoribus nomina aliquando, etsi raro imposita. Parentes porro sæpissime filiis suis nomina dabant: Sic S. Nicetius Lugdunensis Episcopus a matre sua nomen adrepit. Idem de Sagomere & Cladomiro Cludovei ex Clotilde filiis narrat auctor antiquus de gestis Francorum c. 14. apud Chesnium T. I. hist. Franc. p. 700. Confer Martenium n. V. Ordo S. Baptismi servatus in Ecclesia Chaldæorum, Nestorianorum, ac Malabarum apud Assemannum l. 2. Cod. Liturg. p. 251. *Propinquos patrinos* esse aperte significat. Quamobrem Diamperitana Synodus a. 1599. habita falso indicat Act. IV., patrinos a Malabaribus in baptismo non adhiberi.

atque adfirmare possumus, quin vereamur, ne erroris redargui possimus, consuetudinem nominum in baptismo infantibus tradendorum vere tum primum obtinuisse, quum statim ab eorum nativitate baptismus illis conferri universim cœpit, nempe circa XII. seculum. Revera discimus ex nostrorum Regum capitularibus tum quoque quum Christiana Religio toto late Orbe diffusa fuit, adeo non fuisse parentes sollicitos de baptismo infantibus conferendo, ut necesse fuerit illos legibus, ac gravibus pœnis indictis cogere, ne diutius differrent filiis suis tam necessarium salutis subsidium procurare. Ejusmodi illa est in Capitularibus Caroli Magni editis a. 789.: *Similiter placuit his capitulis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur*. Tum additur: ***Statuimus ut si quis infantem*** intra circulum anni *ad baptismum offerre contempserit; si de nobili genere fuerit centum viginti solidos* fisco componant; *si ingenuus, sexaginta; si litus* (mediæ scilicet conditionis homo liberum inter, & servum) *triginta*. Hinc patet, infantes, quum fere aliquot saltem a nativitate mensibus baptizarentur (ipsa enim lex nihil amplius postulabat, quam ut infra annum baptizarentur) nomina autem secundum Francorum consuetudinem aliquot tantum dierum post nativitatem intervallo darentur, sua habuisse nomina, antequam ad baptismum offerrentur. Quod si objicias, inquit P. Munardus, tricesimum Canonem Arabicum Concilii Nicæni, & locum illum epistolæ S. Dionysii Alexandrini (*apud Euseb. l. 7. c. 2.*), in qua Christiani suis infantibus Apostolorum nomina dedisse perhibentur, respondeo, nullam eorum canonum habendam esse rationem, quum minime authentici sint; quod vero ad S. Dionysium spectat, eum quidem id narrare, quod Christianis parentibus in nominibus imponendis solemne erat; non tamen adserere, id ab illis in Baptismo factum fuisse. Suam enimvero sententiam confirmat Menardus Jesse Ambianensis auctoritate in ea, quam de baptismo edidit, epistola; in ea enim hæc leguntur: *Veniant ad Ecclesiam tertia hebdomada Quadragesimæ, feria secunda, & antequam ingrediantur, scribantur nomina infantium ab Acolitho*.

XI. Quod ex S. Dionysio retulimus de ea parentum Christianorum consuetudine, id ad summum intellige de Oriente, in quo multos post quartum seculum novimus Apostolorum, & Martyrum nominibus appellatos; [1] sed in Occidente vel nunquam, vel raro illud servatum fuit, sive quo tempore adhuc Romanorum imperium vigebat, seu postquam ad Barbaros transiit; quum omnia ferme eorum, quorum historia meminit, nomina prosana sint. Patres aut matres suis illa infantibus fere dabant, eaque sæpe imponebant nomina, quibus suarum familiarum spectatissimi viri fuerant appellati, aut etiam extranei, quos amabant. [2] Ita ab Antiochenis scimus filiis suis, Meletii nomen libenter datum fuisse, vivente ipso ejus nominis sancto

[1] Confes Chrysostomum a me citatum adnot. 8. atque ea præsertim verba observa, *omissa Sanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant*.

[2] Hæc universim dicta falsa sunt. Nam Veteres Christiani a mysteriis, quæ quo infans natus erat die, celebrabantur, sæpe illi nomen imponebant. Sic doctissimus Eques Victorius in Dissertatione Philologica in nonnulla monimenta Sacræ vetustatis nuper edita p. 4. Paschasii, cujus antiqua meminit Inscriptio, nomen ducit a festis Paschalibus in quibus ortus fuerat; Epiphanii nomen ab Epiphaniæ festo die ec. Aselli, Asellici, Lupi, Ursi, Ursuli, Palumbæ, Pecorii, Leæ, Tigris, aliorumque animalium nominibus delectabantur maxime Christiani, ut pridem notarunt eruditi viri, atque veteres Inscriptiones produnt, idque humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum caussa, quæ ab his potissimum brutis animantibus exprimebantur. Sed etiam virtutum ipsarum nomina Christianis erant persamiliaria. Hinc Sperati, Spei, Fidei, Caritatis, Eusebiæ, Innocentiæ, aliaque id genus sexcenta nomina, quæ in lapidibus, atque Ecclesiasticis tabulis occurrunt. Sanctorum quoque nomina fuisse in Occidente Christianis olim usitata ostendunt nomina Laurentii in Inscriptione anni 265. apud Muratorium (T. I. Novi Thesauri p. 383. 1.) ac Petri in lapide a. 377. quem idem Muratorius describit (ibid. p. 388. 2.) *Multa quoque occurrunt in vitris pictis* (inquit Benedictus XIV. in præstantissimo opere de Servorum Dei Beatific. & Beat. Canon. Lib. IV. p. 2. cap. 19. n. 19.) *quæ extrahuntur ex Cœmeteriis Urbis, Imagines Apostolorum nominibus inscriptas; nec tamen omnes referre Apostolos ipsos, non paucos autem repræsentare Martyres quosdam, qui laudabili exemplo Apostolorum nomina in Baptismo susceperunt, accurate adnotavit Senator Buonarrusti de vitris figur. 3. tabul. 14. & figur. 3. tabul. 19.* Non tamen hæc ita Christianis in usu erant, ut a profanis prorsus nominibus abstinerent. Nam & Deorum Ethnicorum, quos tamen contemnebant, nominibus vocatos illos reperimus. *Mercurium* habemus in lapide Muratoriano p. 376. 4.

cto Episcopo; quod eum magni facerent amarentque. Qua de re illos summopere laudat S. Johannes Chrysostomus (*hom. in Gen.* 21.), hincque occasionem sumit Christianos hortandi ut profana dimittant vel proavorum nomina, sed sanctorum potius hominum, quorum exemplis ad virtutem incendi maxime possunt, liberis suis appellationes imponant. Ex amicitia quoque, quæ cum Roberto Francorum Duce ipsi erat, factum est, ut Rollo primus Normannorum in Neustria imperii conditor prius illud barbarum nomen in Baptismo permutaret Roberti adscito nomine; quod anno contigit 911. Nonnisi sub XII. seculi finem, initiumque tertiidecimi sanctorum nomina in Baptismo universim dari cœperunt [1] quibus addita fuere cognomina ex loco, in quo quis natus erat, aut e sua regione desumpta. Sic sententiarum Magister dictus est *Petrus Lombardus*, alius *Petrus Pictaviensis*; hic *Petrus Abailardus*, ille *Johannes Scotus*, aut *Johannes de Hunz* ec. Ante id temporis familiarum cognomina in Gallia, Italia, Germania usitata fuisse non novimus; quilibet suo nomine, & singulari quidem vocabatur. S. Bernardo exempli caussa non aliud nomen fuit quam Bernardi; Gerardus ejus frater, uno Gerardi nomine denotabatur; sic de aliis. Hæc sanctorum nomina non erant, aut saltem in iis impertiendis habita ratio non fuerat Virorum Sanctorum, qui illis fuissent appellati; hoc totum ex arbitraria fiebat electione parentum, qui hac in re fere id spectabant, quod supra dicebamus. Possumus tamen adfirmare, in quibusdam Occidentis Ecclesiis antiquam esse piam sanctorum, quorum patrocinio juventur, nomina infantibus imponendi consuetudinem; nam ut docet Vicecomes ex Cæremoniali Beroldi, Mediolani ex vetere instituto Archiepiscopus in Paschatis pervigilio tres baptizabat infantes, quorum primum Petrum, secundum Paullum, tertium Johannem appellabat. [2] In P. Martenii libro de antiquis Ecclesiæ ritibus (l. 1. c. 1. a. 16.), aliqua de Patrinis, deque Matrinis invenio, quæ me effugerunt, quæque antequam finem huic disquisitioni imponam, addi a me debere existimo.

XII. 1. In Constitutionibus Apostolicis decernitur (l. 3. c. 16.) ut *virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa, ut decore traditio infrangibilis sigilli administretur*. Hæc videntur plures patrinos excludere, quos tamen supra vidimus in usu deinde fuisse. Canon XXII. Nicæni Concilii Versionis Arabicæ, uti & S. Sebastiani acta hanc disciplinam confirmarent, si fides hujusmodi monumentis posset adhiberi. [3] Sed illud verum est, Concilium Metense a. 888. c. 6.

Janum in alio Muratoriano Marmore p. 387. 1. *Mercurium* alium in Inscriptione, quam refert Marangonius in Appendice ad Acta S. Victorini Episcopi Amiterni, & Martyris, *Venerium* apud Boldettium p. 477. Langobardis in Italiam dominantibus nomina plane barbara invecta fuere; idque quod Chardonius Romano adhoc Imperio vigente factum contendit, omnino obtinuisse perspicuum est.

1 Nunc juxta Catechismum Romanum (*cap. 2. de Bapt.*) quando nomen imponitur baptizato ab aliquo sumendum esset, qui propter excellentem animi pietatem, & Religionem in Sanctorum numerum relatus sit, ut quivis nominis similitudine excitaretur ad imitationem Sanctitatis, & virtutis. Non desunt tamen plurimi, quibus Cæsaris, Pompeji, Artaxerxis, atque adeo Floræ, Herculis ec. nomina. Touroonius in decreto pro Madurensibus, & Malabaribus Ecclesiis lato præcepetat, ut semper imponeretur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, interdictis omnino nominibus idolorum, vel falsæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utebantur, & Neophyti appellari consueverant, antequam per baptismum essent divinæ Gratiæ renati. Jubente Clemente XII. hæc decreti illius pars ad examen revocata est a Cardinalibus Generalibus fidei Quæsitoribus; atque XII. Kal. Februar. an. 1713. responsum ab Eminentissimis Patribus fuit, *moderandum esse decretum, deleto verbo* præcipimus *cum clausula* curent, quantum fieri potest, *firma remanente interdictione quoad nomina idolorum, & falsæ religionis Pœnitentium*; idque responsum confirmavit Pontifex litteris editis IX. Kal. Sept. 1734.

2 Similia quis fortassis videbitur sibi invenisse in Pontificali insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, annorum 500. quod Martenius edidit, recuditque Assemanus *lib. 2. Cod. Liturg. p. 75.: Deinde baptizat ipse Pontifex unum, aut duos, aut tres ex ipsis infantibus, Johannem, Petrum, & Mar[...]a*. Sed heic tantummodo exempli gratia nomina ista fortasse adscripta sunt, præsertim quum in MS. Codice Bibliothecæ S. Genoviefæ Parisiensis apud eosdem Martenium, & Assemannum legamus: *deinde Sacerdos accipiat de Sale benedicto, & ponat in os infantis tribus vicibus, ter interrogando de nomine infantis, sic dicendo: Johannes vel Maria, vel aliter accipe* ec. Ut ut se res habet, antiquissimam in Mediolanensi Ecclesia esse imponendi baptizandis Sanctorum nomina consuetudinem ostendit S. Ambrosius *in exhortatione Virginitatis* (lib. 1. c. 3. n. 15.)

3 Imo ex actis illis S. Sebastiani colligeremus, pro sexaginta quatuor utriusque sexus baptizandis, tantum unum Patrinum, & duas Matrinas satis fuisse, Sanctum nempe Sebastianum, Beatricem, & Lucinam.

c. 6. statuisse, *ut infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat*; *quia* (inquiunt hujus concilii Patres) *in hujusmodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit*. [1] Notat P. Martenius, canonem hunc haud fuisse observatum, ac paulo post Patrinorum, & Matrinarum numerum adeo auctum, ut aliquando sex simul essent, tres scilicet in singulos sexus. Ad hunc reprimendum abusum constitutus procul dubio est, ut initio vidimus, Patrinorum, & Matrinarum numerus, vetitumque ne plures essent quam tres. [2] Consuetudo hæc videtur servata XV. seculo, atque adeo extremo seculo admodum adulto. Scripsit ad me amicus meus, quo cum hoc opus communicavi; consuetudo duos Patrinos, unamque Matrinam dandi pueris, puellabus duas Matrinas atque Patrinum unum diu viguit; regestum, addit ille, habeo baptismorum familiarum de Vandomo, de Longueville, & de Guisa XV. & XVI. seculi, ubi hæc disciplina servata semper reperitur. Anno quoque 1620. locum habuit ut constat ex regestis nostræ Parœciæ, quæ consului; statuta Synodalia Virdunensis Episcopi de Dompmartin idem statuunt, eumque numerum excedere vetant, *nam*, inquiunt (fol. verso 17.), quod *amplius est, a malo est*. [3]

XIII. 2. Excommunicati, publici Pœnitentes, & Monachi Patrini munus obire non debent (Capitular. l. 6. cap. 182. & Conc. Paris. VI. l. 1. c. 54.). Id Monachis prohibet Concilium Antissiodorense (cap. XX.) in hæc verba: *non licet Abbati filios de baptismo suscipere, nec Monachis commatres habere*. Hæc quoque uti præcedens constitutio observata non fuit. Quod constat ex nostrorum historicorum testimonio (*Hist. Lud. VII. apud Chesnium T. 4. c. 7.*), qui narrant Philippo Ludovici VII. Regis filio tres Abbates patrinos datos fuisse, ac tres nobiles feminas matrinas. Tandem Concilium Parisiense a. 829., Metense quod nuper citavimus, & statuta S. Bonifacii Moguntini statuunt ad sponsorum munus admitti eos tantum debere, qui ad illos, quorum aliquomodo patres secundum fidem esse debent, instituendos essent idonei. Elias Uticensis Episcopus ab hoc officio arcet, nondum Sacramento Confirmationis munitos. [4] S. Carolus vetat Presbyteros esse Patrinos [5]. Virdunensia idem Religiosis professis, & Monialibus interdicunt, quibus (addunt illa) jure prohibitum est præstare se *Compatres*, & Commatres

---

1 Statuerat id ipsum Leo Pontifex apud Gratianum (de cons. dist. IV. cap. 101.) his verbis: *non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmatione quoque id ipsum fiat*. Unum quoque Patrinum indicant ordines Baptismi a Martenio, & Assemanno divulgati Galensis, S. Germani a Prat s, Gemmeticensis, Apamiensis.

2 Adde Conciliis ibi citatis Bajocense a. 1250. cap. 4. VVogorniense a. 1240. cap. 5. Exoniense a. 1287., Statuta Richardi Episcopi Sarum in Anglia cap. 19. Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis cap. 8. Statuta Johannis Episcopi Leodiensis a. 1287. c. 2. n. 8. Eumdem numerum definiunt Statuta Stephani Cantuariensis Archiepiscopi a. 1222. apud Mansium T. II. Suppl. ad Concilia Labbeana Venetæ editionis col. 893. Concilium Senricum a. 1225. can. LV. (ibid. col. 943.) Statuta Cenomanensia a. 1247. (ibid. col. 1128.)

3 Hunc tamen numerum ad duos patrinos redegerant Statuta Synodalia Johannis Raulin Episcopi Augustodunensis, idque sub pœna XX. Solidorum Turonensium, quam pœnam aggravant mulcta centum Solidorum Statuta Ecclesiæ Catalaunensis cap. 7. Duos quoque indicat Ordo Ecclesiæ Lemovicensis apud Assemannum p. 84.), itemque ordo Syrorum Maronitarum a Stephano Aldoensi emendatus, ac dispositus (ibid. p. 309.) Unum solummodo constituunt Statuta Synodalia Ecclesiæ Biterrensis a. 1342. edita cap. 9., aliaque a Martenio citata lib. I. c. 1. a. 16. n. 13. Sed Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. 1. gravissimo decreto sanxit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier*, *juxta Sacrorum* canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant.

4 Monachis quoque id interdixit Eugenius IV. in cap. placuit 2. 16. quæst. 1. Irregulares, aliosque comprehendunt Statuta Synodalia Ecclesiæ Nemausensis cap. 13. *Probibemus autem districte, ne in patrinum irregularis aliquis admittatur, nec aliquis alius qui excommunicationis vel interdicti sententia est ligatus, vel qui non est confirmatus*. Confer ordinem Ecclesiæ Lemovicensis apud Assemannum lib. 2. Cod. lit. p. 83. Concilium Moguntinum apud Vicecomitem (p. 196.) parentibus filiorum id prohibet: *nullus proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat*. Huc spectat Urbani II. decretum (*can. quod autem quæst. 4.*) Olim tamen parentes Patrinorum munere fungebantur. Vide Augustinum Epist. XXIII. ad Bonifacium.

5 Id tamen licuisse olim Presbyteris, & Diaconis negari non potest. Nam refert Gregorius Turonensis lib. 6. hist. Francorum Theodoricum a Ragnemodo Episcopo de lavacro Sancto susceptum fuisse, a Murita vero Diacono Elpidophorum Victor Vitensis (*de persec. Vand. lib. 1.*), quamquam non crediderim hoc officium præcipue Diaconis, & Diaconissis impositum, ut putavit Binghamus.

matres (hæc ipsa verba sunt). Eadem statuta vetant Patrinorum, & Matrinarum officio fungi infantes; ejusque decreti hanc reddunt caussam, quia ridiculum est spiritalem alterius patrem eum esse, qui secundum naturæ leges pater esse non potest. Statuunt tandem, injungendum esse Patrinis, ac Matrinis, ut filiolos suos, aut filiolas, ubi per ætatem institui poterunt, doceant Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum. [1]

AD CAPUT II.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De veterum Ecclesiarum situ, partibus, & structura.

DISSERTATIO IV.

I. Veteres Ecclesiæ, illæ saltem, quæ ob amplitudinem, & hominum confluentium frequentiam, Basilicæ vocabantur, quatuor constabant partibus, quarum prima, quæ ingressuris obvia erat, Græce πρόναος Latine *vestibulum*, seu porticus dicebatur, atque pro foribus Ecclesiæ structa erat: non tamen sacra censebatur, etsi sacræ structuræ proxime adjaceret. Secunda pars Græce ναός, Latine *Navis* seu gremium denominabatur: huc populus ad divina officia conveniebat. Tertia pars aliquot gradibus supra navim assurgens Græce dicebatur ἀναβάθρον ab ἀναβαίνειν, quod est ascendere, Latine vero *suggestum* nominabatur. Isto ex loco Scripturæ sacræ ad populum legebantur, & sermones a concionatoribus habebantur, Episcoporum constitutiones, Imperatorum etiam edicta quandoque promulgabantur, Psalmi etiam solemniter concinebantur, aliæque Divini Officii partes. Frustra igitur vir quidam doctissimus chorum ab ambone sejungit: cui refellendo sufficiat Laodicenus canon. 15. *Non oportere præter Canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex membrana legunt, aliosque alios canere in Ecclesia.* Quarta denique pars Ecclesiæ Græcis ἱερατεῖον nec non θυσιαστήριον itemque ἱερὸν βῆμα Latinis *sanctuarium*, *sacrarium*, *sacrum Altare* dicebatur, eoque loco divina mysteria, & sacrificia solemni ritu celebrabantur.

II. Ut autem singillatim quas diximus partes exploremus. Vestibulum ac porticus ni-

1 Id nempe præcipuum Patrinorum munus fuit, præsertim quum adulti baptizabantur. Nam Patrini infantium, uti & adultorum, qui aliqua infirmitate impediti respondere ipsi pro se non poterant, debebant præterea ad diversas interrogationes in baptismo respondere. Vide Binghamum lib. XI. cap. VIII. §. IV. & VI. Debebant autem filios suos tum ante, cum post Baptismum instituere, & eorum spiritualis vitæ moderatores esse. Confer Binghamum §. VIII & Martenium artic. XVI. n. XV. Quid in Scrutiniis præstarent Patrini prima parte c. VIII. docet Chardonius. In ipso etiam baptismo fulcire ac sustentare baptizandos debebant. Qua in re Ordo Lemovicensis ab Assemanno editus p. 86. hæc statuit: *Matrina debet expoliare puerum, & tradere Patrino, qui accipiet subtus scapulas . . . . & deferentes puerum ad fontes, omnibus apparatis, & Patrino tenente eum nudum in porta Ecclesia, & Matrina in manu, & pede, si sit consuetudo in illa Ecclesia, vel faciendo caremonias consuetas dicit Presbyter* ec. Capite X. Secundæ hujus partis alia de Patrinorum officio post baptismum dicenda erunt. Duo adhuc restant dicenda. Primum est, susceptorum nomina ab antiquissimis temporibus una cum Catechumenorum nominibus fuisse in Ecclesiasticas tabulas relata. Testem habemus pseudo-Dionysium de Eccles. hierarch. cap. II. Alterum est. Statuta Synodalia Ecclesiæ Avenionensis a. 1337. præcipere, *quod Patres & Matres infantes natos vel nascituros ultra unum diem naturalem non differant baptizare, & quod cum aliqua persona infantem faciet baptizari, eidem infanti, vel ejus matri, seu commatri, vel nutrici non præsumat dare, vel mittere aliquid nisi solum album, & cereum in baptismo*. Addamus & hoc plane singulare, Johannem Sparatium, auctore S. Theodoro Studita l. 2. epist. 27. in filii sui baptismo pro susceptore adhibuisse S. Demetrii Martyris imaginem.

nihil aliud erat, quam tectum humilioris situs, ab Ecclesiæ tecto, quod sublimius erat, distinctum, columnis aut arcubus suffultum, qualia visuntur ante pleraque Romæ Basilicas sacras. Hic locus, cum non esset muris conclusus, ventis, & solaribus radiis pervius, & apertus erat. Hic assentire minimum possum Scriptori tametsi peritissimo, qui pœnitentium secundæ classis, hoc est Auditorum stationem in illa porticu collocat; depellitque ab ea primum, hoc est flentium, ordinem, quos ad aream sub dio vult omnino ablegatos. In primis enim certum indubitatumque est, Auditores pœnitentes fuisse intus Ecclesiam admissos, eorumque stationem ideo dictam audientium fuisse, quia lectiones Scripturarum audiebant, quæ divinum præcedebant Officium: & finitis lectionibus Psalmodiam, deinde Missam cathecumenorum dictam, postmodum Evangelii cantum, postremo Evangelicam prædicationem distincte, & intelligibiliter audiebant; & post aliquot Sacerdotum preces super istis pronunciatas, foras voce Diaconi dimittebantur. At nihil horum sub porticu fiebat, aut fieri audirique poterat, sed intra Ecclesiæ fores ac limina. Præterea quis nesciat distinctas fuisse a lugentibus Auditorum stationes? At vero innumeris, & perspicuis priscorum Patrum testificationibus liquido constat, flentium seu lugentium locum fuisse ad fores Ecclesiæ, quarum tamen limen transilire vetabantur. At vero ut ad metam illam auditores se sisterent, transilienda primum eis porticus erat; quippe quæ foribus illis objecta erant. Omissis testibus aliis innumeris audiamus can. 11. Gregorii Neocæsariensis aut si quis sit alius ejus auctor, gravis certe, & antiquitate venerandus, *fletus extra januam oratorii est*. Deinde subjungit, *auditio intra portam in Narthece*. Non igitur eis portam, ad quam porticus pertingebat, sed inter eamdem, seu intra oratorium in quo decantabantur divina Officia, legebantur divinæ Scripturæ, pronunciabantur de pulpito ad plebem sermones; quarum omnium rerum auditioni obstrictum erat genus pœnitentium secundum, hoc est Auditores. Similiter Basilius ad Amphilochium can. 56. de voluntario homicida, quem ante omnia stationi fletus per quadriennium addicit, sic decernit. *Debet quatuor annis deflere stans extra fores oratorii*. Idemque can. 75. de incestuoso qui propriam sororem vitiavit. *Triennio defleat stans ad fores domus oratoriæ*. Non igitur reum ordinis flentium amandat procul extra oratorii valvas ad aream aliquam sub dio; sed stationem ad oratorii valvas assignat, & canoni satisfit, si propter januam consistat, dum limen oratorii non transiliat. Et vero si pœnitentibus istiusmodi orandum sub dio fuisset, periclitandum illis de morte fuisset ingruente imbrium vi, aliave tempestate.

III. Ingressis Ecclesiæ januas primum occurrebat pars illa navis, quæ νάρθηξ dicebatur, eratque pœnitentium Auditorum statio. Toto enim cœlo aberrarunt, qui Narthecem Auditorum locum, ac stationem existimarunt esse porticum extra Ecclesiæ sanctæ ambitum, & laquearia structam, tectoque humiliorem: satis enim superque jam ostensum est, Auditores constitisse intus sacram Ecclesiam, flentesque in ipso vestibulo seu porticu. Sapientius itaque locum Gregorii Neocæsariensis ἐν τῷ νάρθηκι Baronius *tom. 2. ad an. Chr. 263. n. 29.* sic exponit, *in loco quem nartheca vocant, seu in ferula*; quam vulgaris interpres, qui multis fraudi fuit, dum vertit in *porticu*. Hujusce vero denominationis causam congruentem nullam video, præter eam quam tradit Joannes Meursius in suo Lexico Græcobarbaro: Quia (inquit) ibi pœnitentium statio erat sub Ecclesiasticæ censuræ ferula: id enim, idest *ferulam*, sonat νάρθηξ. Flentes autem, quasi projectitii & alieni ab ingressu Ecclesiæ, manuumque impositione Sacerdotali, non dignabantur nomine filiorum sub ferula constitutorum, juxta illud Pauli Hebr. 12. *Quod si extra disciplinam estis; ergo adulteri, & non filii estis*.

IV. Audientes pœnitentes loco intus Ecclesiam antecedebat aliorum pœnitentium ordo, qui *substrati*, seu prostrati dicebantur. Atque isti simulque audientes una cum catechumenis, atque energumenis, ad vocem Diaconi proclamantis: *Exeant qui non communicant*, de Ecclesia ante offertorium discedebant; remanentibus tamen ad usque finem collectæ pœnitentibus quartæ classis,

qui

qui *consistentes* nuncupabantur; eorumque statio ac ordo *consistentia* quarti generis pœnitentium, qui a tergo populi ad Eucharistiæ participationem admissi, exortes tamen erant sacræ communionis. Quæ ultima populi versus Sacrarium statio, a Basilio dicitur μέθεξις idest *participatio*, nimirum communionis.

V. Navim ingressis occursabat tabulatum, aut murus intermedius virorum stationem a fœminis dirimens, pertingensque a primis Ecclesiæ foribus ad usque ambonem, & Sanctuarium. Ex utraque parte janua occurrebat, cujus præfectura incumbebat ex parte fœminarum ostiariæ Diaconissæ. Januæ vero, quæ viris aditum aperiebat, custodia penes ostiarios Clericos erat. In hisce sexuum separationibus ordines utraque ex parte servabantur pœnitentium, & participantium, a nobis jam commemorati; quibus ex parte fœminarum adjungebantur sacræ Virgines ad intimam stationem Sanctuario proximiorem: sicut ex parte virorum intima occupabant Monachi, quo tempore proprias Ecclesias non habebant, ut ex Dionysii hierarchia Ecclesiastica, & ex Ambrosii ad virginem lapsam epistola colligitur. Per gemina etiam Navis, seu gremii latera, in quibusdam Ecclesiis producebantur hinc inde porticus arcubus, vel columnis suffultæ, intra quas distincta erant sacella seu oratoria, ad secretius, si luberet, orandum: ut commemorat Paulinus in epistola ad Severum, in quibus altaria erecta erant. Scribit etiam Ambrosius epist. 33. ad virginem Marcellinam sororem suam, postquam tumultum graphice descripsit ab Ariana Imperatrice Justina concitatum adversus ipsummet Ambrosium Episcopum, quem plebs Mediolanensis studiose custodiebat intra Basilicam sacram, quam Justina furens sancto Episcopo & Orthodoxis eripi, & Arianis tradi, immissis intra illam armatis contendebat. Postquam demum Justinæ filius Valentinianus Imperator pacem denunciari, militesque ex Basilica occupata pedes efferre jussit, scribit Ambrosius in illa communi Fidelium lætitia, *milites ipsos irruentes in Altaria osculis significasse pacis indicia*. Igitur non unicum stabat intra ad templum Altare, sed plura hinc inde dispersa. His adde majus Altare, quod erectum intus Sanctuarium erat, fuisse armatis inaccessum, & cancellis circumclusum, illuc enim aliis quibuslibet quam Sacerdotibus, & sacris Diaconis accedere nefas erat. Altaria itaque illa, quibus nova pacis denunciatione lætantes milites oscula figebant, inferius per circuitum Navis collocata erant, & hinc inde dispersa. Magnus præterea Romæ Pontifex Gregorius I. lib. 1. epist. 50. ad Palladium, meminit Ecclesiæ cujusdam, quæ tredecim Altaria continebat. Quorsum vero tot Altaria, si semel dumtaxat intra unam Ecclesiam licebat offerre sacrificium, ut nonnulli putaverunt.

VI. Altera Ecclesiæ pars erat, ut dictum est, Ambon; chorus nimirum muro circumseptus, ad quem gradibus aliquot ascendebatur ex paululum subjecta navi. Situs erat ambonis intermedius navi, & Sanctuario. Ex ambone minores Clerici psallebant, ut liquet ex præcitato canone Laodiceno 15. Itemque Carthaginensis quarti Concilii can. 10. & ex Romano sub Sancto Gregorio anni 595. Ibidem Diaconus solemniter in Missa sanctum concinebat Evangelium, proclamabantur Episcoporum edicta & jussiones, denunciabantur excommunicati, recitabantur ex diptychis fidelium tum viventium, tum defunctorum nomina, legebantur a Clericis lectoribus sacri libri, atque ad populum sermones habebantur. Supersunt Romæ integri duo vetustissimi ambones, quo præsens, dum essem in comitatu Eminentissimi Cardinalis Hieronymi Grimaldi Aquisextiensis Archiepiscopi, exacte observavi. Horum unus est in Ecclesia Sancti Clementis Papæ, & Marryris ad Amphitheatrum: alter in Ecclesia Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei. Prior ille ambon duo continet pulpita, singula utrique lateri cohærentia; cum tamen unicum sit Sanctorum Nerei, & Achillei pulpitum muro navis cohærens.

VII. Quatuor ut plurimum erant in ambonibus portæ, ex quibus geminæ ad Navim spectantes vocabantur ὡραῖαι *speciosæ*, aliæ pariter geminæ ad Sanctuarium præbentes ingressum dicebantur ἅγιαι πύλαι *portæ sanctæ*. Istarum cura, & custodia Subdiaconis incumbebat, quibus prohibent

Sy-

Synodi Laodicenæ canones 21. & 12. ab his januis discedere, atque eisdem vetant in Sanctuarium, & Diaconium se ingerere.

VIII. In Ecclesiis Græcorum locus erat amboni & Sanctuario intermedius, qui nunc σωλεῖον nunc σωλετος nunc σωλεα legitur appellatus, eratque ambone seu choro paucis aliquot gradibus elevatior: atque eousque ad Eucharistiam participandam procedebant laici, & cum eis Clerici, qui ob aliquam culpam fuerant ad laicam redacti communionem. Qua de re tractatum supra fuit in *Dissertatione V. de veteribus olim in sacra Eucharistia adhibitis ritibus*. Solea itaque interjacebat inter ambonem, & Sanctuarii cancellos. In hisce objectis Sanctuario cancellis erant apud Græcos dictæ sacræ portæ. Mihi quidem adhuc incompertum est, utrum tempore Calchedonensis Synodi, Senatus, qui ante cancellos considebat, esset initus, an extra cancellos, an in sanctuario; an in solea. Certe vel Principum ambitione, vel Clerici socordia factum fuerat, ut Principes primum, deinde Optimates aulæ, multa sibi indebita in Ecclesiis Græcorum præriperent; ut addiscimus ex congressu Theodosii senioris cum Ambrosio Mediolanensi Episcopo, coram quo suam ille excusat in Sanctuario præsentiam, eo quod nescivisset usum cæterarum a Constantinopolitana Ecclesiarum, in qua Patriarcha Nectarius ipsum in Sanctuario voluerat residere. Perspecta etiam est Nicolai Romæ Pontificis expostulatio apud Michaelem Orientis Imperatorem, qui etiam inter sacra officia Constantinopolitanum Patriarcham ad suos pedes abjicere non verebatur. Refert Historicus Nicetas solium Imperatoris intra Constantinopolis Ecclesiam longe eminentius fuisse Patriarchali Sede. Illa sane Calchedonensis œcumenica Synodi expressio, actione 1. *Residentibus magnificentissimis, & gloriosissimis Judicibus, & Amplissimo Senatu in medio ante cancellos sanctissimi Altaris* videtur ambigua, num intra vel extra sacros cancellos sederent illi Magistratus. Sed tamen mirum est, si Sanctuarium Ecclesiæ Calchedonensis tantæ fuisset amplitudinis, ut ambitu suo tam multos Antistites, tamque numerosam Optimatum & Senatorum multitudinem complecti posset.

IX. Quartæ demum Ecclesiæ partis diversa erant nomina, Sanctuarium, Secretarium, Tribunal, Sancta, Sanctorum Latinis; Græcis vero ἱερατεῖον, ἱερὸν βῆμα, τὰ ἅγια, τῶν ἁγίων ἁγιώτερον, eratque pars Ecclesiæ sacratissima penitissimaque. Hujus in medio situm erat sub tabernaculo Altare primarium, ad quod Sacerdos sacrum celebrans stabat facie ad populum versa: quo etiam situ pleraque adhuc Romæ visuntur altaria, præcipua nimirum quinque Basilicarum præcellentium, quæ Patriarchales nuncupantur, Lateranensis, Petri in Vaticano, Pauli in via Ostiensi, Sanctæ Mariæ Majoris in Esquiliis, & Laurentii in agro Verano, prætereaque Cæciliæ trans Tiberim, Sabinæ, Alexii, Pancratii, Eustachii, Nerei atque Achillei. Tabernaculum vero altari superpositum, fornix erat lapidea, aut ex metallo quatuor columnis sustentata, qualis etiam nunc visitur in altaribus jam memoratis. Eidem etiam nomen *Ciborii* promiscue a Græcis, & Latinis tribuitur, ut passim legitur in libro Pontificum Anastasii. Germanus insuper Constantinopolis Episcopus κιβώριον istud describit, constans superne ampla testudine, & quatuor inferne columnis altare ambientibus. Quin etiam huic voci Græcam tribuit etymologiam a κιβὼς idest *arca*, & ὁρᾶν quod est *videre* quasi sit Arca visionis, seu manifestationis Domini Salvatoris. Latini vero deducunt a *cibo* id nomen, hoc est ab Eucharistico pane, quo ad perennem vitam alimur. Simile in præcedenti dissertatione vidimus de Orario, cujus etymon Græci, latinique singuli ad propriam linguam referunt. Nec desunt qui vocem *Mysterium*, alii ad Græcam, alii ad Hebraicam originem referant, hi ad radicem *Satar*, alii ad Græcum μυω [illegible] utraque vox significat abscondere, cla[illegible]ere: & *Mistar absconditum, res abdita*. Unde facile deducitur *Mysterium*.

X. Sanctuarium porro ipsum, interjectis cancellis, a reliqua Ecclesia fuisse divisum, non modo tradit Calchedonense Concilium, sed etiam meminit Gregorius Nazianzenus in oratione 15. ex quo verbum Dei populo prædicabat. Eusebius etiam Cæsarien-

riensis lib. 10. hist. Eccl. c. 4. loquens de structura Basilicæ Tyri, a Paulino ejusdem civitatis Episcopo dedicatæ hæc dicit: Locus erat Sanctuarii in speciem quadratam columnis sublimibus undique circumseptus, quarum media intervalla interstitiis ex ligno instar retis aut transennæ cancellatis in mediocrem, & æquabilem longitudinem circumclusa. Additque, altare in Sanctuarii meditullio situm fuisse. Ibidemque adjungit a fronte hujus templi positum fuisse fontem uberes aquas profundentem, ad quem manus abluebant quicunque locum sacrum ingressuri erant. Paulinus etiam Nolanus Episcopus aliorum meminit fontium, ad introitum Ecclesiarum constitutorum, epist. 12. ad Severum, & epist. 31. ad Aletium; quibus arguitur, consuetudinem religiosam, quam Judæi servabant, manus abluendi ante sacras preces, quam refert Aristeas, lib. de septuaginta Interpretibus, ad primos quoque Christianos pervasisse, ideoque solitos fontes pro foribus Ecclesiarum collocare.

XI. Præterea ita disponebatur Ecclesiarum situs, ut ad Orientem spectarent. Clemens Papa & martyr de Ecclesiæ structura loquens lib. 2. Constitutionum c. 6. *Primum quidem* (inquit) sit longa, & ad Orientem conversa. Hoc idem significat Tertullianus adversus Valentinum c. 2. idemque afferit Paulinus in relata ad Severum epist. 12. Hoc idem attestatur loco citato Eusebius, de structura memoratæ Tyri Ecclesiæ. Qui præterea lib. 3. vitæ Constantini cap. 36. describens fundatum a Magno Constantino in loco Dominicæ Resurrectionis templum, tres illius partes ad Ortum perspexisse perhibet. Templi quoque Salomonis anteriorem partem Solis ortum prospexisse testantur oculari testes Aristeas, & Josephus, atque ex horum testificatione Ribera, in opere suo de templo Judaico, & Baronius ad annum Christi 57. numero 103. Quinetiam quamplurimis veterum auctorum testificationibus convincitur, religiosum apud Romanos fuisse, ante prædicatam Christi fidem, ut quatenus fieri posset dum falsis numinibus cultum adhibebant aut sacrificabant, id agerent converso ad Ortum aspectu. Hunc ritum Numam Regem Romanis Deos invocantibus præscripsisse tradit Plutarchus in ipsius vita. Eodem referuntur hi Virgilii versus lib. 8. Æneid.

Surgit & ætherei spectans Orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces.

Ejusdem ritus idem pariter meminit Æneid. lib. 12.

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas,

Quo loco Servius ait: *Disciplinam cærimoniarum sequutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* His adde Ovidium lib. 4. Fastor.

His Dea placanda est, hæc tu conversus ad Ortum
Dic quater:

Sed & Vitruvius de templorum architectura l. 4. c. 5. hæc prodit: *Ædes autem sacræ deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent sic erunt constituendæ, uti si nulla ratio impediverit, liberaque fuerit potestas, ædis signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli regionem: ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacra facientes, spectent ad partem cœli Orientis, & simulacrum quod erit in æde. Et ita vota suscipientes contueantur ædem, & Orientem cœli.* Quo etiam argumento Tertullianus in Apologetico dicit: *Sed & plerisque vestrum affectatione aliquando cœlestia adorandi, ad solis Ortum labia vibratis.* Huc pertinet dictum illud Latini Pacati in Panegyric. *Ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus a qua Lucis exordium est.* Denique Clemens Alexandrin. lib. 7. Stromatum, solemnem plane fuisse hanc ad orientem conversionem in actibus ad religionem spectantibus indicat.

XII. In Sanctuario, præter intermedium Altare, geminæ hinc inde mensæ collocatæ erant, quales etiam nunc conspiciuntur marmoreæ in Sanctuario commemoratæ sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei Ecclesiæ. In ea, quæ ad lævam erat, reponebantur vasa sacra cum suis velis, simulque panis consecrationi, sacræque communioni destinatus, partim etiam eulogiis post sacram synaxim distribuendis assignatus. Mensam istam Græci *propositionem* vocant cujus accessum etiam ipsis Subdiaconis, nec non sacrorum vasorum contactum interdicit Laodicena Synodus canon. 21. In

21. In altera ad dexteram erecta mensa reponebantur sacra Episcopi, vel Sacerdotis sacrificaturi vestimenta.

XIII. Per interiorem Sanctuarii circuitum dispositæ erant exedræ pro Sacerdotibus, atque his editior Cathedra Episcopalis in medio, ac intimo Sanctuarii hemicyclo e regione altaris; adeo ut sedens Episcopus, & altare, & populum recta prospiceret. Hujusmodi visitur solium, in illo sanctorum Nerei, & Achillei sanctuario, ex quo sanctus Papa Gregorius (ut ipse de se perhibet) sermonem olim die horum martyrum natalitio ad populum habuit. Propter quæ venerandæ antiquitatis vestigia, sedulo admonuit, insculptis marmori literis, nunquam satis laudatus ejusdem Ecclesiæ titularis Cardinalis Cæsar Baronius, ne quis posthac ejus speciem immutaret, aut lapidem moveret. Cujus etiam curam, & ministerium Sacerdotibus Oratorii Sanctæ Mariæ dictæ in Vallicella fecit attribui. Ista vero Pontificia sedes, tribus est elevata gradibus supra contiguas utrobique dispositas ex marmore Cathedras. De Cathedra Episcopi sic Augustinus scribit in Psalm. 126. ***Quomodo vinitori altior locus fit ad custodiendam vineam, sic & episcopis altior locus factus est; & de isto loco periculosa redditur ratio.*** Liturgia etiam Chrysostomi sedem vocat Episcopalem *quæ sursum est, Cathedram*. Clemens Papa, & Martyr lib. 2. Constitutionum Apostolicarum, c. 61. similiter docet in medio Sanctuarii sedere Episcopum. Id est in medio penitioris parietis, qui Sanctuarium a tergo ambit. Additque sacrum Clerum ad ejus utrumque latus assidere.

XIV. Veruntamen ex ista Cathedra, quæ divinis Officiis inserviebat, sermocinari non solebant ad populum Episcopi; neque ex ambone, nisi minores Sacerdotes. Sed quando Antistes erat ad plebem concionaturus, apparabatur ei mobilis cathedra supra celsiorem Altaris gradum e regione ambonis atque navis. Eaque vigebat consuetudo tum in Orientalibus; tum in Occiduis Ecclesiis. Gregorius enim Nazianzenus oratione 150. ait se concionante cancellos vim passos ac pene emotos a confluentis populi frequentia. Cancellorum autem objectu superius dictum est Sanctuarium fuisse a reliquo templo divisum. Et de Chrysostomo Socrates prodit peculiare hoc ei fuisse, ut extra Sanctuarium, quo melius a populo audiri posset, in ambonem prodiret ad concionandum, instar inferiorum Sacerdotum, quibus licitum non erat e Sanctuario sermocinari. Huc spectat pariter Prudentii Basilicam Hippolyti martyris describentis distichum, de Sanctuario sic loquens.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat inde Deum.

Et Sidonius Apollinaris in carmine eucharistico ad Faustum Rejensem Episcopum ita concinit:

Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs sedula circumsistit,
Expositæ legis bibat auribus ut medicinam,

Supra memoratus Clemens meminit duorum, ut appellat, Pastophoriorum in Ecclesiis extruendorum lib. 6. Constit. Apost. cap. 61. Eadem significat Paulinus nomine *Secretariorum*, quæ dicit esse ad absidem epist. 12. ad Severum. Cum vero Absis peculiariter diceretur fornix, seu arcus ipsum Sanctuarium superne coronans; facile colligitur gemina illa Pastophoria seu secretaria fuisse in fronte Sanctuarii hinc inde collocata: quorum unum inserviebat (ut multis visum est) recondendæ sacratissimæ Eucharistiæ; aut (ut alii multi opinantur) erat ipsa quæ nunc vocatur Sacristia, & antiquitus Secretarium, quod idem nomen nonnunquam Sanctuario quoque tribuebatur, ut diversis paulo post testimoniis comprobabitur. Græce etiam Sacristia σκευοφυλάκιον vocabatur, & Sacristiæ præfectus; seu Æditus σκευοφύλαξ, latine Sacrista, Custos æditus. Alterum vero Secretarium seu Pastophorium sacris Ecclesiasticis libris recondendis usui erat. Testificatur Paulinus se quod ad lævam erat Secretarium hoc disticho inscripsisse:

Si quem sacta tenet meditandi in lege voluntas
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Idemque de altero Secretario ad dexteram sito a se descripti Templi, scribit a se superpositum fuisse distichum istud:

Hic

Hic locus est, veneranda penus, quo conditor; & quo
Promitur alma sacri pompa ministerii.

XV. Sacrae reconditorium Eucharistiae solebat antiquis ut plurimum esse armarium ac repositorium ad Sanctuarii latus, ut colligitur ex supra allegatis Clementis, & Paulini locis. At vero secundum Turonense Concilium can. 3. prohibet in imaginario ordine componi Dominicum corpus, sed jubet in Altari reponi sub titulo Crucis. Poterat quidem esse loculus affabre dispositus in illa Crucis mediana parte, qua duo ligna, rectum & transversum, committebantur; aut certe titulus Crucis pro ipsamet Cruce ibi usurpatur, ut velit Concilium, Eucharistiam in medio Altaris recondi intra loculum situm sub pede Crucis. Alibi praeterea solebat Divinum Sacramentum reponi, & asservari intra suspensam supra sanctum Altare columbam, vel pyxidem, vel arculam auream vel argenteam, ut colligitur ex supplice libello quem oecumenicae quintae Synodo Clerici, & Monachi Antiocheni obtulerunt, actione 1. Severum Pseudopatriarcham haereticum accusantes subreptarum furto columbarum ex auro fabricatarum, quae fuerant ad sacras aras appensae, itemque aliarum argentearum quae fuerant in Baptisteriis collocatae, ad communicandos (ut conjicio) recens, pro vigente tunc consuetudine, baptizatos. Legimus insuper in Basilii Graece conscripta vita, Amphilochio attributa, columbis argenteis inclusam de more fuisse in templis Eucharistiam. Quem ritum suspendendi vasculo Augustissimum Sacramentum, quod funiculo serico elevari aut demitti olim ad populi communionem soleret, vidimus ad usque nostram aetatem perdurasse in Metropolitana Aquarum Sextiarum Basilica. Sed jam prorsus inolevit, introductis commodioribus tabernaculis primario Altari superpositis. Extat Venantii Fortunati carmen de Turri, quam Felix Bituricensis Episcopus ex auro fabricari curaverat, ad condendum intus vivificum Sacramentum. Is vero Felix huic Turonensi secundae Synodo legitur subscriptus. Asservatae praeterea in templis Eucharistiae exemplum habet Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, in illo Donatistarum scelere, qui, facta in Ecclesiam orthodoxam irruptione, depromptum inde sacratissimi Corporis Sacramentum canibus devorandum projecerunt: sed converti canes ad sacrilegos, non Eucharistiam sed illos impios dentibus, & efferata rabie lacerarunt. Taceo epistolam ad Jacobum fratrem Domini, quae meminit asservationis sacrorum fragmentorum hujus Sacramenti intra Sacrarium, quae Clementi Papae attribuitur; quae quidem pseudepigrapha, & supposititia est, opus tamen antiquum, & demonstrans prisci temporis usum.

XVI. *Secretarii* vocabulum diversa significat. Primum apud Jurisperitos usurpatur pro secreto judicis auditorio, in quo seorsim tum partes, tum testes audiebantur. Apud Ecclesiasticos vero Scriptores diversa connotat: nunc ipsum Conclave, in quo vasa sacra, & alia ad sacrificium spectantia, omnisque ad templi cultum, & ornatum pertinens suppellex asservatur: nunc illam etiam Sanctuarii partem, in qua vela, vasaque & indumenta sacra ad sacrificium decenter apparabantur, tum in Diaconio, tum in mensa protasis, ut superius descripsi: nunc demum pro toto ipso Sanctuario usurpantur. Sic enim tertium Carthagine habitum Concilium inscribitur, *In Secretario Basilicae Restitutae*. Et quartum Carthaginense similiter; *in Secretario Basilicae Fausti*. Septimum pariter in eadem civitate, in *Secretario Basilicae Restitutae*. Et Milevitanum, in *Secretario Basilicae*. Atque Africanum plenarium, in *Secretario Basilicae*. Caesaraugustanum, in *Secretario*. Arelatense secundum can. 15. diserte *Secretarii* nomine Sanctuarium exprimit. Liberatus Diaconus in Breviario c. 13. vocat *Secretarium*, Ecclesiae sanctae Euphemiae locum, in quo Synodus inita est Calchedonensis. Denique Gregorius Magnus lib. 2. epist. 54. Sanctuarium similiter *Secretarii* appellatione designat.

XVII. Graeca etiam vox *βῆμα* duplex Ecclesiasticum significatum complectitur, seclusis aliis, & prophanis significationibus. Nam praeterquam quod Sanctuarium persaepe significat, usurpatum pariter pro *Ambone* legitur, vocisque origo ac etymon utrique rei convenit, *ab ascendendo*. Gregorius Nazianzenus, Invectiva 1. in Julianum, postquam retulit istum militiae

Christianæ infamem desertorem, olim in Ecclesia Clericum Lectorem fuisse, subjungit *ambonis ascensu honoratum*. Siquidem ex ambone legebatur: solis vero sacris clericis, quales minime censebantur Lectores, Sanctuarium ingredi licebat, ut perspicue decernunt Laodicenæ Synodi canones 21. & 22.

XVIII. Denique Baptisteria non intra, sed extra Ecclesiam constructa erant: quale hodie visitur Constantinianum juxta Basilicam Lateranensem, quam utramque fabricam Constantinus a fundamentis erexerat. In primariis item Etruriæ civitatibus Florentia & Pisis, Metropolitanarum Basilicarum Baptisteria sejuncta ab eis cernuntur, veterisque hujus consuetudinis certam fidem facit Cyrillus, Catech. Mystag. 1. Paulinus etiam in sæpius præfata ep. 12. Baptisterium refert a se inter duas Basilicas extructum.

P. D. JOHANNIS MABILLONII BENEDICTINI

De Ecclesiarum, seu Basilicarum forma, & dispositione apud Francos

DISSERTATIO V.

Ex Lib. I. de Liturg. Gallic. cap. VIII.

I. NON una fuit apud majores nostros ecclesiarum, seu basilicarum forma. Aliæ quippe in modum crucis, aliæ recto parietum & porticuum seu alarum ordine, aliæ in orbem constructæ erant: quædam laquearibus vel tabulatis, nonnullæ fornicibus instructæ omnes in absidem seu arcum desinebant, atque Orientem spectabant, quem morem *usitatiorem* vocat Paulinus in epist. 12. ad Severum, quæ est 32. in novissima edit. Unde Stephanus Episcopus Tornacensis in Epist. 86. ad Lucium Papam III. ait, Parisiensis Ecclesiæ S. Benedicti formam *dissimilem* & *dissidentem* esse *ab aliis ecclesiis*, utpote *quæ a parte sanctuarii respiciebat Occidentem, ab introitu Orientem*. Aptissima est huic loco basilicæ a Perpetuo Turonensi Antistite conditæ descriptio apud Gregorium in Historiæ lib. 2. cap. 14. *Habet in longum pedes centum quinquaginta quinque, in latum sexaginta habet, in altum usque ad cameram*, id est fornicem, *pedes quadraginta quinque. Fenestras in altario triginta duas, in capso viginti; columnas quadraginta unam: in toto ædificio fenestras quinquaginta duas, columnas centum viginti: ostia octo, tria in altario, quinque in capso*. Hoc loco Gregorius totam ecclesiam dividit in partes duas: quarum una dicitur *altarium*, altera *capsum*.

II. Quid sit *capsum*, non promtum est definire. Hac voce navim (quam vocamus) ecclesiæ, vel caput seu absidam cum choro adjuncto designari constat. At quominus id de absida interpreter, illud facit, quod ostia quinque capso assignentur. Quod non absidæ, sed navi convenire potest. Sic dicitur *capsa navis* in actis Martyrum Africanorum apud Baronium ad annum 302. num. 123. ad designandam imam veræ navis partem. Postea tamen *capsum* etiam, & *capitium* appellata est illa ecclesiæ pars, in qua altare locatum, *Presbyterium* vulgo appellata, ut doctissimus Cangius observat. Gregorius in ejusd. lib. cap. 16. describit aliam ecclesiam, quam S. Namatius apud Arvernos ædificavit, *habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta; in altum infra capsum usque cameram pedes quinquaginta, in ante absidem rotundam habens; ab utroque latere ascellas*, id est porticus, *eleganti constructas opere; totumque ædificium* IN MODUM CRUCIS *habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo*. Quod scribit Gregorius, *in ante absidem rotun-*

tundam habens, mihi prima lectione referri videbatur ad *capsum*. Nam si ad Ecclesiam referas, scribendum fuisset *habentem*. Ex quo inferebam, *capsum* ab abside fuisse distinctum cum ante se absidem *rotundam* haberet. Verumtamen postea satius visum est, *habens* referri ad ecclesiam, & *habentem* legi oportere. In utraque ecclesia, quam ex Gregorio descripsimus, octo erant *ostia*: & *tria* quidem ad *altare* seu presbyterium, *quinque* ad *capsum*. De illis tribus, quibus ad presbyterium patebat aditus, intelligendus Paulinus in Natali x.

Trinaque cancellis currentibus ostia pandunt.

Totidem enumerat Paulus Silentiarius: *tribus autem portis totum septum Sacerdotibus patet*, in æde scilicet S. Sophiæ. In *capso*, quod reliquam a Presbyterio ecclesiæ partem apud nos complectebatur, quinque ostia erant, tria nimirum in majori porta ad Occidentem: duo ad bina latera.

III. Non omittenda est hoc loco descriptio ecclesiæ Gemeticensis, qualis a S. Filiberto Abbate sæculo septimo condita est. *Introrsus domus alma fulget, habitantibus digna, ab Euro surgens ecclesia*, CRUCIS INSTAR *erecta: cujus apicem obtinet alma virgo Maria, altare ante faciem lectuli condente beatissimo Filiberto, pictum gemmarum lumine, comtum auri, & argenti congerie. Ab utroque latere Johannis, & Columbani aræ dant gloriam Deo. Aderat a Borea Dionysii Martyris, & Germani Confessoris ædicula: in dextris nobile permanet S. Petri Oraculum*, id est Oratorium: *e latere habens S. Martini sacrarium*. In hoc contextu plana, & perspicua fere sunt omnia, nisi quod non satis explorata est *lectuli* notio. *Lectus* seu *Lectulus* aliquando altare, aliquando sancti tumulum significat. In actis S. Anstrudis Abbatissæ Laudunensis num. 33. Adalsinda, quæ ei successerat, cælitus admonetur, *ut lectum citius faciat ædificari*. Quod cum ab alia Sanctimoniali cui id revelatum fuerat, audisset, *intellexit lectum illum significare altare*. At in actis S. Trudonis num. 25. quidam *ante lectum piissimi Patris*, id est ante ejus tumulum, se prostrasse dicitur. Quo sensu passim apud auctores mediæ ætatis reperitur, ut apud Gregorium in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 35. ubi *lectuli* S. Martini pro tumulo meminit. Omnino dici potest, *lectulum* hoc loco esse mensam ipsam altaris, cujus summa pars *altare* appellatur ab hoc auctore, qui sæculo septimo scribebat.

IV. A proposito non digrediemur, si referamus id quod Beda Venerabilis in lib. 1. de historia monasterii sui num. 5. commemorat, videlicet Benedictum cognomento Biscopum, Oceano transmisso Gallias petisse, ut *cæmentarios*, *qui lapideam sibi ecclesiam*, id est *cum tabulatu lapideo*, uti explicat Willelmus Malmesburiensis monachus, *juxta Romanorum quem semper amabat, morem facerent*, postularet. Deinde cum opus *ad profectum* accederet, rursus *legatarios misisse in Galliam, qui vitri factores, artifices videlicet Britannis eatenus incognitos, ad cancellandas ecclesiæ, porticuumque, & cænaculorum ejus fenestras adducerent. Factumque est, & venerunt nec solum postulatum opus compleverunt: sed & Anglorum ex eo gentem ejusmodi artificium nosse discere fecerunt. Ad hæc cuncta quæ ad altaris, & ecclesiæ ministerium competebant, vasa scilicet vel vestimenta quia domi invenire non potuit, de transmarinis regionibus advectare religiosus emtor curabat*. Ubi vides, quanta fuerit majorum nostrorum in ornandis locis sacris sollicitudo, & industria præ aliis. Guthberctus Abbas Anglicanus, cum rursus vitri artifices apud se deessent, aliquem *qui vitrea vasa bene posset facere* petiit a Lullo Episcopo Moguntino. Confer Alfredi Regis vitam.

V. Quo ritu fieret primis illis temporibus Ecclesiarum apud nostrates dedicatio, satis explicat Gregorius in lib. de gloria Confessorum cap. 20. ubi Oratorii ab se factam dedicationem describit. Et primo quidem in alia sancta basilica *vigiliis noctem unam ducentes*, inquit, *mane venientes ad cellulam, altare quod erexeramus, sanctificavimus*. Deinde *regressi ad basilicam, sanctas reliquias exinde, solemniter radiantibus cereis crucibusque, admovimus. Erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus, & civium honoratorum ordo præclarus; sed & populi sequentis ordinis magnus numerus. Cumque sacrosancta pignora, palliis ac mappis exornata, in excelsum deferremus, perveni-*

venimus ad ostium Oratorii. Ingredientibus autem nobis, subito replevit cellulam illam fulgor terribilis, &c. Concilium Arausicanum II. in dedicatione basilicæ a Liberio Patricio constructæ celebratum est anno DXXIX. Lege Vigilii Papæ epistolam ad Profuturum Episcopum Bracarensem. Quales ad dedicationem reliquiæ adhiberentur, constat ex eodem auctore aliisque qui reliquiarum nomine intelligunt, quidquid aliquo modo Sanctum aliquem, ejusve tumulum attigerat, scilicet pannos, linteamina, & alia id genus. Consulendus hac de re Gregorius in lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 11. & lib. 1. de gloria Martyrum cap. 28. ut multa alia loca prætercam, ecclesiarum nostrarum partes breviter explicaturus.

VI. Atque ut ab altari, quæ sacratior ecclesiæ pars est, exordiar; de eo hoc statutum habemus in Concilii Agathensis can. 14. *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*. Et in concilii Epaonensis can. 26. *Altaria nisi lapidea chrismatis unctione non sacrentur*. Formam altaris ecclesiæ S. Petri apud Burdegalam describit Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 33. *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior, in modum cryptæ, ostio clauditur, habens nihilo minus & ipsa cum Sanctorum pignoribus altare suum*. Multa ejusmodi altaria edita, & super cryptas locata supersunt in Ecclesiis Gallicanis. Ad hæc altaria quibusdam gradibus ascensus erat, ita ut sub gradibus fideles oraturi possent consistere, ut pluribus ostendi in Præfatione 1. sæculi 3. num. 79. Ejusdem prope formæ erat in basilica S. Cypriani martyris *analogius; in quo libro superposito, cantatur aut legitur*, inquit Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 94. *Nam ex uno lapide marmoris totus sculptus adseritur: id est mensa desuper, ad quam per quatuor gradus adscenditur: cancelli in circuitur, subter columnæ: quia & pulpitum habet, sub quo octo personæ recipi possunt*.

VII. Qui historiam Eucharisticam nuper composuit Rocus Minister, negat ante sæculum octavum in una Ecclesia plura fuisse altaria. Ad hoc autem revincendum sufficit unus Gregorius M. qui in lib. 5. epistola 50. ad Palladium Santonensem Episcopum, *tredecim altaria* testatur fuisse in ecclesia quadam, in honorem Apostolorum ab ipso Palladio constructa. Et Gregorius alter superius in ecclesia S. Petri apud Burdegalam duo altaria memorat, unum *in pulpitis*, aliud in crypta sub illo Summo altari. Brennaci in pago Suessionensi tria erant altaria, in quibus (ut jam vidimus) Gregorius Missas tres celebravit. Non immoror pluribus testimoniis congerendis, vide quæ hac de re a nobis dicta sunt in Præfatione 1. Sæculi 3. ubi tabulas *itinerarias*, quæ vice altaris itinerantibus Sacerdotibus essent, in usu fuisse ante sæculum XI. contra eundem Rocum demonstratum est.

VIII. Altaria ciboriis passim instructa erant, præsertim altare majus, quod prævios habebat cancellos, & picturas ex utroque latere ad parietes. Ciboria erant turritæ ædiculæ, quatuor minimum columnis innixæ, quæ ædiculæ altare tegebant more græcorum, apud quos *supra incontaminatam mensam vastum in aerem immensa turris exsurgit: quadrifidis vero argenteis arcubus incumbens, argenteis perinde columnis attollitur, in quarum vertice argenteos pedes statuit arcus quadruplex*, ut de ciborio S. Sophiæ tradit Paulus Silentiarius apud eruditissimum Cangium. Anastasius in Gregorio 1. *Hic fecit beato Petro Apostolo ciborium cum columnis suis quatuor argento puro:* & in Leone m. *Fecit in basilica B. Petri apostoli, super altare majus, ciborium cum columnis suis quatuor ex argento purissimo deaurato; cum diversis historiis miræ magnitudinis*. In ejusmodi ciboriis crux in summo erat, uti etiam Romæ, teste Anastasio in Leone IV. *Sacrum desuper construxit altare, & ciborium cum cruce*. Huc spectat e nostris Hariulfus in Chronici Centulensis lib. 3. cap. 3. *super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata: in quibus tres dependent coronæ, singulæ per singula, ex auro, gemmisque paratæ, cum aureis cruciculis, aliisque ornamentis*. Itaque in summo ciborio cruces seu cruciculæ erant, uti etiam in ciboriis, quæ super Sanctorum tumulos erecta erant, apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 2. de gloria Martyrum cap. 20. Aliud

cibo-

ciborii genus ævi posterioris videre licet apud Hugonem Abbatem Flaviniacensem pag. 166. Aliquando tamen columba loco crucis erat in sepulcris, ut de tumulo S. Dionysii Gregorius tradit in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 72. Hæc observatio de cruce super ciboria alicujus momenti in consequentibus erit ad explicandum can. 2. Concilii Turonensis. Ejus generis ciborium cum Eucharistia appensa recens Beccenses nostri restituerunt ad exemplum ecclesiæ B. Mariæ de Valle Gratiæ, in qua altare cum ciborio sex columnis innixo felicis memoriæ Anna Austriaca more antiquo, regia magnificentia erigi curavit.

IX. Gregorius Turonicus Antistes non uno in loco picturas ecclesiæ parietum memorat. Unus est in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 65. ubi de basilica Antoliani martyris apud Arvernos, quam duæ mulieres perillustres construxerant. *Erectis parietibus super altare ædis illius, turrem a columnis, pharis, heracliisque transvolutis arcubus erexerunt, miram cameræ fucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam*. Addit Gregorius hoc opus tam *elegans & subtile* fuisse ut ruinæ periculum cernens Avitus Pontifex, *anticipans futuram columnarum fragem, jusserit tigna, asseresque vel tegulas amoveri. Quibus submotis, nec adjutoriis columnis appositis.... dato columnæ immenso pondere cum magno sonitu super altare, & circa altare diruerunt, completaque est ædis nebula de effractæ calcis pulvere*. Quem locum integrum refero, tum ut vox *calcis*, quæ in *calicis* perperam mutata fuerat, restituatur: tum ut appareat (quod superius notatum) columnas ad altare erectas fuisse. At ex superiori testimonio etiam id constat, quod modo probandum suscepi, picturas parietibus ecclesiæ appositas fuisse. Hinc illa vox militum Gundobaldo, Chlotarii (uti se ferebat) filio insultantium apud eundem Gregorium in Hist. lib. 7. cap. 36. *Tune es* PICTOR *ille, qui tempore Chlotharii Regis per Oratoria* PARIETES *atque cameras caraxabas?* & in cap. 22. agitur de puellis, & pueris Eberulfi qui *suspiciebant* PICTURAS PARIETUM *rimabanturque ornamenta sepulcbri* B. Martini. Idem de Wirmuthensi ecclesia legitur apud Bedam in lib. 1. de hist. monaster. sui num. 6. Picturæ etiam erant in illo Baptisterio, quod Sulpicius Severus extruxerat, ubi imagines S. Martini, & Paulini Nolani adhuc viventis depingi curaverat. Quod de sua improbat Paulinus ipse in epist. nunc 32. ad Severum. Præclari sunt Ennodii versus in Baptisterio agello, ubi picti erant Martyres quorum ibi reliquiæ conditæ erant.

Rapta sepulturis animavit corpora pictor
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iste locus complectitur artus,
Quos paries facie, mens tenet alma fide

Paulinus mox laudatus in Natali IX. de S. Felice memorat picturas porticibus ecclesiæ appositas, in quibus historia Mosis ob oculos posita erat. Facti rationem hanc reddit nempe ut turba rusticorum non *docta legendi* visis sanctorum actis ad Christum convertatur: deinde ut qui vigiles noctem in ecclesia ducebant insomnes, his picturis animos pascerent, & a compotationibus averterentur.

X. Non itaque in altari erant picturæ aut imagines nisi admodum in velis, & arcubus ciborii. Quod eruditus Cangius observat in descriptione S. Sophiæ. Huc fortasse trahi potest id quod Optatus in fine lib. 3. tradit de Paulo, & Macario, qui dicebantur venturi, *ut interessent sacrificio; & cum altaria solemniter optarentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent; & sic sacrificium offerretur.* Quo rumore ita perculsi sunt animi, ut sacrificium, velut *sacrum* ac detestandum, aversarentur. Sed compertum est falsum fuisse rumorem, *visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est*. Quamquam existimem, id potius de Constantis Imperatoris, quam de aliqua sacra imagine esse intelligendum. Non satis constat quo in loco esset illa Narbonensis ecclesiæ *pictura, quæ Dominum nostrum, quasi præcinctum linteo, indicabat crucifixum*. Christus vero cuidam Presbytero apparuisse dicitur, conquestus quod se nudum spectantium oculis exhibuissent. Monitus Episcopus *desuper velum expandi jussit*, apud Gregorium in lib. 1. de gloria Martyr. cap. 23. Dignum nostræ ætati exemplum.

XI. Venio ad ecclesiæ cancellos, quos sub arcu, ubi clerici psallebant, positos fuisse docet Gregorius in lib. 1. de gloria Martyr. cap. 39. qui locus etsi ad S. Pancra-

cratii ecclesiam, quæ non procul a Romę urbis muro erat, pertineat, hic tamen non videtur prætermittendus. Ait itaque S. Pancratium severum fuisse de perjuris ultorem. *Ad cujus sepulcrum si cujusquam mens insana juramentum inane proferre voluerit, priusquam sepulcrum ejus adeat, hoc est antequam ad cancellos, qui sub arcu habentur, ubi clericorum psallentium stare mos est, accedat; statim aut arripitur a dæmone, aut cadens in pavimentum emittit spiritum.* Cancelli clericorum chorum, & altare a laicis separabant, sicuti præscribit canon. 4. Concilii 2. Turonensis: *ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quam ad Missas, stare penitus non præsumant: sed pars illa quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum.* Paullo aliter apud Græcos, ubi clericos ab altari separabant cancelli, quibus soli Sacerdotes continebantur, apud Cangium in Descriptione S. Sophiæ num. 70. Erant & cancelli ad tumulos Sanctorum. Gregorius in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 35. refert cujusdam factum, qui *lignum venerabile de cancello lectuli*, id est tumuli S. Martini abstulerat. Porro cancelli aliquando, vel saltem eorum ornamenta, constabant argento, cui non pepercit Cæsarius Episcopus Arelatensis, illud expendens in captivorum redemtionem. *Videntur etiam hodieque*, ait Cyprianus in lib. 1. de ejus vita num. 17. *securium ictus in podiis, & cancellis, dum inde columnarum ex argento excutiuntur ornamenta.*

XII. Præter picturas, etiam *pallia* (ut vocabant) seu tapetia ex parietibus pendebant, *vela* in ostiis. Gregorius in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 13. ait hanc apud Italos *specialem* (mendose *spiritalem*) *vigere medelam, ut si quis pustula percutiatur vulnere, ad propinquum quod fuerit B. Martini oratorium habeatur perfugium: & aut ex velo januæ, aut palliolis quæ pendent de parietibus, quidquid primum raptum fuerit sit salubre.* Apud eumdem in l. 4. Hist. c. 31. avis quædam in *sacrarium sub velo* transisse dicitur, & *cicindelem extinguere voluisse*, nisi *ab ostiariis* prohibita fuisset. Sacrarium locus est altaris quem locum vela ad ostia Presbyterii appensa tegebant. Inferiorum vero ministrorum id officii erat, ut *senioribus vela ad ostia sublevarent*, ex Concilii Narbonensis can. 13. Nepotianus, teste Hieronymo, maxime sollicitus erat; *si niteret altare; si parietes absque fuligine, si pavimentum tersum, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta: & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita.* Ad hæc in ciboriis etiam vela quatuor ne sacra quoquomvis adspectui paterent, suspensa fuisse colligi potest ex simili more non solum Græcorum, sed etiam Romanorum de quibus Anastasius in Leone III. *Fecit & in circuitu altaris alia vela alba, holoserica rosata, quæ pendent in arcu de ciborio, numero 4.* Quamquam de ejusmodi velis ad ciboria nullam inveni apud veteres auctores nostros mentionem. Illud etiam huc facit, quod pallas, quibus sacra tegebantur, non tenues, ut diximus, sed densas esse volebant nostrates Galli, ne misteria a quibusvis cernerentur, quæ cautio non fuisset necessaria, si velorum usum in ciboriis habuissent. Pavimentum vero ecclesiæ non raro *ex musivo*, id est celatis lapidibus, ut coloniensis Thebæorum apud Greg. in l. 1. de gl. Martyr. c. 62. Tectum aliquando ex *cupro* erat, ut de basilica S. Crucis & S. Vincentii legitur in vita Droctovei Abbatis. Sed hæc minutiora mitto.

XIII. Paulinus in epist. ad Severum loquitur de *secretariis duobus juxta apsidem*, referteque versus indicantes *officia singulorum*. Et quidem ad dexteram erat *veneranda penus, qua conditur*, & ex *qua promitur sacri pompa ministerii*, id est sacra supellex, calices scilicet & reliqua: ad sinistram erant libri sacri, nempe libri Psalmorum, Evangeliorum, & Epistolarum simulque Missalis. Missalem hunc librum intelligit Gregorius in lib. 2. Hist. cap. 22. ubi de Sidonio Arvernensi Episcopo loquitur in hunc modum. *Sanctus vero Sidonius tanta facundia erat ut plerumque ex improviso luculentissime quæ voluisset nulla obsistente mora componeret. Contigit autem quadam die, ut ad festivitatem basilicæ monasterii, scilicet B. Cyriaci, invitatus accederet: ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus a tempore*

cun-

cunctum festivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus ibidem hominem locutum fuisse, sed Angelum. Quod in præfatione libri, subdit Gregorius, *quem de Missis ab eo compositis conjunximus, plenius declaravimus. Missalem Gregorianum* inter primos appellat Otkerus seu Otkarius Pontifex Moguntinus in epistola ad Tattonem, quæ est 114. inter Bonifacianas.

XIV. 15. Denique in *Salutatorio* Sacerdotes sacras vestes induebant, causas audiebant, Synodos celebrabant, ibidemque aliquando manebant. Quod de Namatio Arvernorum Antistite tradit Gregorius in Hist. lib. 2. cap. 21. & de Eberulfo in l. 7. cap. 22. alia erat *domus ecclesiæ*; cujus meminit variis in locis idem auctor, haud dubie episcopalis ædes ecclesiæ adhærens: utpote in qua maneret episcopus, & convivia celebraret, ut patet ex Hist. lib. 7. capp. 27. & 29., & ex lib. 9. cap. 12.

XV. 16. Pœne exciderat, quam prætermittere non licet, descriptio ecclesiæ Lugduni exstructæ per Patientem Episcopum: quam descriptionem Apollinaris Sidonius in epist. ad Hesperium, quæ est lib. 2. epist. 10. versibus exhibet in hunc modum.

Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem,
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras:
Ac subversicoloribus figuris
Vernans herbida crusta sapphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Huic est porticus applicata triplex,
Fulmentis Aquitanicis superba:
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ.
Et campum medium procul locatas
Vestit saxea silva per columnas.
Hinc agger sonat, hinc Arar resultat.
Hinc sese pedes, atque eques reflectit,
Stridentum & moderator essedorum:
Curvorum hinc chorus helciariorum
Responsantibus Alleluja ripis,
Ad Christum levat amnicum celeuma
Sic sic psallite nauta vel viator:
Namque iste est locus omnibus petendus
Omnes quo via ducit ad salutem.

Ecclesia ergo illa, Orienti obversa, laqueari deaurato ornata erat. Ex marmore fornix; pavimentum, & fenestræ; vitris versicoloribus distinctæ. Triplex in aditu porticus ad totidem portas: quarum una capacior, pœnitentes excipiebat. Media navis columnis ex marmore Aquitanico, id est e Pyrenæis montibus exciso, hinc inde vallata, quasi silvam saxeam exhibebat. Apud eumdem auctorem in carmine 16. Pontifex *concionaturus in gradibus venerabilis aræ* constitisse dicitur, *plebe circumsistente*, id est stante. Nam concionem sacram auditores non nisi stantes excipiebant, ut eximius Sirmundus ad hunc locum adnotavit. Neque hoc prætermittam, quod idem Sidonius in carmine 17. laudat *Gazetica vina*, Gregorio *Gazetum vinum*, supra in cap. 6. num. 4. ita dictum a Gaza Palestinæ, testante Isidoro.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu ad Cl. & Eruditissimum virum

ANTONIUM MAGLIABECHIUM

Ser. Etruriae Ducis Bibliothecarium.

DISSERTATIO VI.

I. Si te judicem, Clarissime Magliabechj, in aliqua eruditionis causa sisterem, utique electioni meae vel ipsi adversarii succensere non possent, quum virum omnino eruditissimum, & Reipub. Literariae columen in illud tribunal advocarem, ex quo solida continuo foret expectanda sententia. Et revera nunc tibi hujusmodi munus injunctum velim, dum de sacris Ecclesiarum ornamentis loqui in animum induxi, non ut Paulinum meum tantummodo illustrem, sed ut consuetis etiam Novatorum calumniis ex parte occurram. Cardinalis Baronius vir aeternum laudandus in Annal. ad A. C. 57. & 58. Ecclesias pluribus iisque ditissimis ornamentis antiquitus fuisse refertas magno eruditionis robore statuerat. Non multos vero ante annos tanti viri sententiam arrodere ausus est Johannes Henricus Ottius Calvinista professor in libro cui titulum fecit: *Examen perpetuum Historico Theologicum in Card. Baronii Annales*. Dicam neque malevolentia ductus, neque invidiam scriptori facturus; liber ille magno hiatu magna spondebat, sed in ridiculum murem festivissime faetus evasit. Et profecto si aliud examen huic *examini* quis sibi reponendum sumeret, atramento citius, ac papyro destitueretur, quam ab erroribus castigandis temperaret. Illam ego interim partem refellere decrevi, quae de sacrarum aedium ornatibus agit beneficio Paulini potissimum fretus, quo nemo melius, nemo apertius haec seculis futuris reliquis expressa. Laudat Ottius Alexandrum Severum Ethnicum Imperatorem, utpote qui Templis aurum inferri vetuit, recitatis ad id Persii Carminibus:

Dicite Pontifices: In sacris quid facit aurum?
Quin superis justos mores, castosque probamus.

Atque haec subdit: *Tu vero sodes confer haec cum modernorum Pontificiorum templis, atque Monasteriis*. Ad annum vero 58. §. 36. relatis verbis Actorum 20. 8. *Erant lucernae non paucae in caenaculo, ubi erant congregati*, haec habet: *Hinc Baronius cereorum, lucernarum, seu luminum usum obtrudere nobis, & ex medio Judaismo, atque Gentilismo in Christianum orbem, ceu alter ceroferarius, inferre vult*. Tum ostendere pergit cereos olim in Ecclesia accensos non diurnis exercitiis, sed nocturnis adhibitos. Rem paucis expediam. Et quidem quum Paulini nostri carmina evolvo, tam ad unguem expressa intueri mihi videor Ecclesiarum nostrarum & usum, & ornamenta, ut nullam majorem concordiam reperiri posse arbitrer. Pretiosa olim in sacris aedibus ornamenta fuisse, & quidem auro, & argento decorata en tibi Paulinus Nat. VI. testatur:

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendidia lino,
Sive coloratis textum fucata figuris
Hi leves titulos lento poliant argento
Sanctaque praefixis obducant limina lamnis &c.

In Natali vero XI. praeter alia non minori pretio insignia Crux aurea his versibus exprimitur.

Mul-

Multa etenim suberant alia, ut novistis in ipso
Ornamenta loco, quæ sumeret, ut Crucis auro
Parceret; Intus enim latitabant mystica vasa
Sumendis mandata Sacris.

Quo ultimo carmine non aliud intelligendum censeo, quam Calices, e queis Dominicus Sanguis hauriebatur a Fidelibus, aliaque hujusmodi vasa sacra. Aderant & lucernæ argenteæ

---- ---- ---- ---- ---- Minus esset
Criminis, & pretii suspensam altaris ab ora
Longius, argentoque levem emendare lucernam.

Et infra: *Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum.* Crux ipsa quam adeo venuste Paulinus exprimit, non auro tantum gravis erat, sed & gemmis concinne exornatam gerens coronam sui pretium augebat. Ait de aureis, hoc est de Cruce, coronaque aurea, in qua dextram latro porrexerat:

Quæ simul & variis scite distincta lapillis
Viderat ---- ---- ---- ---- ----

Iterum S. Poeta coronam gemmis gravem asserit:

Prava corona subest variis circumdata gemmis.

Multis præterea verbis lampades describit:

At medio in spatio fixi laquearibus altis
Pendebant per abena cavi retinacula lychni &c.

Idem Natal. 9.

---- ---- ---- ---- ---- Tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur abenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant.
Funibus undantes flammas levis aura fatigat.

Natali 3. lampadum frequentiam circa altaria sic memoraverat.

II. *Clara coronantur densis altaria lychnis &c.*

Natali etiam VII. vitream lucernam, ut moris sui est, graphice describit, & Nat. XI. alias e metallo fabrefactas omnium oculis subjicit. Hæc & alia refert Poeta noster, partim etiam videnti populo describere non sustinet, ne tædium audientibus ingerat, aitque compendii ergo:

Munera erant de more sita, hæc quæ cernitis illic
Omni prompta die. ---- ---- ---- ----

Illustris autem est candelabrorum mentio subsequentibus carminibus

---- ---- ---- vel circumfixa per omnes
Ordine dimenso quasi candelabra columnas,
Depictas extare gerunt quæ cuspide ceras
Lumina ut inclusis reddantur odora papyris.

Quot igitur, quantumque pretiosa sacris in ædibus tum temporis ornamenta haberentur, expressum intuemur, quibus addere juvat quædam aliunde petita loca ne nudum Paulinum exhibeam. Theodoritus Lib. 1. cap. 31. Hist. διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον Βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Ornabatur autem, & divinum altare regiis velis, donariisque aureis gemmatis.* Eusebius in vita Constantini Lib. 4. cap. 59. Apostolorum templum ab eodem Imperatore Constantinopoli describens interius tectum asserit universum auro fuisse contectum. Aur. Prudentius item Paulino coævus Peristeph. in Hymno S. Laurentii tyrannum sic adloquentem inducit:

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adstare fixos cereos.

Ferventibus igitur in Christianam Religionem Ethnicorum minis etiam pretiosis vasis utebatur Ecclesia. Occulte id quidem propter timorem factum, sed tamen factum. S. Aug. Lib. 3. contra Cresconium cap. 29. hæc profert ex Gestis Proconsularibus habitis *Constantio Maximo Augusto, & Constantino Jun. Nob. Cæs. Coss.* A. C. 320. ut recte statuit Valesius, non vero ut putavit Baronius, 306. *Posteaquam apertum est, in Bibliotheca inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Sylvanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam.* Sed & ante scriptum erat *Calices duos aureos, itemque calices sex argenteos* ab eodem Sylvano traditos. Hæc Augustinus,

ftinus, ut Sylvanum evincat perfequutionis tempore fuiffe *traditorem*. Anaftafius Bibl. (feu antiquior Libri Pontificalis Auctor) *in Sylveftro* præter alia vafa aurea, ac argentea hæc memorat: *Donavit patenam argenteam penfantem libras viginti, fcyphos argenteos duo, qui penfaverunt finguli libras denas. Amas argenteas duas &c. & ibidem: Obtulit candelabra auricalcha feptem ante altaria quæ funt in pedibus decem &c.* Candelabra quoque exprimit Athanafius in Ep. ad Orthodoxos. Celebris autem S. Ambrofii fententia evafit in lib. 2. Offic. cap. 28. quam etiam Gratianus refert in c. aurum. 12. qu. 2. Ait ibi: *Aurum Ecclefia habet, non ut fervet, fed ut eroget &c. Quid enim dices: Timui ne Templo Dei ornatus deeffet? Refpondebit: Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur &c.* Profequitur vero, & aperto fermone pretiofam facris ædibus fuiffe fupellectilem afferit, omnium confenfu probatam, & egenorum nihilo fecius præfidio deftinatam. Sunt hæc doctiffime Magliabechi, venerandæ antiquitatis argumenta, quæ Novatoribus opponamus noftrarum Ecclefiarum ornamenta calumniantibus: Quid ergo Satyricum in nos producunt hæretici, ac Ethnicam, infulfamque fententiam canunt? *In Templis quid faciat aurum* quærunt, fed eos elegantiffime caftigat Johannes Tomcus Bofnenfis Ep. in Orat. pro Ecclef. ornam.

III. Quod autem fpectat ad alteram propofiti partem, qua contendit Ortius cereos, lucernafque non nifi nocte accendi confuevifse in Ecclefiis, Paulinum ecce pro nobis ftantem in medium adduco. Inquit ifte Natal. III.

Clara coronantur denfis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odore papyris,
Nocte dieque micant. Sic nox fplendorque diei
Fulget, & ipfa dies cælefti illuftris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Nihil clarius occurrit. Sed & Nat. XI. fic ait.

---- ---- His fcyphulis incerta relucent
Lumina, cum fert fefta dies.

Et infra fcyphuli meminit ad continuum luminis ufum deftinati:

Continuum fcyphus eft argenteus aptus ad ufum.

Qui & noctu diuque lucebat, quemque importuno fibi lumine micantem fur extinxit. Diftinguendum itaque reor inter facras antiquorum lucernas eo pacto, quo inter ævi noftri lampades, ac lumina diftinguitur. Alia enim lumina nocturno tempori, alia diurno infervienbant omnia tamen in templi cultum excogitata. Quæ lampas modo dicebatur relucere, quum ferebat fefta dies, noctu hoc munere carebat. Audi fubfequentes verfus:

---- ---- ---- ---- Tunc vero fine ufu
Luminis ad fpeciem tantum fufpenfa manebat.

Superius vero alias defcripferat lucernas nocti illuftrandæ deftinatas. At Ortius lucernas hafce nocturnas neceffitati facra facientium adfcribit, non Ecclefiæ cultui. Hallucinatur Calvinifta, quandoquidem quum latro hic ad furta acceffit, lampas illa nullis tum facris peragendis lumen præbebat; quin expreffe illam quavis nocte, imo per totam noctem, lucere confueviffe dignofcimus, ait enim de fcypho loquens:

Hunc importuno fibi lumine prædo micantem
Protinus extinguit, namque id quoque noverat idem
Sæpe folere mori cum ftuppa per arida longam
Conderet in noctem confumpto lumen olivo &c.

Igitur in pium religionis facræque ædis cultum noctu non minus quam interdiu lampades adhiberi folebant. Quo fane expreffius nihil reperiri poteft. Addam etiam Venantii Fortunati, qui uno poft Paulinum feculo floruit. Defcribit ille lib. 5. carm. 5. diem feftum Afcenfionis, populorumque ad Ecclefiam concurfum, & ait:

Undique rapta manu lux cerea provocat aftra
Credas ut ftellis ire trabendo comas
Lacteus hinc vefti color eft, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario Lumine picta dies.
Inter candelabros radiabat, & ipfe Sacerdos &c.

Nunc armis Baronii rem agam. Citat ille Epiphanii Epiftolam ad Johannem Hierofol.

fol. Ep., ubi ait: *Quum ven'ssem in villam, quæ dicitur Arablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam &c. Accidit id quidem*, ut ait Baronius, *interdici, nam noctu non mirum multas vidisse ubique lucernas*. Constat autem ex pluribus antiquis Patribus cereos laudabili usu in templis comburi solitos, quod probare supervacuum foret. Repetit tamen Ottius Hieronymi auctoritatem ab Annalium parente satis ibidem explicatam, & hic integram victoriæ spem sistit. Inquit S. Doctor advers. Vigilant.: Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si alicui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fæminarum, de quibus vere possumus dicere: Confiteor; zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Verum hic animadvertendum negare Hieronymum non potuisse diurnam cereorum accensionem, quum id & in Occidente, & Hierosolymis in usu fuisse supra exploratum effecerimus, & ipse ibidem hæc habeat: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Ipse quoque Vigilantius omnino mentis expers fuisset si quum nullibi id moris comperiisset, adhuc inflatis buccis hæc protulisset: Videmus moles cereorum sole fulgente accendi. S. Cyrillus Hierosol. Hieronymo antiquior in Præf. ad Catecheses, & alibi S. Gregor. Nazianzen. Hieronymo coævus in Orat. 40. aliique testantur in Baptismate conficiendo luminaria incendi solita. Igitur diurnus cereorum usus negari non poterat. Causa itaque, cur incenderentur, Vigilantium ad calumniam Catholicis infligendam moverat; arbitrabatur enim id a religiosis populis fieri, quasi Martyres aliqua illustratione, & lumine crederentur egere ut beati essent. Non vendo conjecturam meam, sed ipsam Vigilantii calumniam. Sunt ejusdem hæretici verba: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis suæ illustrat*. Respondet ergo Hieronymus non clara luce accendi Cereos ab hominibus hac ratione adductis, sed ad lætitiæ signum ut infra Evangelicis exemplis probat, neque sub hac prava opinione nocturno tempore solere luminaria incendi, sed ut noctis tenebræ hoc solatio temperentur, ne cæci cum Vigilantio in tenebris dormiant. Tum subsequitur, ac siqui forent inter seculares homines, fæminasque religiosas, qui hoc facerent sub ea ratione, quæ Vigilantio in mentem venerat, eos excusat, & zelo Dei ac fine crimine id peractum evincit. *Si faciunt*, ait, *quid inde perdis? Causabantur quondam, & Apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum*. En iterum Vigilantii mens expressa. Credebat ille cereos ideo incendi a Fidelibus, quia lumine illo Martyres indigerent, & hinc illum Hieronymus prolato exemplo increpat. Si Christus cui unguenti nulla erat necessitas, fæminam ungentem laudavit, cur & nos Christianum non commendemus, qui Martyribus lumine haud quaquam egentibus cereos accendit? At secundum scientiam non faciunt. Illud verum omne; neque enim Sanctorum beatitati quicquam confert terrenum lumen. Sed quid inde? Fides accendentibus prodest. *Quicumque*, ait infra egregius Doctor, *accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in suo sensu abundat. Idololatras appellas hujusmodi homines?* Idem etiam in Epist. ad Riparium dixerat: *Accensine ante tumulos Martyrum cerei idololatriæ insignia sunt?* Pergit vero Ottius, & hæc Lactantii verba lib. 6. cap. 2. laudat: *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori luminis candelas, ac cereorum lumen offert pro munere?* atque ita Papistis displicuisse, ut hanc propositionem inter Lactantii errores numerarint, causamque gentilium contra Doctorem Christianum defendebant. Sunt illustres calumniæ ignaro in nos brachio intortæ. Nemo inter ipsos Heterodoxos habetur, qui plures in Lactantio nævos non agno-

agnoscat. Qui graviores lapsus est in errores, in minorem hunc ruere potuit. Sed neque censura hic dignus Lactantius, ut mecum omnes consentient Catholici, quin potius ejus censores castigandi. Agit ille in Ethnicos, eorumque cæcitatem validis excipit argumentis, ea enim ducti Deo tamquam in caligine sito, luminibusque indigenti cereorum lumen offerebant. En aperta Lactantii verba: *Mactant igitur opimas, ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tamquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti*. Id etiam aliis inculcat, quæ apud eumdem videre licet. Si a quibusdam e nostris hic Firmianus carpitur, hic ipsi censura se exhibent dignos, ut in aliis non paucis se exhibuere testimonio Possevini. Non diffiteor tamen hinc impudenti alicui hæretico ansam præberi posse Catholicum cereorum usum impetendi; Sed videant illi an eisdem in nos mucronibus pugnent, quibus in Gentiles ferebatur Lactantius? Nos Deo, luminum patri, lumina offerimus honoris gratia, non ut ab ejus oculis caliginem depellamus. Hoc in Lactantio potius excusandum, quam arguendum, qui nondum solidis Fidei rudimentis imbutus in arenam contra Ethnicos descendit, cui nil pensi fuit Religioni sacræ patrocinium parare, dum ejus adversarios profligaret. *Utinam*, de illo ait ad Paulinum nostrum Hieronymus scribens Ep. 13., *tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit*. Perverse igitur nos asserit Ottius contra Doctorem Christianum causam Gentilium suscepisse, neque minus sobrie litem nobis intentat, quia de Idololatria, ac Hebræis in Catholicam Ecclesiam cereorum usum derivemus. Plura sunt, quæ ex Ethnicis, Judæisque ad nos fuere translata, neque tamen ipsis Acatholicis stomachum movent, sed venerationem, quam maximam incutiunt. Cur ergo nos hic arguendos impudenter arripiunt? Nimirum illis ego Hieronymum objiciam de proposito cereorum usu ita loquentem: *Non diffiteor omnes nos, qui in Christo credimus, de errore Idololatriæ venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus Idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est*. Augustinus, quoque lib. 21. contra Faust. cap. 10. hujusmodi verbis hæreticorum oppositionem occupat, de Paganorum Judæorumque Sacrificiis loquens. *Tantum*, ait, *interest inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel detestanda Virginitas est Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia Gentium, quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur, atque reddatur, sic inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum multum distat eo ipso, quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata; illa scilicet superbæ impietati Dæmoniorum, illa vero uni Deo &c.* Quid itaque Magliabechi celeberrime, ad ista obmurmurabunt hæretici? Audiere tot veterum testimonia diurnum cereorum usum asserentia, Paulinum nostrum audiunt, quo nemo melius adversus illos hoc in proposito certat. Si tot Sanctos in prevaricatorum album conjiciendos arbitrantur, hoc illorum eruditioni, quum majora etiam audeant, integrum relinquamus. Vale.

P. D.

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De Altaribus.

DISSERTATIO VII.

I. HUC pertinet consideratio de altaribus sacris, de quibus ut aliquid admoneam, movet me Auctor historiæ eucharisticæ, dum ait, altare unicum in unaquaque ecclesia ante sæculum octavum fuisse; & altaria portatilia seu tabulas altaris, quas *itinerarias* vocat Ordo Romanus, in usu non fuisse ante sæculum undecimum. Utrumque examinandum hoc loco est. Altare unicum in qualibet Ecclesia primis Religionis Christianæ sæculis fuisse constat, tum quia unus Sacerdos uni Ecclesiæ præficiebatur, seu (ut ajunt) incardinabatur; tum quia rari erant Sacerdotes etiam in Monasteriis, Sacerdotum collegia nulla. Crescente numero Fidelium crevit, & numerus ministrorum sacrorum Ecclesiarumque. Optatus *Milevitanus* in libro secundo „ *Romæ* quadraginta, & am„ plius fuisse testatur basilicas sub tempo„ re persecutionis *Diocletiani*: & *Corne*„ *lius* Papa in epistola ad *Fabium*, ab *Eu*„ *sebio* relata in historiæ libro sexto capi„ te quadragesimo tertio, ait Romæ tum „ fuisse Presbyteros quatuor, & quadra„ ginta, pro numero videlicet Ecclesia„ rum; septem autem Diaconos, totidem„ que Subdiaconos; Acolythos duos, & „ quadraginta; Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis, & egentibus plusquam mille, & quingentas. En qualis erat tum Romani Cleri status. Vix alia erat in Monasteriis disciplina: & si in Monasterio Nitriæ erant Presbyteri octo, unus tamen, is scilicet qui primus erat, quoad viveret, offerebat, judicabat, concionabaturque, teste *Palladio*, ceteris nihil ejusmodi præsumentibus. Verum de numero Presbyterorum in Monasteriis inferius oratio recurret. Sæculo sexto unius basilicæ unus titulus erat: testis ea de re *Gregorius* Turonicus Episcopus in libris de gloria Martyrum. Ecclesiæ plures in uno Monasterio constructæ, sua cuique ara. Hinc Sanctus Pater *Benedictus* in monte Casino duplex Oratorium, *S. Maurus Glannafolii* quadruplex erexit. Paullo post Sacerdotum numerus augeri, mysteria sancta frequentari amplius; & aræ plures una in Ecclesia construi cœptæ. Quippe in Sepulchri dominici Ecclesia referente *Arculfo* Episcopo Gallo, qui loca sacra invisit sæculo septimo altaria erant quinque, & in basilica S. Mariæ in valle *Josaphat* altaria quatuor; immo sæculo sexto *Burdigalæ* in Basilica S. Petri altare duplex erat, uti nos docet Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio. Sæculo dein octavo numerus Altarium auctus: adeo ut *Carolus Magnus* in Capitulari edito anno octingesimo quarto ad *Theodonis-villam* mandaverit *de Altaribus, ut non superabundent in Ecclesia*. Certe in primaria *Romæ* Basilica *S. Petri*, præter majorem aram, *Paulus* Papa *mensam illam*, quam *Pippinus* Rex *Stephano* Pontifici direxerat, *infra aulam ipsius Principis Apostolorum introduxit, & super corpus ejusdem* positam *chrismate unctionis sanctificavit*, & in ea *sacrificium obtulit*, ut testatur epistola quartadecima Codicis Carolini. Etsi vero unius Ecclesiæ quondam unum erat altare, plures tamen in eo Missas unoquoque die celebrari fas erat, contra quam multi opinantur. Ea enim quæ hac de re leguntur interdicta, non de diversis Sacerdotibus, sed de uno eodemque explicanda sunt. Id ex Concilii Antissiodorensis, quod anno quingentesimo septuagesimo octavo celebratum est, capite decimo planum fiet. *Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere; nec in Altario ubi Episcopus*

pus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat. Quibus sane verbis prærogativa quædam Episcopo supra ceteros Presbyteros tribuitur, ut scilicet in illo altari, in quo Missam dixisset, Presbytero non liceret ea die sacrificium offerre. Ergo Presbyteris licebat, aliis post alios, Missas in eodem altari celebrare: alias frustranea esset Concilii additio de Episcopis. Hoc illustratur facto *Gregorii* Turonici Episcopi, qui cum ab æmulis apud *Chilpericum* esset accusatus maledicentiæ in *Fredegundem*, *apud* Berennacum *villam restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus se de his verbis exueret sacramento. Et licet canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt*. Ad quid enim non in uno, sed in tribus Altaribus *Gregorius* celebravit Missas tres, nisi quia uni Sacerdoti id in uno altari non licebat?

II. Altaria mobilia seu portatilia in usu fuisse longe ante sæculum undecimum patet ex vita Sancti *Wlframi* Episcopi Senonensis, in qua *Wlframus* in navi Oceanum trajiciens, sacrum fecisse super altare portatile dicitur. Consentit *Beda* in historiæ libro quinto, capite undecimo, agens de duobus Ervaldis, qui *quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula, & tabulam altaris vice dedicatam*: & *Hincmarus* in Capitulari tertio præcipit, *ut nullus Missam celebret in altari non consecrato, vel sine tabula ab Episcopo consecrata*, quæ sit *de marmore vel nigra petra, aut libro honestissimo*. Nec alium fuisse usum sæculo quinto ut putat Auctor historiæ eucharisticæ in Addendis, probat Exemplum *Theodoriti*, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad sacrificium. Quamvis enim tabellæ ejusmodi in usu essent ævo *Theodori* Cantuariensis Episcopi, tamen ipse in Pœnitentiali suo libro ait licere Presbytero *Missam in Campo dicere, si Diaconus vel Presbyter, vel ipse calicem, & oblationem manibus tenuerit*. Quin immo *Theodoriti* factum innuit, non licuisse uti mensa profana in sacrificium: ut necesse fuerit adhibere manus ministri sacri vice altaris. Formam ejusmodi tabularum repræsentat nobis Codex manu exaratus Cœnobii Dionysiani prope Lutetiam Parisiorum: quo in Codice *Carolus Calvus* prædicto Monasterio multa donaria contulisse dicitur, in his *altare portatile de marmore porphyretico per quadrum auro incluso, quatuor pedes habente: in quo in anteriori parte posuit brachium Sancti* Jacobi *Apostoli, qui dictus est frater Domini; ad dexteram vero ejusdem altaris partem brachii pretiosissimi protomartyris* Stephani; *ad sinistram vero ejusdem altaris brachium* S. Vincentii *Martyris auro optimo inclusit*.

III. Porro edita fuisse ab initio altaria constat ex facto *Alexandri* Constantinopolitani Episcopi apud *Socratem* in historiæ ecclesiasticæ libro primo capite trigesimo sexto, & ex facto *Gainæ* apud *Sozomenum* in libri octavi capite septimo, qui uterque subtus aram Deo preces fudisse perhibentur. Ejusdem erant formæ altaria in Occidente sæculis octavo, & nono. Nam teste *Adelhelmo* Sagiensi Episcopo in libro de miraculis sanctæ *Opportunæ*, numero nono, miles quidam *Bosonis* Regis, cæcitate a Deo percussus *subtus altare jacens* visum *Monciaci* recepisse perhibetur, & in libello de translatione, & miraculis S. *Gorgonii* martyris hic, capite quarto-decimo, mutus quidam permissus est in Ecclesia *jacere sub gradibus, quibus ad altare ascenditur*: quod de crypta subterranea intelligendum non puto. Utrumque locum illustrat *Gregorius* Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio, ubi aram qualis suo tempore *Burdigalæ* in basilica Sancti *Petri* Apostoli cernebatur, describit in hunc modum. *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior in modum cryptæ ostio clauditur, habens nihilominus, & ipsa eum Sanctorum pignoribus altare suum*. Neque solum edito in loco sita erant altaria: erant etenim cava, ut patet ex libro *Ardonis* de Vita *Benedicti Anianæ* Abbatis, ubi Auctor de Altare Salvatoris apud *Anianam* constructo scribit in hæc verba: *Altare illud forinsecus est solidum, ab intus autem cavum, retrorsum habens ostiolum quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis Reliquiis Patrum*. Ergo diebus Dominicis, & festis inde producebantur Reliquiæ Fidelium oculis, & cultui exhibendæ. Simile etiam erat illud aureum, quod *Angilbertus* Mediolanensis Episcopus in æde Ambrosiana, ubi

ubi tum degebant sodales nostri, fieri curavit ante medium sæculum nonum: quodque ex *Purisello* describens *Ughellus* in Italiæ Sacræ tomo quarto notat in posteriori altaris parte binas fuisse fores perangustas per quas ostiolum patebat in partem altaris interiorem; ubi repositæ Reliquiæ. Quin etiam mobilia erant quandoque altaria majora. Ejus rei auctorem habemus *Chronographum Laureshamensem* scribentem „ *Helmericum* Abbatem tumbam „ sancti *Nazarii* auro argentoque decorasse, altare etiam simili impensa, & opera mirificasse, *quod postea ad Ecclesiam* „ *Sancti* Petri, *quæ dicitur* Altenmunster translatum est; & in loco ubi Christus Dominus natus est præter Altare quod erat in Ecclesia superspeluncam ædificata, erat etiam altare minus, quod transferebatur in speluncam ab iis qui Missas ibi celebrare volebant, teste Sanctimoniali in Vita Sancti *Willibaldi* Episcopi Eistetensis.

AD CAPUT IV.

P. FRANC. ANTONII PHOEBEI S. J.

De variis Ecclesiæ Liturgiis

DISSERTATIO VIII.

I. SAcrosanctum Missę Sacrificium, quod præsenti hac exercitatione suscepimus exornandum, duplici partium genere coalescit, quorum primum illas complectitur, in quibus est ipsa Essentia Sacrificii, qualis extra dubitationem nobis est consecratio specierum Panis, & Vini, etsi quæ sunt aliæ, de quibus est disceptatio inter Theologos. Alterum genus partium illas continet, quæ Sacrificium quodammodo vestiunt, & exornant, quales sunt preces, ritus, & cœremoniæ. Jam vero primas illas partes Sacrosancti hujus Mysterii substantiam componentes initium suum, & institutionem referre in summum, & æternum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, Christum Dominum, res est ex sacris litteris compertissima, unde fit illas, quemadmodum & reliqua Sacramenta, immutari non posse per Ecclesiasticam potestatem, ut disertis verbis definitur a *Tridentino sess.* 21. *cap.* 2. Hinc a contrario sensu, & ex ejusdem Tridentini Doctrina certissimum nobis est, reliquas partes accessorias Sacrificio, non immediate a Christo, sed ab Apostolis, eorumve successoribus prodiisse, unde Ecclesiasticæ potestati subjectæ sunt, & mutationibus obnoxiæ; quicquid in contrarium erraverint plures Hæretici, contra quos Theologi polemici, ac præcipue *Bellar. tom.* 2. *de Sacr.*

Inde factum est, ut, quemadmodum in aliis Sacramentalibus, ita etiam in ritibus Sacrificii, non fuerit semper ubique gentium praxis eadem in Ecclesia, quæ varietas potuit etiam ab Apostolis immediate manare: Nam cum diversi in diversis Regionibus prædicaverint, & Ecclesias fundaverint, in his quæ pendebant ex humano arbitrio, varios ritus introducere potuerunt, ut est egregium exemplum in antiqua controversia de celebratione Paschatis, in qua Orientales affirmaverunt, ritum celebrandi Pascha luna decimaquarta, quocumque die hebdomadæ incideret, sibi fuisse traditum a Jo: Evangelista, cum contra Romani, & Occidentales celebrandum esse die Dominica, ex Petri traditione docerent, quem ritum postea pro universa Ecclesia præcepit Nicæna Synodus.

II. His præjactis generalibus fundamentis, duo mihi breviter enarranda sunt: Primo, quo ritu, & quo linguæ genere Apostoli Sacrificium celebraverint? Secundo, quænam sint præcipuæ Liturgiæ, quas Apostoli, vel eorum Successores diversi diversis Ecclesiis reliquerunt, ut legitimas ab iis, quæ spuriæ, vel saltem dubiæ Fidei sunt, discernamus?

III. Quod ad primum attinet, excussis diligenter veteribus monumentis, res est satis obscura; vel enim hac de re nihil scri-

ſcriptum accipimus ab antiquis Patribus, vel, ſi quid modicum ab illis relictum nobis eſt, in eo ipſo non videntur unanimes conſentire. *Gregorius* enim in *Regiſtro lib. 7. Epiſt. 63.* indicare videtur, morem Apoſtolorum fuiſſe, addere dumtaxat Orationem Dominicam ad verba conſecrationis, quod fortaſſe ſumpſit ex *Hier. lib. 3. contra Pelagianos*, quamvis ibi *Hier.* non adjungat particulam excluſivam, eidemque ſententiæ adhæſiſſe videtur *Honorius in gemma Animæ Cap. 86. & Valfridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 22.* Contra tamen *Chryſoſt. hom. 27. in 1. ad Corinth. & Proclus Conſtantinopolitanus in libello de traditione Divinæ Liturgiæ* affirmant, Apoſtolos fuſiſſime, longoque verborum ambitu Sacrificium celebraſſe. Utramque tamen hanc ſententiam conciliari facile poſſe non improbabiliter judicamus, ſi dicamus Apoſtolos ſtatim poſt adventum Spiritus Sancti, & etiam aliquoties ſubſequentibus temporibus, quando temporis anguſtia, vel perſequentium metu premebantur; breviſſima illa formula celebraſſe; poſtea tamen rebus in majorem ordinem redactis, & adjunctis aliis Orationibus, & Cœremoniis, cum per tempus liceret, aliam prolixam formulam ſervaviſſe, ut conciliat *Franciſcus Suarez tom. 3. in tertiam partem diſput. 83. ſect. 2.* & recentius *Eminentiſſimus Card. Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 5.*

IV. Quo autem linguæ genere compacta fuerit illa Apoſtolica Liturgia, altum ubique, quod ſciam, apud veteres Eccleſiæ Patres, ſilentium eſt. Quod enim *Joannes Echius lib. 2. de Sacrificio Miſſæ cap. 2.* opinatus eſt, Miſſam non niſi Hebraice celebratam, tum ab Apoſtolis, tum ab eorum Succeſſoribus, uſque ad tempora Adriani Imperatoris, & tunc demum Eccleſiam uti cœpiſſe in Sacris lingua Græca, nullo antiquitatis Teſte definivit, & propterea non facile adducimur, ut eidem aſſentiamur, cum præſertim etiam nunc extet per manus nobis tradita Liturgia, ſi vera eſt ea plurium ſententia, græco ſermone conſcripta a Jacobo, de qua paulo infra ſermo erit. Cum igitur hac in re conjecturis nobis uti neceſſe ſit, cenſemus Apoſtolos diverſo, in diverſis Regionibus, idiomate uſos, quod ibidem eſſet vernaculum, vel præcipuum, & ſic Hieroſolymis Chaldaice; Antiochiæ, Alexandriæ, in aliiſque Græcorum Civitatibus Græce; Romæ autem, & in aliis Occidentis partibus latine Sacrificium celebraſſe. Ducimur ad hoc aſſerendum ab immemorabili Eccleſiæ conſuetudine, cujus initii memoria non extat, ac proinde cujus inſtitutio referenda videtur ad Apoſtolicam traditionem, & exemplum. Conſtat enim antiquiſſimas Liturgias in partibus Occidentalibus non inveniri, niſi latino ſermone compoſitas; in Orientalibus autem non niſi græco ſermone, quo utuntur Græci, & Melchitæ, atque Chaldaico, quo Maronitæ, aliique plures per varias Orientis Regiones diſperſi: quæ idiomatum genera penes eaſdem Regiones in ſacris immutata permanſerunt, quamvis cœteroquin in humano convictu deſierint eſſe vulgaria, quæ Religioſiſſima cura fuit majorum noſtrorum, tum ad antiquitatis obſequium, tum etiam ne unquam irreperet in res ſacras, aliquod erroneum, aut impurum, quod facile contigiſſet, ſi ab antiquo ſermone, quo ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris traditæ fuerant, in aliud, atque aliud idioma, quod inciperet eſſe vernaculum, fuiſſent translatæ.

V. Quod autem ſpectat ad diverſas Liturgias, diverſis Eccleſiis relictas, atque ſervatas, illud in primis notatum volumus, omnes inter ſe convenire non ſolum in iis, ſine quibus Sacrificii ratio non ſubſiſteret, ſed etiam in præcipuis rituum ſpeciebus, quales ſunt Miniſtrorum apparatus, Pſalmorum modulatio, lectio ſacræ Scripturæ, thurificatio, precatio pacis, preces diverſæ, gratiarum actio, & ſi qua ſunt alia ejuſdem generis, quamvis non unus, idemque iſtorum omnium modus, & ordo ſit in omnibus Liturgiis, ut ſic Reginæ formoſiſſimæ adſtantis Sponſo ſuo veſtitus deauratus unus ſit, ſimulque non indecora varietate contextus. Varietas iſta exinde nata fuiſſe dicenda eſt, quod, cum varia ſint diverſarum Nationum ingenia, & mores, & aliunde res iſta commiſſa eſſet a Chriſto Eccleſiaſticæ poteſtati, Eccleſiarum Fundatores, imo, & Succeſſores Epiſcopi eum diverſis nationibus ritum præſcripſerunt, qui unicuique magis expediens viſus eſt. Quamvis non negaverim hujus poteſtatis uſum, qui aliquando ſapiens, & e digni-

dignitate Ecclesiastica fuit, apud plures postea in abusum degenerasse, dum alii, atque alii Episcopi, imo, & nonnulli religiosorum ordinum Moderatores, pro arbitrio, plura mutarent, & sensim deflecterent ab antiqua majestate Religionis, ut propterea pluribus Conciliis opus fuerit ad eam licentiam compescendam, ut constat ex *Conc. Epaunensi anno 509. cap. 27. ex Gerundensi anno 517. cap. 1. ex Bracarensi primo, & secundo, aliisque Sanctorum Patrum statutis.*

VI. Apostolos ea potestate pro suo jure perfunctos in fundandis, & instituendis Ecclesiis nemo, ut opinor, negaverit, quo videtur respexisse *Paulus ad Corinth.* dicens: *Cætera cum venero disponam*; juxta interpretationem *Augustini Epist. 118. ad Januarium*: quamvis pleræque earum Liturgiarum temporis antiquitate perierint, & aliquæ, quæ supersunt quorumdam Apostolorum nomine inscriptæ, spuriæ sint, vel saltem fidei dubiæ. Inter istas eam numeramus, quam Petri nomine insignitam græce, & latine edidit ex Codice manuscripto Cardinalis Sirleti, & notis illustravit Wilhelmus Lindanus. Sufficiens enim nobis præsumptio falsitatis est, quod per mille quingentos, & amplius annos fuerit Scriptoribus Orthodoxis prorsus incognita, totoque eo tempore latuerit, ac tandem emerserit ex Apulia, ubi dicitur Sirletus eam reperisse. Ut quidem enim eam sacrificandi formulam, si Petri esset, neglexisset Romana Ecclesia, quæ cæteroquin tam solerti diligentia semper adhæsit institutionibus Petri, ejusque Epistolas inter tot persecutionum procellas tam sollicite custodivit? Ut interim omittam alias conjecturas, quibus illius monumenti fides elevatur. In eadem quoque classe Liturgiarum dubiæ fidei reponimus Liturgias Matthæi, & Marci Evangelistarum nominibus inscriptas, quarum prima dicitur Æthiopum, quibus Matthæus prædicavit, altera Alexandrinorum. De prima enim altum ubique silentium est apud veteres Scriptores; aliam autem, quæ per Sirletum in lucem prodiit ex vetusto Codice Monasterii Rossanensis in Calabria, commemorat, & rejicit Sæculi duodecimi Scriptor *Theodorus Balsamon, Responsione prima ad Marcum Patriarcham, & ad Can. 32. Concilii Trullani.*

VII. Excipimus tamen ab hac classe Liturgiarum Liturgiam Jacobi Apostoli Hierosolymorum Episcopi, quam genuinam agnoscimus, atque legitimam. Quamvis enim pluribus admotis machinis eam abolere conati sint Hæretici, quorum plures errores in eadem Liturgia jugulantur, quorum objectionibus erudite respondet *Leo Allatius in Simmictis*, attamen sufficientissimum nobis veritatis argumentum est, perpetua Ecclesiæ Græcæ traditio, cui accedunt plurima veterum Scriptorum testimonia affirmantia, hanc traditionem ad ipsos per manus deductam a tempore Apostolorum, & exemplaria in vetustissimis codicibus exarata, unde etiam veteres Patres argumenta sumpserunt ad Catholicæ Fidei dogmata confirmanda, ut præ reliquis videre est in *Trullana Synodo Can. 32.* Hac sacrificandi formula diu usi sunt Græci primis Ecclesiæ sæculis, quando charitas Fidelium non lassabatur prolixa illa precum formula, quibus Jacobi Liturgia compacta est, donec frigescente paulatim charitate *Basilius Magnus hominum socordiam, & in deterius prolapsionem conspicatus* (ut verbis utar Procli,) *ac proinde longinquitate productæ Missæ pertæsos: non quod ipse supervacaneum quicquam, vel nimis longius productum in ea fore arbitraretur, sed ut pariter tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo præcideret, breviorem recitandam tradidit.* Atque hæc est illa Liturgia, qua Græci certis quibusdam anni diebus utuntur, nempe in die festo ipsius Basilii, in Dominicis Quadragesimæ, excepta Dominica Palmarum, aliisque non ullis anni diebus. Reliquo enim anni tempore utuntur Liturgia Chrysostomi, qui eadem, qua Basilius, ratione ductus, alteri formulæ breviori componendæ manum admovit, plura desumens ex Liturgia Basiliana, multa etiam præcidens, & concisiori præssiorique oratione, ut idem Proclus ejus Discipulus, & in throno Successor loquitur, formulam ordinans *ne sensim homines, qui libertatem quamdam, & inertiam, quam maxime complectuntur fallacibus Adversarii rationibus decepti, ab hujusmodi Apostolica hac, & Divina absterriti traditione eam omitterent, quemadmodum hoc ipsum multis, variis sæpe in locis, accidisse ad*

 hunc

hunc usque diem deprehendimus. Ita præcitatus Author.

Supereſſet hic alias quoque plures minoris nominis Liturgias enarrare, quæ particularibus quibuſdam Regionibus Orientalibus in uſu ſunt, ſed quia nimis longum eſſet ire per ſingula, ideo brevitatis ſtudio præterimus. Quod etiam attinet ad latinam Liturgiam Occidentalium peculiari oratione narrandum eſt.

P. FRANCISCI ANTONII PHOEBEI SOCIETATIS JESU

De Liturgia Latina

DISSERTATIO IX.

I. INter Eccleſiaſticas Liturgias potiſſimum locum jure ſuo ſibi vendicat Liturgia Romana, ſive ſpectemus ejus primordia, quæ prodierunt ex Magiſterio Apicis Apoſtolici, ut loquitur *Valfridius Abbas lib. de Rebus Eccl. cap.* 21. ſive ejus incrementum, & conſtantiſſimam ſynceritatem ab omni ſemper erroris labe penitus impollutam, ut decebat eam eſſe, quæ propria eſſet Matris, & Magiſtræ omnium Eccleſiarum; quicquid in contrarium oblatraverint Hæretici, præſertim contra Canonem Miſſæ, quos *Tridentinum ſeſſ.* 22. *cap.* 4. *& Can.* 6. juſtiſſimo anathemate condemnavit. Circa hanc Liturgiam, duo mihi breviter exponenda ſunt: primo, quod attinet ad ejus Inſtitutorem: ſecundo, quod ad incrementum, & propagationem per totam Eccleſiam Occidentalem.

II. Primo igitur conſtanter aſſerimus, Miſſæ Ordinem, quem ſervat Sacroſancta Romana Eccleſia, ſaltem quoad præcipuas ejus partes, a Petro Apoſtolorum Principe proceſſiſſe: id quod, præter complura Veterum Patrum teſtimonia, qualia ſunt *Iſidori lib.* 1. *de Eccl. Off. cap.* 15. *Innocentii I. in Ep. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Vigilii Papæ in Epiſt. ad Eucherium*, *Clementis lib.* 8. *Innoc. III. in cap. cum Marthæ*, *De celebratione Miſſæ*, aliorumque plurium, ſufficientiſſime comprobatur antiqua Eccleſiæ traditione ab iiſdem Patribus indicata, juncto præſertim, quod ejuſdem Ordinis Inſtitutio nullibi legatur ab alio facta ſubſequente aliquo tempore: Eſt enim celebris Regula, quam tradit *Auguſtin. lib.* 4. *de Bapt. cap.* 24. referenda eſſe ad Apoſtolicam traditionem, quæ ita antiqua ſunt in Eccleſia, ut eorum initium, & Author ignorentur. Cum autem Petrum nominamus hujus ritus Inſtitutorem, Paulum ejuſdem Apoſtolorum Principis Coapoſtolum non excludimus, quinimo cenſemus, etiam ipſum concordi animo, & eodem Apoſtolico ſpiritu, eodem ritu Romanam Eccleſiam info maſſe, cujus argumentum non leve ex eo etiam deſumitur, quod idem ritus perfecte redoleat mentem Apoſtoli, *prima ad Timoth.* 2. expreſſam in iis verbis: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes*, *orationes*, *poſtulationes*, *& gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* quæ verba declarantur a Sanctis Patribus de publicis Orationibus, iis præſertim, quæ nomine totius Eccleſiæ fiunt, dum Miſſæ Sacrificium offertur, ut videre eſt apud *Chryſoſtomum hom.* 6. *Proſperum lib.* 1. *de vocat. gent. cap.* 4. *Ambroſium lib.* 6. *de Sacram. cap. ult.* & præter alios plures diſtinctius apud *Auguſtin. Epiſtol.* 59. *ad Paulin.* ubi quatuor illa, quæ Paulus enumerat, quatuor Miſſæ partibus accommodat, *& obſecrationes fieri dicit in celebratione Sacramentorum*, *antequam illud*, *quod eſt in Domini menſa incipiat benedici*; *orationes*, *cum benedicitur*, *& ſanctificatur*, *& ad diſtribuendum comminuitur*, quia ſcilicet tunc fit oblatio, *quam partem* (ait) *fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit*: unde in reliqua parte, uſque ad conſumptionem Sacramenti ſentit, fieri poſtulationes, ſeu interpellationes: Unde ſubjungit: *Quibus peractis*, *& participato Sacramento*, *gratiarum actio cuncta concludit*.

Quod dictum eſt hactenus de Romano

no ordine Liturgiæ, intellectum volumus de præcipuis ejus partibus, & inter reliquas de Canone Missæ, cujus institutionem referimus ad Apostolos, quod etiam disertis verbis testantur plures ex Patribus, quos paulo ante citavimus. Idque satis aperte convincunt nonnulla, quæ in eodem Canone reperiuntur, uti sunt verba illa, quæ pertinent ad historiam, seu quibus referuntur actiones, & verba, quibus Christus usus est in hoc Mysterio conficiendo, qualia sunt saltem ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, usque ad illa, *Hæc quotiescumque feceritis &c.* Omnia enim, & singula ibidem expressa habent æque infallibilem veritatem, etiam ea, quæ cæteroquin non referuntur in Evangelio, ut explicat *Innoc. in cit. cap. cum Marthæ. De celebr. Missar.* unde, cum aliunde non sint recepta ex speciali aliqua revelatione, fit, Ecclesiam ea accepisse ex Apostolica authoritate, quam etiam perpetua traditio, & universalis Ecclesiæ consensus ostendit, ut sapienter advertit *Suar. Tom. 3. in 3. part. Disp. 83. Sect. 2.*

III. Per hæc tamen non intendimus affirmare totum, & integrum Canonem, quem habemus, ab Apostolis esse: ultro enim concedimus nonnulla addita illi fuisse Authoritate Summorum Pontificum, saltem usque ad tempora Gregorii Magni, qui legitur addidisse in Canone, verba illa *Diesque nostros in tua pace disponas*. Sicut etiam Leo I. refertur addidisse illa alia verba, *Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hostiam*, deinceps enim post Gregorium nullam legimus illi factam additionem. Non sunt igitur audiendi Hæretici, qui ut Canonis authoritatem elevent, dicunt Authorem ejus fuisse Scholasticum quemdam, cujus meminit *Greg. in Registro lib. 7. Epist. 63.* dicens: *Valde mibi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor Noster composuit, super Corpus, & Sanguinem ejus non diceremus*. Audiendi, inquam, non sunt: tum quia non constat, nomine Scholastici significari ibi a Gregorio personam certam, cum idem Gregorius pluribus in locis ea voce utatur ad significandum generatim Virum doctum Ecclesiæ, ut videre est in ejus *Epist. 2. lib. 10. & Epist. 30. lib. 12.* quemadmodum usus etiam fuerat in eadem significatione *August. ad Psal. 44. & Hieron. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Serapione*; tum etiam, quia, etiamsi significaretur ibi a Gregorio persona certa, non exinde evincitur, ipsum dedisse primum initium Canoni, aut omnes ejus orationes composuisse, cum constet multas earum antiquissimas esse, & ut tales illas commemoret *Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. 5. & 6.* aliique Patres; sed ad summum sequitur Scholasticum illum peculiarem aliquam precem composuisse, eamque fuisse additam Missæ, quod sufficientissimum esse potest ad verificanda verba Gregorii, de qua prece non satis constat qualis fuerit, quia ibi a Gregorio non exprimitur, ideo fortasse, quia res erat illis temporibus notissima, & aliqui putant fuisse Orationes, quæ dicuntur proxime post *Agnus Dei*; alii autem illam *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Ex simili quoque historiarum, & Scriptorum veterum quoad hoc punctum taciturnitate, non possumus certo discernere ex toto contextu verborum Canonis, quænam sint ex ore Petri, aut alterius Apostoli desumpta, quæ autem a Pontificibus eorum successoribus addita, præter pauca quædam, quæ Leoni, & Gregorio tribuuntur, ut paulo ante notavi: illud tamen extra Controversiam nobis est, totum Canonem consideratum secundum substantiam, Apostolicæ traditionis esse: hoc enim modo Oratio pro universa Ecclesia, pro vivis, & defunctis, & similia ab Apostolis sine dubio desumpta sunt, quamvis circa modum, vel ordinem, vel aliqua etiam verba, credendum sit nonnulla esse addita a posterioribus Pontificibus, ab his præsertim, qui Divinum Officium in meliorem formam redegerunt, unde *Trident. sess. 22. cap. 4. & Can. 6.* docet constare hunc Canonem ex Christi Verbis, Apostolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum piis institutionibus, quod totum etiam asserimus de reliquo ordine Missæ.

IV. Ritus iste liturgicus ab Apostolis primum traditus, & successu temporis Authoritate Summorum Pontificum aliquantulum auctus, ab Ecclesia Romana constantissime semper servatus est. Quod enim indi-

indicare videtur *Abailardus in Epist. Apologetica adversus Sanctum Bernardum*, de diverso ordine aliarum Romæ Ecclesiarum ab ordine Ecclesiæ Lateranensis, ut aliquid veritatis, aut probabilitatis habeat, intelligendum est de Horis Canonicis, quarum ordinem duplicem olim fuisse, unum breviorem, qui dicebatur ad usum Curiæ, alterum prolixiorem, qui proprie vocabatur ritus Romanus, docuit *Radulphus Tungrensis in lib. de Canonum observantia*, & ab antiquis codicibus videtur subindicatum, unde si *Abailardus* tali fundamento ductus censuit, Ordinem Missæ diversum fuisse in Ecclesia Lateranensi, & in aliis Urbis Ecclesiis, manifesta æquivocatione deceptus est. Sed neque satis fuit Ecclesiæ Romanæ in hoc supremo actu Religionis sibi ipsi esse concordem: summo enim studio conata est, ac tandem feliciter obtinuit, ut idem liturgicus ritus ad reliquas gentes occidentalium partium commearet. Id quod non difficile ipsi fuit in prima Ecclesiarum fundatione, & institutione: Constat enim omnes illas Ecclesias filias esse Romanæ Sedis, non solum jure primatus, sed etiam quia a Romana Ecclesia genitæ sunt per Apostolicos viros missos a Petro, vel Successoribus ejus, ut de Ecclesiis Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Siciliæ, Insularumque interjacentium constat ex *S. Innoc. I. in Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum*, de Ecclesia Anglorum *ex Gregorio Magno*, qui, misso in eam Insulam Augustino, Gentes illas convertit ad Christum, de Ecclesiis Germaniæ, aliarumque Septentrionalium Regionum ex Epistolis *Gregorii Secundi ad Sanctum Bonifacium*, qui fundato Moguntino Episcopatu, Evangelium in iis Regionibus plurimum propagavit. Dubitandum autem non est, quin Apostolici illi viri a Summis Pontificibus missi, sicut Romana Fide Populos illos imbuerunt, ita etiam Romanis pro Sacrificio Ritibus informaverint, quemadmodum Nationes aliquæ Orientales Græcos Ritus susceperunt, ex eo quod per aliquem Græcum Antistitem Christiana Fide fuerunt initiati, ut inter reliquas narrat de Moschis *Eminentissimus Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 9.*

V. Utcumque tamen res ista feliciter processerit e sententia Romanæ Ecclesiæ in prima fundatione Ecclesiarum, paris tamen facilitatis non extitit, illas in eodem Romano ritu, procedente tempore retinere, aut, si ab illo deflexissent, ad primæva instituta revocare. Ut enim varia sunt variarum Nationum ingenia, sensim factum est, ut alii, aliique alia mutaverint, ex quo orta rituum diversitas est, idque primum citra omne Fidei periculum, & citra læsionem Religionis, unde factum est, ut eam aliquandiu Romana Ecclesia permiserit, nullo exstante de illis præcepto Christi, vel Apostolorum. Sed cum facile sit, confractis semel pro arbitrio repagulis, justos terminos transilire, paulatim degeneratum fuit in multa prorsus insulsa, & ab Ecclesiastica gravitate aliena, quæ non sine indignatione videre est in codicibus Ritualibus antiquitatis, imo quod pejus est in plura erronea, contra Catholicam Fidem, perversitate, & audacia hæreticorum. Huic malo succidendo sollicite admovit Apostolicam falcem Romana Ecclesia qua Legatis missis ad Principes, qua litteris ad ipsos, & Episcopos datis, ut a Romana Ecclesia tamquam a fonte syncero rursus acciperent illibatam formam Sacrificii. Quod tamen non omnibus Ecclesiis pari facilitate persuasum est: exortæ sunt enim alicubi pro ea re contentiones, & turbæ, pugnantibus pluribus pro patria consuetudine tanquam pro aris, & focis, ut moris esse solet, quando consuetudini fomenta præbet prætextus Religionis. Sed vicit tandem eorum renitentiam Summorum Pontificum potestas, piorum Episcoporum industria, Regum, ac Principum pietas, & erga Apostolicam Sedem reverentia.

VII. Ut autem in posterum amputaretur omne periculum ad pristinas varietates redeundi, sapientissime instituit Apostolica Sedes Sacram Rituum Congregationem, a qua non solum summa sapientia, & prudentia examinantur officia petita a particularibus Ecclesiis, sed etiam justissimæ Leges sancitæ sunt ad viam abusibus olim irrepentibus præcludendam.

AD

AD CAPUT V.

ANONYMI SOC. JESU.

QUI SÆCULO XVI. FLORUIT

De origine ac ritibus priscis Sacrarum Concionum

DISSERTATIO X.

Ex Autographo, quod in Bibliotheca Domus Professæ Romanæ ejusdem Societatis Jesu adservatur.

I. ANtequam Christiani oratoris institutionem aggrediar, videor mihi facturus rem cum suscepto operi convenientem tum commodam jucundamque lectoribus si pauca de sacrarum concionum origine, earumque priscis ritibus, de concionatore, de auditoribus, de tempore ac loco perscribam. Subjicientur enim haud pauca sub unum conspectum quæ sparsim in opere attinguntur, & ex moribus vetustis multa utiliter referre licebit ad nostros. Origo Sanctissimæ hujus consuetudinis in Christiana Ecclesia, ab ipsa vetere hebræorum Ecclesia promanavit: apud quam & stati conventus erant, & recitatio, & sermo. Conveniebant enim in Synagogas unoquoque sabbato, tum legebatur pars aliqua sanctorum voluminum, postea sermo modo paræneticus, modo didascalicus, vel ex utroque mixtus adhibebatur, sive ad obscuriora divinis litteris explicanda, sive ad formandos corrigendosque mores. Hæc omnia facile colliguntur ex Luc. 4. *Intravit*, inquit, *Jesus secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & cum evolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat Spiritus Domini super me*, postque recitatum locum subditur, *& cum plicuisset librum, reddidit ministro, & omnium in Synagoga oculi erant intenti in eum: cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est scriptura in auribus vestris*. Similia dicuntur Act. 13. *Venerunt Antiochiam* (nempe Paulus & Barnabas), *& ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem legis, & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes, viri fratres si quis est in vobis sermo exhortationis ad populum dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens ait: Viri Israelitæ & qui timetis Deum audite*. Et post absolutum Sermonem subjungitur: *exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti Sabbato loquerentur sibi verba hæc*. Et mox: *Sequenti vero Sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei*: ubi & conventus Civitatis, & lectio, sive recitatio legis, ac prophetarum habetur, tum exhortatorius ac paræneticus Sermo. Sed hæc proximis Christo Domino temporibus cum certum sit hoc ritu gesta, quanto ante cœpta sint, non ostendunt. Et Sacrarum quidem tractationum origo aliqua mihi dubium non est quin ab ipsa prope mundi origine repeti debeat. Nam etsi *Philo Judæus Lib. de Abrahamo initio*, de antiquis Patribus loquens, *scholas nullas frequentaverant*, inquit, *nullis præceptoribus usi fuerant, sed a se ipsis instituti doctique ordinem naturæ secuti sunt*, tamen cum cæteras disciplinas ab *Adamo* propagatas apud Christianos Doctores communis sententia sit, veræ pietatis ac morum disciplinam, uti majoris momenti est, ita accuratius ab eo traditam, & aliquod jam tum exercitum fuisse religionis magisterium, dubitandum nequaquam videtur. Nec vero *Enos Genesis* IV. *cœpisse* dicitur *invocare nomen Domini* propterea quod nullus antea religionis cultus esset, sed ut eo loco noster *Pererius* putat, quod eum ipse cura, & prædicatione

tione excoluit. Jam *Noe* inter prædicatores merito numeretur, qui a Divo Petro *secunda Epistola cap.* 2.: *Justitiæ præco* nominatur, & iterum *Epistola prima* cap. 3. *prædicasse* significatur *iis qui increduli fuerant, cum fabricaretur arca*; quem denique *Joseph Hebræus* refert corrupta hominum facta moleste, & indigne ferentem adeo suasisse ut in melius voluntates, ac opera transmutarent, ut cum videret illos sibi non parere, veritus ne se & suam familiam interimerent, in aliam regionem migravit. Verum qui, quoque modo sacri conventus sermonesque usque ad id tempus, atque etiam ex hoc tempore usque ad *Moisem* fuerint, proditum non est. Potuit tamen intelligi vis eloquentiæ ex eo quod audax ædificandæ *Turris Babyloniæ* consilium ingressos omnes sacra narrat historia, quia erat terra labii unius, & sermonum eorundem; nempe ut facile incitari, & inflammari quæ ad id opus necessaria erat multitudo posset. Quare & totum opus ea communione sublata disturbatum est. Videtur deinde aliquod doctrinæ magisterium in *Ægypto Joseph* exercuisse, qui dicitur *Psalmo* 104. *constitutus a* Pharaone *ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum & senes ejus prudentiam doceret*. Quo loco S. Augustinus *optime convenisse* dicit *tanti Patriarchæ zelo, ut non tantum alendis corporibus, sed & ipsis hominibus melioribus efficiendis occuparetur*. Nec verisimile est tanto tempore, quo *Hebræi* in *Ægypto* vixerunt omni pietatis doctrina caruisse. Sed illud observandum est, cum statuisset eum populum Dominus liberare, & ad certam vitæ, pietatisque rationem formare *Moysi* quem Principem legebat, *Aaronem* eloquentem addidisse, quia, ut infra proprio loco dicetur, præcipuum regendarum communitatum est instrumentum oratio. Prima deinde concio tempore *Moysis* indicatur *Exodi* IV. ubi ex præcepto Domini *Moyses* & *Aaron congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel, loquutusque est Aaron omnia verba quæ loquutus est Dominus ad Moysen*: at multi deinceps cœtus sermonesque publici memorantur, præsertim quibus accepta a Deo *Moyses* populo exponebat. Atque hæc de vetustissimo sacrarum concionum usu.

II. Sed ut ad originem lectionum legis, quæ Christi fiebant tempore redeamus, sane antiquam fuisse, S. *Jacob* in *Act. Apost. c.* 15. docet, cum ait *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent*, Josephus autem *lib.* 2. *contra App.* id a *Moyse* institutum refert, & ob eam quoque causam cæteris eum legislatoribus præfecit. *Non semel*, inquit, *audire nec secundo nec sæpius, sed in una quaque septimana alia opera relinquentes ad legis auditionem congregari præcepit universos, eamque perfecte condiscere, quod scilicet omnes legislatores reliquisse noscuntur*. Hoc Moysis præceptum de cujusque hebdomadæ ad legem audiendam conventu, in sacris litteris aperte, quod ego animadverterim, non exstat. Sed *Deut.* c. 31. septimo quoque anno legenda præcipitur, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum. Significat tamen crebram tractationem *Lev.* X. Deus dum prohibens Sacerdotes tabernaculum intraturos quicquam quod inebriare possit, bibere, caussam addit, *ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea*. Verisimile tamen est, etiam tum Sabbatis singulis fuisse morem docendi: quos dies Philo Lib. *de Decalogo* ubique tradit præcipue fuisse studio sapientiæ dedicatos: & ob eam rem proseuchas, seu Synagogas fuisse quasdam justitiæ cæterarumque virtutum scholas, & libro de *Vita Moysis c.* 3. eum morem, & ipse ab eo repetens, describit his verbis: *Mos erat certis temporibus præcipue Sabbatis operam dare studio sapientiæ, principe*, idest Moyse, *doctoris vice fungente, præmonstranteque officia, subditis autem honeste proficientibus, & mores vitamque corrigentibus*. Quæ consuetudo a majoribus per manus accepta, hodie durat apud Judæos. Cæterum cum initio *Moyses* fungeretur hoc munere partitus videtur in plures, tum cum septuaginta viros jussu Dei elegit, qui divino repleti spiritu prophetare cœperunt. Nam cum ante ex Soceri Jetri consilio legisset, qui ad civilem sibi administrationem adjumento forent; hos, ut maxime in rebus divinis auxilio esset adlectos, docent sacri interpretes. *Deut. XXIV. & XXXI.* doctorum mentio fit, & *Num. XI.* Magistrorum. Atque iidem significari omnibus his

his locis videntur, qui scribæ alibi nuncupantur. Itaque cum, ut recte inter cæteros Toletus in *c.* 18. *Joh.* docet, *scribæ cœperint una cum* lege, Doctores illi & Magistri iidem atque scribæ statuendi videntur. Nam quod S. Hieronymus in c. 8. *Isa.* non multo ante Christum tempore extitisse scribas & pharisæos ait, vel de solis intelligendum est phariseis, quos dumtaxat ubique Josephus inter Judaicas sectas enumerat, numquam autem scribas, vel quod ritus aliquos de novo, quo tempore pharisæi orti sunt, ipsi quoque assumpserunt.

III. Ex hactenus dictis colligitur initium sacrarum concionum repetendum a prima divini cultus origine. Ubi autem scripta lex accessit, & accessisse lectionem ejus, & explicationem, quæ proprie ad Sacerdotes, & Scribas pertinebat: quibus deinde non multis ante Christi adventum temporibus accessere Pharisæi, proptereaque dictum est, *super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*; illud enim negari non potest, sive præceptum fuerit Moysis, ut scribit Josephus, sive mos ab illo introductus, qui præcepti vim habuerit, ut sabbatis ad audiendam legem, & explicationem ejus, morumque disciplinam conveniretur, fuisse morem hunc non semel interruptum vel in captivitatibus, vel in ipsorum Regum, & populi idololatriis. In captivitatibus quidem ne legere quidem licuisse legem S. Chrysostomus, & in homilia *contra Judæos*, & in demonstratione contra Gentiles, quod *Christus sit Deus*, ad finem affirmat. Certe dum ipsi sacri libri penitus amissi erant, ut colligitur IV. Regum XXII. & II. Par. XXXV. ubi unus narratur inventus, cumque tradantur combusti, antequam restituerentur ab Esdra (ut ajunt plerique) legi non potuere.

IV. Sed merito quærat aliquis, num idem esset lector & explicator, quia Christus Dominus prius legit ipse, deinde explicavit Isaiæ locum. Et Esdræ II. 8. Esdras idem loquitur, & legit. At Philo lib. *quod omnis probus est liber*; loquens de Essæis aliter eos fecisse ait. *Has*, inquit, (hoc est primas leges) *edifcunt & alio tempore, sed præcipue recurrente die septimo, quem sacratum existimant, feria-tumque ab omnibus aliis negotiis. Quoties sacras Ædes, quas Synagogas vocant, adeunt, pro ætatis ordine juniores ad seniorum pedes considunt, & ad audiendum se componunt. Ibi alius ex libro legit, alius quispiam unus e peritioribus accedens, quæ obscura sunt, explicat.* In Act. *c. XIII.* Paulus, & Barnabas post lectionem invitantur a Principibus Synagogæ, ut loquantur si quem haberent *sermonem exhortationis ad populum:* & alibi docuisse in Synagogis dicuntur, nec unquam legisse. Itaque videtur hic mos fuisse, ut certus esset lector, sermo ab aliis haberetur, qui si vellent alium scripturæ explicare locum, etiam eum legerent, quod fecit Christus Dominus; nec tamen vetitum fuisse, quin legeret idem & explicaret. Quo loco admirari licet singulare Isaiæ privilegium, ut ejus prophetiam Dominus ipse & legere stans voluerit, nec solum explicare, sed & demonstrare completam.

V. Rursus dubitari potest, num omnibus liceret in Synagoga docere. Ita affirmant aliqui, & videtur ex eo confirmari, quod Christus Dominus a nullo invitatus sæpe docuerit. Sed mihi verisimile non est, fuisse promiscuum, & confusum morem; sed solum scribis, & Pharisæis licuisse disserere, etiam non invitatis pro suo munere: Christum autem Dominum extra omne exemplum esse: Paullum sua usum potestate, quod esset Pharisæus eruditus ad pedes Gamalielis, & cæteros Apostolos, vel invitatos, ut Paullum, & Barnabam, vel se se obtulisse, ac veniam impetrasse dicendi. Neque obstat locus Ambrosii, qui in illa Pauli verba *I. Cor. XIV. potestis enim per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur. Hæc*, ait, *traditio Sinagogæ est quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Judæis, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas; quibus si revelatum fuerit dandum locum præcipit, nec dispiciendos, quia membra corporis sunt.* Non inquam obstat hic locus, quia solum dicit, si cui novissimorum quid fuerit revelatum (ut erat tum extraordinaria illa divinorum Chrysmatum copia) dandum ei locum esse, non quod ille se nulla potesta-

restate dicendi impetrata, posset intrudere, sed quod offerenti sese dicendi locus, negari non deberet. Nam profecto nisi aliquo appareret manifesto miraculo, fuisset nec ne ei vere divinitus revelatum, an fallaciter, an a Dæmone illusum, erat id judicandum, antequam quivis e turba dicere teneretur. Omnia autem jussit Paulus honeste, & secundum ordinem fieri; & ne quid diceretur absurdi, cæteros dijudicasse, nimirum cæteros e Prophetis. Non enim ut hæretici perperam interpretantur, judicium rerum divinarum, imperitæ multitudini permittebatur. Probabile omnino igitur videtur, & in Synagoga non licuisse cuivis, nisi potestas fieret, disputare.

VI. Quæritur ad hæc 3.: sederent ne inter dicendum eo tempore, an starent? Legentes quidem stetisse, & ex *c. VIII. lib. II.* Esdræ colligitur, & satis aperte ipsum Christi Domini dum Isaiam legit exemplum docet. Communior autem mos fuisse videtur, ut docentes sederent: unde & cathedra Moysi nominatur, & sedere super eam Scribæ, & Pharisæi dicuntur: & Christus Dominus Luc. II. inventus est duodennis *in medio doctorum*, utique sedentium, sedens. Cum legisset Isaiam stans, docturus sedet. Matth. VIII. docturus in monte sedet. Luc. V. *sedens docebat de Navicula turbas*: Joh. VIII. sedens docet in templo populum. Matth. XXVI. *quotidie apud vos sedebam docens in templo*; Quod autem dicitur Joh. VII. *in novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & exclamabat*, videtur fecisse propter multitudinem, quæ aderat, cum esset opus conatu majore, vel ut arbitror, quia non consueto habendis concionibus loco hæc clamavit, sed ex media turba. Illud autem Luc. VI. *stetit in loco campestri*, potius videtur significare, quod constiterit, & quieverit, quam situm aut statum corporis. Act. XIII. dicitur *surrexisse Paulus*, vel quod ad dicendum prodierit, consuetumque locum conscenderit, ubi sederet, vel quod Archisynagogam salutarit. Sed plane mihi videtur eo loco stetisse. Nam etsi moris esset sedere, non tamen vetitum, quin si cui placeret, commodumque esset, stans diceret, qui doctorum ethicorum mos erat. Et Act. V. locuturus in Concilio Gamaliel surrexit. Quod autem Petrus in prima sua concione *Act. II.*, & Paullus in medio Areopagi steterint, non significat morem temporis, sed opportunitatem, & necessitatem loci. Locus nuper citatus e S. Ambrosio, sedisse omnes significat. Et in eodem loco S. Paullus, cum ait, *quod si alicui revelatum fuerit sedenti, prior taceat*: videtur significare dicentem stetisse, eique sedentem opponere. Quare, ut dixi, communi usu sedisse, aliquando etiam stetisse videtur. Hæc autem quæ in Synagoga olim servabantur, non multum mutata in Christi Ecclesia recepta sunt. Ita ut cum ipsa nascente, & crescente pariter, hic ritus & natus, & adultus sit. De posteriore vero tempore, quia res ante oculos est, non est quod dicam. De primo illo docet nos Tertull. in *Apolog. XXXIX.* qui recens ab ætate Apostolorum, qui tunc maxime in Ecclesia vigebat, nos ignorare non patitur. *Cogimur*, inquit, *ad litterarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere: Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum incalcationibus densamus. Ibidem etiam cohortationes, castigationes, & censura divina*. In quibus verbis aperte meminit conventus, cum ait *cogimur*, & sacræ lectionis, seu recitationis, quæ erat *commemoratio divinarum litterarum*; denique sermonis, cujus ille erat scopus, commonere, exhortari, mores formare bonos, depravatosque corrigere, & castigare. Idem ostendit locus ex S. Ambrosio in primam ad Corinth. paullo ante citatus. Sed jam ut distinctius proprios christiani populi ritus tractemus, ab ipso concionatore, quasi novum principium desumamus

De ipso Concionatore

VII. Certum est prædicandi Evangelii munus inde usque ab origine Ecclesiæ proprium Christianorum fuisse, quod ex Act. Apost. c. VI. apparet; ubi propterea Diaconi instituuntur, ut Apostoli orationi, & prædicationi instantes sint; & ex D. Paullo I. Cor. 1. ubi se missum dicit ad prædicandum non ad baptizandum. Ex Dionysio quoque Areopagita, & Apostolicis con-

constitutionibus perspicue id patet ut a nobis infra fusius differetur. Et quamvis nonnisi in sua cuique Episcopo Diœcesi prædicare liceret, tamen illa priscis temporibus viguit consuetudo laudabilis, ut Episcopi peregrini ad verba facienda ab Episcopo ad quem divertissent, invitarentur: de qua re in Apostolicis Constitutionibus *lib.* 2. *c.* 58. sic habetur: *Rogabis Episcope eum* (idest peregrinum Episcopum) *ut sermonem habeat apud populum docendi causa: est enim hortatio, & monitio hospitum grata, & mirum in modum utilissima*; qui mos videtur acceptus ex eo quod dicitur Act. XIII. *missos a Principibus Synagogæ, qui invitarent Paulum ac Barnabam, ut si quis esset in eis sermo exhortationis, ad plebem dicerent*. Idem sæpe legimus observatum ab antiquis Monachis, qui hospites ad pios sermones invitabant; eumque morem, uti alia multa S. Cardinalis Borromæus in Mediolanensi Ecclesia, & decretis, & usu nostra memoria revocavit. Addi illud potest veterum fuisse ritum, ut Episcopum prædicantem Diaconi custodirent, quos Evaristus *ep.* I. septem esse voluit. Assistebant autem Episcopo, eumque custodiebant, non quod aliquod periculum inesset, illique instar prætorianæ cohortis adessent, sed ad majestatem divinorum eloquiorum indicandam, interimque ut caverent ne quid in populo strepitus, aut turbæ oboriretur. Præter Episcopum licebat & presbyteris conciones habere: quod quidem in iis Ecclesiis, quæ Episcopo carebant, nullam habet difficultatem. In Africa tamen coram Episcopo, ne ejus quidem jussu mos erat presbyterum loqui. Proptereaque Possidius in S. Augustini vita narrat perinique tulisse alios Africæ Episcopos, quod Valerius Antistes Hypponensis Augustino etiam non presbytero docendi munus dedisset. Quam consuetudinem perstringit S. Hieronymus *ep. ad Nep.* his verbis: *Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui; quasi aut invideant, aut non dignentur audire*. Socrates refert ministerium verbi Dei interdictum Alexandriæ presbyteris, ex quo tempore impius Arius presbyter sermonibus suis Ecclesiam Dei dilaceravit. Auxentius vir sanctissimus, ut est in historia Concilii Constantinopolitani sub Leone ad Synodum invitatus, excusabat se dicens, *non esse Monachorum docere, sed doceri*, & illud munus iis convenire, qui honorati pontificatu essent. Paullatim tamen ut videmus ab Episcopis munus hoc Apostolicum ad presbyteros defluxit; ut jam pœne non nisi horum voces e suggestis audiantur. Historia tripartita *lib.* 9. *c.* 39., & Nicephorus *lib.* 12. *c.* 34. narrant Romæ nec Episcopum, neque alium quemquam in Ecclesia ad populum verba fecisse, quod & per se incredibile est, & falsum esse, non solum ex Gregorii Magni, & ante eum Magni Leonis homiliis apparet, sed & e Sermone II. de Resurr. S. Leonis, ubi adjiciendum Evangelicæ narrationi sui sermonis officium dicit, *quod populus piæ consuetudinis debitum deposceret*; & Prudentius, ut infra referetur, *Tribunal* describit, unde *Deum prædicabat Antistes*. Haud vero dubium est Diaconis quoque verbum Dei tractare aliquando fuisse concessum. Notum est ex Apostolorum Actis quanto spiritu & fructu diaconorum Princeps Stephanus de Christo Domino disputaret, *& plenus gratia, & fortitudine multa signa faceret*. Philippus unus e septem diaconis propterea Act. XXI. Evangelista nominatur, non quod scripsisset, sed quod prædicaret Evangelium. S. Ignatius ad *Phil.* scribens, Philonem diaconum laudat, quia sibi in sermone ministrabat, eosdemque monet ut Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis attendant. In Epistola vero ad Heronem Antiochiæ diaconum, *lectioni*, inquit, *attende, ut non modo ipse leges noveris, sed etiam aliis easdem interpreteris, ut Dei athleta*. Præcipue vero hoc munus Diaconi obibant persecutionis tempore in adhortandis qui propter fidem habebantur in vinculis. Hinc Cyprianus Ep. XI. *In præteritum*, inquit, *semper sub antecessoribus nostris factum est ut Diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis, & scripturarum præceptis gubernarent*. Et hæc fortasse est causa præter aviditatem auferendi thesauros, quos Diaconi custodiebant, cur persecutio acerrime eos insectaretur, quod nimirum cæteros ipsi Christianos sua industria confirmarent. Origeni quoque ante sacerdotium fuisse docendi publice munus permissum Nicepho-

rus *l.* 5. *c.* 14. narrat, & cum id tamquam nunquam antea factum Demetrius Alexandrinus Episcopus reprehenderet, contra esse allatis exemplis Episcopi responderunt. Postea vero res & Pontificum, & Conciliorum decretis constitutæ; quæ in præsentia prosequi necesse non est.

VIII. Dubitari hic potest, constituta jam Ecclesia Christiana sicut supra de vetere quæsivimus, stantes ne an sedentes suas conciones antiqui nostri Patres haberent? S. Thomas *in c.* 7. Joan. sic ait: *Christus docuit sedens, & stans; sedens quidem discipulos* Matt. V., *stans autem turbas, ut hoc loco: & ideo inolevit consuetudo in Ecclesia ut turbis prædicetur stando; religiosis vero, & clericis sedendo. Cujus ratio est quia cum prædicatio ad turbas fit quasi ad eas convertendas, fit per modum exhortationis, sed cum prædicatio ad clerum fit quasi jam ad existentem in domo Dei, est ut quædam commemoratio.* Eadem tradit in c. V. Matt., quæ tamen rationes facti convenientem magis, quam probabilem originem habent. Nam sui moris fuisse Christus dicit, sedendo quotidie in templo docere, ubi non solum discipulos, sed etiam turbas docebat: *Et sedens docebat de navicula turbas,* ut supra diximus; & raro, & solum in extraordinariis quibusdam sermonibus stans aliquando docuit. Cæterum ad populum verba facientes stetisse antiquos Concionatores, multa sunt testimonia: Chrysostomus *in Matt. hom.* 32. *Causa fui Presbyter sedet, causa fui rectus stat Doctor laboribus, & afflictione affectus:* & *hom.* 16. *ad pop. Ant. Nisi multam a Patribus necessitatem sustinuissem, neque surrexissem, neque loquutus fuissem.* S. Augustinus *Tr. XIX. in Joh.: Nostis stantes, quia ad panem ventris cum labore pervenitur, quanto magis ad panem mentis? Cum labore statis & auditis: sed nos cum majore stamus, & loquimur. In Ps.* 32.: *Adhuc quidem spectatores in theatro forte insaniunt, & in sole sunt: ut nos stamus, in umbraculo stamus. In Ps.* 147.: *Gaudeo tantam esse voluntatem, & voluptatem in veritate verbi Dei, ut studium nostrum bonum in bono, & de bono vincat studium insanorum currentium in amphitheatrum. Nunquid illi si tandiu starent, adhuc spectarent?* Hæc quidem significant morem standi fuisse. Adde quod Magnus ipse Constantinus, ut in ejus vita refert Eusebius *l.* 4. *c.* 9. cum plurimum deditus esset habendis concionibus, quod suarum esse partium existimaret, imperio suo parentes ratione regere, si qua eo dicente incidisset occasio de theologia loquendi, in rebus divinis erecto corpore consistebat, contractoque vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia, & moderatione præsentium animos cælesti disciplina initiare, ac devincere videbatur. Cæterum ex altera parte idem S. Augustinus se aliquando sedisse docet *hom.* 28. *lib.* 50. *hom. Quare loquor, quare hic sedeo, quare vivo? Nisi hac intentione, ut cum Christo simul vivamus? Ser.* 49. *de diversis. Ut ergo vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis.* Cassiodorus in *Tripart. l.* 10. *c.* 4. & Niceph. *l.* 13. *c.* 4. verba fecisse dicit S. Chrysostomum residentem. Existimo tamen utroque modo factum; sed communiorem fuisse morem, ut stantes loquerentur, nisi aut senectute, seu infirmitate id non permittente. Nam & illud ex Augustino postremo loco allatum, videtur excusatio, quod sederet, tamquam præter morem. Quamquam diversis in Ecclesiis diversi erant mores, ut Augustinus apte significat *de catechiz. rudib.* c. 13. quem infra locum apponam.

IX. Illud præterea hic prætermitti non debet, aliquando non habitos viva voce sermones, sed per Notarium recitatos. Hoc se fecisse D. Gregorius M. l. II. hom. 21. initio his verbis profitetur: *Multis vobis lectionibus, fratres carissimi, per dictatum loqui consuevi: sed quia lassescente stomacho, ea quæ dictavero, legere ipse non possum, quosdam vestrum minus libenter audientes intueor. Unde nunc a memetipso exigere contra morem volo, ut inter sacra Missarum solemnia, lectionem S. Evangelii non dictando, sed colloquendo edisseram. Sicque excipiatur ut loquimur: quia collocutionis vox corda torpentia plus quam sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis ut evigilent pulsat.* Et in prologo earumdem homiliarum sic ait: *Inter sacra Missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, S. Evangelii* 40. *lectiones exposui: & quarumdam quidem expositio assistenti ple-*

plebi est per notarium recitata, quarumdam vero explanationem coram populo ipse loquutus sum, atque ita ut loquebar excepta est. Hic mos non solum habendi, sed & recitandi conciones videtur fuisse causa cur S. Augustinus Psalmum 118. per sermones explicarit. *Nam statui*, inquit, *per sermones id facere, qui proferantur in populis, quos Græci homilias vocant, hoc enim justius esse arbitror ut conventus Ecclesiastici non fraudentur psalmi hujus intelligentia, cujus ut aliorum delectari assolet cantilena*. In Synodo Vasensi *can.* 4. decernitur: *si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconis recitentur*. Videndum est num significet se scripto dixisse S. Augustinus, seu Fulgentius *ser. 6. de Sanctis*, dum ita orditur: *quoniam video nostras disputationes grafio ceraque ligari, & nequaquam sumus idonei lectitare, adjuvate meipsum quæso intercessu vestro*. Fortasse non *lectitare*, sed *dictare* legendum sit, quod dixerit, quia videbat *scripto excipi* suas disputationes. Nam fuisse morem excipiendi præter locum e S. Gregorio paullo ante citatum, non raro ostendit S. Augustinus præsertim dum enarrat, & testatur in ejus vita Possidius, & Metaphrastes in vita Chrysostomi, & colligitur ex Socratis *Trip. Hist. lib.* 11. *c.* 2. ubi ut ostendat Attici Patriarchæ Constantinopolitani conciones nullo in pretio habitas, neminem fuisse ait, qui eas scriberet. Eufeb. in *Apolog. pro Origine*, solitum eum narrat in Ecclesiis pene quotidie ex tempore habere tractatus, quos notarii monumentis deinde tradebant. Hinc autem sæpe fiebat, ut res vulgarentur immaturæ, nec satis excultæ. Propterea Cyrillus Alexandrinus *lib. 8. de ador. in spiritu, & veritate*, eam *Deuter.* XXIII. legem, quæ *si quis ex aliena vinea comedat uvas*, vetat quicquam in vas conjici, contra eos interpretatur qui voces docentium in Ecclesiis ut illic anima pascatur, in libellos tamquam in vas conjiciunt cum damno famæ doctorum, quod illi subito sæpe effundunt, tamquam accurate compositum literis mandantes. Ex dictis apparet priscos concionatores sæpissime allocutione usos, non de scripto legisse. Non raro tamen eorum sermones lectos fuisse. Possumt his addi duo alia. Primum de modo indicendi silentium. Act. c. XIII. dicitur: *surgens autem Paulus & manu silentium indicens*. Ubi Chrysostomus ait fuisse eum morem Judæis, quod ex capite etiam *XIX. Act.* potest intelligi, ubi dicitur: *Alexander autem manu silentio postulato volebat reddere rationem populo*. Et *c. XXI. Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno silentio facto alloquutus est lingua hebræa:* Et *c. XII.* de Petro: *annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere*. Non tamen S. Chrysostomus solis tantum Judæis affirmat hunc morem fuisse; quare non mirum si apud alias gentes inveniatur. Verum apud Xenophontem *lib. 5. pæd.* potius notari potest idem verbum græcum, quo utitur in persimili significatione Sanctus Lucas, quam moris ejusdem silentii ante concionem indicendi descriptio. Porro inter primos Christianos Diaconus voce clara ante sacram lectionem solebat silentium imperare, ut constat ex Clem. *lib.* 2. *c.* 57. & *lib.* 8. *c.* 11. qui ita præcipit: *Diaconus populum speculetur, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut nutus faciat. Oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobrie, & vigilanter auribus ad verbum Domini intentis*. S. Chrysostomus *hom.* 19. *in Act. Stat minister: communis minister alta voce clamat, ac dicit; attendamus, & sæpius illam vocem clamat. Hæc communis Ecclesiæ est, quam ille emittit, & nullus attendit. Post illam incipit lector*. Secundum est de Salutatione Angelica, quam nunc ante concionem pronunciamus. Cujus instituti ante B. Vincentium Ferrerium, qui solet præmittere suis sermonibus; *salutetur Beata Virgo*, auctorem nullum inveni: Arbitror esse recens institutum, & inductum forte propter hæreses in B. Virginem exortas, cum ipsa sit quæ omnes hæreses interimere queat. Adde quod in hac oratione fit mentio incarnati Verbi, cujus mysteria maxime prædicanda sunt, ut S. Paulus Titum monet: *hæc loquere, & exhortare*. Oratio certe ante concionem semper usurpata fuit. Augustinus *lib.* 4. *de Doc. c.* 15. Chrysostomus *hom.* 3. *de Incompr. Dei* nat. & passim in suorum sermonum initio Sancti Patres orationes populi postulabant. Nec vero dubitari debet mo-

morem inchoandi a signo Crucis esse perantiquum. Cum enim dicat Tertullianus *de Cor. Mil. ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos exhortatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*, quis ambigat, & concionem auspicaturos idem fecisse. Corippus equidem Grammaticus Africanus, dum versu orationem exequitur, quam Justinus Imperator ad populum habuit, statim ut accepit insignia imperii anno, ut Baronio placet, quingentesimo sexagesimo quinto, hæc canit.

Ipse coronatus solium conscendit avitum,
Atque Crucis faciens signum venerabile sedit,
Erectaque manu cuncto præsente senatu,
Ore pio hæc ait.

De Auditoribus.

X. Consueverant interesse concionibus non Christiani solum, sed & Catechumeni quod vulgatum est. Sed considerandum quid sibi velit Ambrosius *Ep. 33.* dum ait: *post lectiones, atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ*; iidem enim videntur esse *competentes*, & *catechumeni*. Exstat sermo S. Augustini ad *Competentes* 8. *de diversis*, ubi & ipsum vocabulum non aliunde, quam *de simul petendo, atque unum aliquid appetendo compositum* dicit. Quod si qua distinctio est, ea videtur posse tradi, ut catechumeni omnes dicerentur, quamquam baptismum in præsens differrent: Competentes autem ii præcipue qui peterent, moxque essent suscepturi. Quæ distinctio videtur confirmari ex verbis S. Augustini *Conf. lib.* 8. *c.* 2. de Victorino loquentis: *Ubi autem imbutus ex primis instructionum Sacramentis* (nempe inter catechumenos) *non multo post & nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur* aqua (scilicet inter competentes adscriptus). Dimittebantur autem post sermonem catechumeni, unde *ser.* 237. Augustinus: *Ecce, inquit, post sermonem fit missa catechumenis, manebunt fideles*: Idest *missio fit catechumenorum*, unde & *missa catechumenorum* pro ea parte, quæ usque ad oblationem continetur, nomen accepit. Nec hi solum ad sermonem convenire poterant, sed & hæretici, pagani, judæi. Ita habetur *de conf. dist. p. c.* 66. & in Concilio Carthaginensi IV. *c.* 84. severe etiam observatum est, ut ante benedictionem fidelium nemo discederet: quia & canon exstat Conc. Carthaginiensis c. 74. in hæc verba: *Sacerdote in Ecclesia Dei verba faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur*. Et in Conc. Agathensi statutum est, *ne ante Sacerdotis benedictionem populus egredi præsumat. Quod si qui fecerint ab Episcopo publice confundantur*. Cui decreto occasionem dedit Cæsarius, qui concilio præerat. Cujus historiam si lubet, vide apud Surium *die* 27. *Augusti*. Intererat autem populus, separatim viris, feminisque discretis, quem morem egregie describit Philo Judæus de Vita contemplativa dum de Essæis agit. *Per sex dies, inquit, seorsum quisque in suis illis modo dictis monasteriis philosophantur, non progredientes foras, imo ne prospicientes quidem: septima vero conveniunt in cœtum communem, & juxta ætatis ordinem consident, decenti habitu, manus continentes sub pallio, dexteram inter pectus, barbamque, sinistram applicatam lateri. Dum progressus in medio natu major disserit*; & post pauca: *reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantum, aut capite. Id commune sennæum in quod septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum, & mulierum cœtibus. Nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxat quæ institutum idem sectantur: medius autem paries a solo surgit tribus quatuorque cubitis in modum loriculæ. Superiora usque ad tectum patent, unde gemina provenit commoditas, & quod pudori feminei sexus consulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile absque ullis obstaculis, quæ vocem ejus intercipiant*. Hæc Philo de Essæis refert, quos fuisse primos Christianos sub S. Marco in Ecclesia Alexandrina docet Hieronymus in lib. *de Script. Ecclesiasticis in Marco*, & *in Philone* sequutus Eusebium *lib.* 2. *hist. c.* 15. Idem asserit Epiphanius *hær.* 29. qui etiam Essæos ait esse dictos, quasi *Jessæos a Jesu*; idemque significat Cassiodorus *lib.* 2. *c.* 5. *de Inst.*

Sed

Sed nobis non est hic immorandum, quia esset digredi extra institutum. Legat qui vult Baronium anno Christi 64., qui horum Patrum testimonia allatis etiam rationibus confirmat. Sed redeuntes ad id, quod dicebamus; Clemens *lib. 2. Constit. Ap. c. 5. & 7. sit autem*, inquit, *horum cura* (idest Diaconorum) *ut laici in altera parte, ordine, decore, & quiete sedeant: item ut sedeant mulieres separatim, & cum silentio*, ne ut ait Cyrillus Hierosolymitanus *in Præf. ad catech. studium salutis fit perditionis occasio*. S. Augustinus *de Civ. Dei lib. 2. c. 27. Populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semper vivere mereantur: ubi sancta scriptura, justitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt, audiant ad præmium, & qui non faciunt audiant ad judicium*. S. Chrysostomus *hom. 74. in Matth. oportet quidem interiore pariete a mulieribus disseparari* (idest viros); *verum quoniam non vultis, necessarium esse Patres nostri putaverunt, saltem his ligneis parietibus vos discrepari: audivi autem ego a senioribus, non fuisse hos parietes ab initio*. *Non fuisse*, ait, *parietes ab initio*, primis statim annis nascentis Ecclesię: Cęterum ex ipsis Apostolorum temporibus cœpisse hanc separationem inter viros ac mulieres ex citato Clementis loco potest intelligi. Cum autem improbitas paullatim cresceret, etiam septa plerisque locis adjecta conjici potest. Apud Græcos vel certe Constantinopoli in sublimi tabulatu feminæ consistebant, cui etiam velum S. Chrysostomus ut in ejus vita Metaphrastes narrat, obtendi jussit, cum unus ministrorum sacrorum aliquando oculum in despectante femina conjecisset. Hujus tabulati & Nazianzenus in somnio meminit, quod infra ponetur. Ostendit prçter hæc idoneis testimoniis Joannes Baptista Durantius *de rit. Eccl. l. 1. c. 18.* mares in australi parte, feminas in boreali constitisse. Item Virgines a cæteris mulieribus in Ecclesia fuisse discretas ostendit & S. Ambrosius *c. 6. lib. ad Virg. sap. Nunc*, inquit, *vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti*. Totus vero populus separatus erat a clero: nam templa olim duas præcipue habebant partes, quarum altera gradibus sublimior, Clero; altera humilior populo erat destinata. Et quidem eæ partes apud Græcos etiam cancellis dirimebantur, quos prçclare Nazianzenus in Carmine ad Episcopos, significare ait duos mundos, alterum stabilem, alterum fluentem, homines ac divos. *Hos quoque*, inquit, *qui mundos dirimunt, quorum effluit alter; alter at usque viget, stabilisque in sæcula durat; divosque atque homines discludunt limite certo Cancellos &c.*

Jam vero an auditores stantes concioni adessent, an sedentes, colligi ex dictis potest: sed est distinctius explicandum. Populum in Africa stantem audisse sæpe Augustinus ostendit. *Tract. in Joh. 112. initio* ait: *Non his sermonibus, sed in aliis laboriosis litteris quærat, nec stando & audiendo, sed potius sedendo, & legendo condiscat*, & *hom. 26. l. 50. homiliarum* ubi fecisset potestatem sedendi quibusdam infirmioribus, & feminæ aliæ non infirmæ eam licentiam sibi sumerent, & prosternerent sese, & garrirent, rogat ut saltem sedeant, & taceant. Verum alius in aliis Ecclesiis mos erat. Idem Augustinus *de Catec. rud. c. 13.* cum dixisset, occurrendum tædio catechumeni oblata ei sessione, subdit: *quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat, longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum Antistites sedentes loquuntur, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quispiam infirmior stando lassatus a saluberrima attentione avertatur*, aut *etiam cogatur abscedere*. Addamus hic laude, ac imitatione dignum Magni Constantini exemplum, qui ipsummet Eusebium, qui hæc scripsit *lib. 4. de vita Constantini c. 33.*, auditurus in Basilica, rogatus, ut in præparato consideret solio, recusavit: cumque jam multum temporis fluxisset, & finem facere Eusebius vellet ne nimium Imperator defatigaretur, ille restitit, & ad sermonem absolvendum hortatus est. Cum vero Eusebius rursus flagitaret ut sederet, subtristi, & austero vultu respondit, *nefas esse institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere, sibi vero esse hoc imprimis uti-*

utile, cum pium sit de divinis rebus differentes erectos audire. Præterea illud & hic adjiciamus, valde olim viguisse in populo plaudendi morem magna ex parte reprehendendum, de quo fuse, & optime Chrysostomus *ad popul. Antioch. hom.* 38. & alibi vehementer instat, ut prava illa consuetudo tollatur. Sic *hom.* 28.: *Laudastis dicta: sed plausibus mihi non est opus, neque laudantium vocibus, & tumultu: unum dumtaxat volo, ut cum quiete, & intelligentia audientes, quæ dicuntur faciatis: hoc mihi pro plausu, hoc mihi pro laudatione. Si vero dicta quidem commendes, quæ vero laudas non exequaris, major quidem pœna, major autem accusatio, & nobis dedecus, & derisio. Nec enim theatro paria sunt præsentia, nec tragædias spectantes, nec sedetis ut dumtaxat applaudatis. Hic est spiritalis schola, præterea & quod elaboratur unum est, ut dicta servetis, & per opera obedientiam exhibeatis*. Præclare *hom.* 3. *di incompr. Dei Nat.* cum magno plausu admonitionem populus excepisset: *Plausum illum desidero*, inquit, *quem non dicta, sed facta conficiant*. Eamdem significavit immodicam plaudendi consuetudinem Nazianzenus cum interrogante S. Hieronymo, ut ipse refert Hieronymus *ad Nepot. de Vita Cleric.* quid sibi vellet in Luca sabbatum secundo primum? eleganter lusit; *docebo te*, inquiens, *super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris invitus, scire quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis*. Quibus verbis magnus ille Theologus significavit plausus fieri solitos a populo etiam ad ea, quæ non intelligeret. Quod evenit S. Augustino, cum ut legitur *ser.* 47. *de divers.* ante solutam quæstionem populus acclamavit. Quare ipse subjecit; *quid enim dixi? quid laudastis? Ecce quæstio est, & tamen jam laudatis: & serm.* 81. de malis Christianis: *neque miremini*, inquit, *multitudinem malorum Christianorum, qui Ecclesiam implent, qui ad altare communicant, qui Episcopum, vel Presbyterum de bonis moribus disputantem magnis vocibus laudant*. In verba tamen *Psal.* 147. *qui posuit fines tuos pacem*, cum populus acclamasset, subjecit potius laudans, *quomodo exaltatis omnes? nihil dixeram, nihil exposueram, versum pronunciavi & exclamastis?*

De tempore

XI. Tempus quo sermones habebantur ad populum, inde usque a temporibus apostolicis cœpit esse Dominicus dies, qui successit Christianis loco Sabbati Judæorum, & colligitur ex *Act.* 20. ubi dicitur, *una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat profecturus in crastinum:* quo loco *una sabbati*, ut apud Matth. *prima sabbati*, est dies prima post sabbatum, idest Dominica. Clemens in *Conſt. Apoſt. c.* 59. *die Dominico, qui est dies resurrectionis, studiosius templum Domini adite, ut Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Christum, quem ad nos misit, & pro nobis mori permisit, & a mortuis excitavit. Quid enim apud Dominum excusare poterit*, qui eo die ad audiendum verbum *Dei salutare non convenit?* Justinus 2ª: *ad Anton. apol. ad finem. Die qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis, vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur quamdiu hora patitur: deinde ubi is qui legit destitit, is qui præest admonet, & hortatur, ut ea quæ lecta sunt, bona imitemur. Tum surgimus omnes, & comprecamur*. S. Augustinus *Conf. lib.* 6. *c.* 3. se ipsum narrat solitum Mediolani omni die Dominico audire S. Ambrosium verbum veritatis recte tractantem. Hinc præclara illa Chrysostomi admonitio *hom.* 5. *in Matt. initio*; ut *totus dies ponatur in recolendis auditis*. Cum enim reprehendisset auditores, quod conceptam in sermone audiendo devotionem statim digressi perderent, & saltem imitandam dixisset curam hominum in custodienda pecunia, subdit, *paucos enim plerumque nummos cum aliquis accipit, & sollicite reponit in sacculo, & diligenter obsignat sigillo. Nos vero postquam longe auro, gemmisque pretiosiora suscepimus eloquia, & inæstimabiles spiritalium opes bonorum, neque ea in thesauro animæ recondimus continenda, sed passim atque negligenter mentes nostras effluere permittimus*. Et post pauca: *ne igitur ista contingant, legem hanc nobis statuamus immobilem*,

bilem, nec nobis tantum, sed] coniugibus etiam, liberisque nostris, ut unum hunc totius hebdomadæ diem, quo ad audiendum concurritur, totum in eorum, quæ dicuntur, meditatione ponamus. Habebantur enim fere sermones, dum fiebat sacrificium intra *missarum solemnia* post Evangelium solemni ritu a Diacono decantatum. Vide apud Clementem *lib.* 2. *c.* 57. S. Augustinus ex lecto Evangelio, & aliis lectionibus recitatis sæpe exorditur. Ita fecit præcipue *ser.* 7. *de Verb. Apost.* & *ser.* 10. & *ser.* 237. *de temp.* Aliquando & ante Evangelium tractatus fiebat. Nam *ser.* 90. *de temp.* ait: *in lectione, quæ nobis ad missas legenda est*. Ea sine dubio habebatur interdum exhortatio extra missæ tempus. Non solum autem Dominicis, sed & diebus festis Sanctorum, præcipue Martyrum, fuisse morem concionandi, satis declarant ipsi, qui exstant Sanctorum Patrum sermones. Quibus diebus etiam solebat ipsorum Martyrum historia recitari, ut passim videre est in sermonibus S. Augustini de Sanctis. Immo hic accuratissimus Pastor etiam quæ recens accidissent miracula digna cognitu recitari jubebat. Vide *ser.* 31. *de divers.* & 39. ubi sunt hæc verba: *Ego quia modo memini de libellis miraculorum Martyris, quæ in conspectu vestro leguntur*. Alexandrinis fuisse morem proprium narrat Nicephorus *l.* 12. *c.* 34. ut quarta hebdomadis die, & ea quæ *Parasceve* dicitur, idest feria sexta, scripturas legerent, & Doctores eas exponerent. In Cypro autem, & Cæsarea Cappadocum eas in Sabbato, & Dominico die Vesperi post lucernarum accensionem Episcopi, & Presbyteri interpretarentur. Nec Dominicis solum, festisque diebus, sed sæpe quotidie, sermones habebantur a diligentibus, & doctis Pastoribus. Multæ in S. Chrysostomo habitæ leguntur homiliæ continuis deinceps diebus, & *serm.* 1. *de provid.* vel *de fato ad finem. Ideo*, inquit, *in auditorium hoc quotidie convenimus*. Multæ sunt tales in S. Augustino, ut apparet ex ipsa mentione *hesterni sermonis*, vel *crastini*. *Tract.* 8. *in Joan. in fine: sunt forte hodie multi, qui propter solemnitatem diei, non propter audiendum sermonem venerunt, crastino qui venerint, venient audituri, ut nec fraudemus studiosos, nec gravemus fastidiosos*. In procemio *Tract. in Epist. D. Joannis*. *Meminit sanctitas vestra, Evangelium S. Joannis ex ordine lectionum, nos tractare solere; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quem susceperamus, necessitate paullulum intermissus est non omissus. Cum autem cogitarem quid secundum hilaritatem præsentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod possit in his septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola D. Joannis*, & tractatu quinto in eam epistolam, initio: *Intercesserunt autem ut intermitteremus textum hujus epistolæ, quædam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, & ipsa tractari; nunc ergo ad prætermissum ordinem redeamus*. Hinc intelligimus tractatus in Evangelium, & in Epistolam S. Joannis habitos perpetuis fere diebus. Vide a *Tract.* 15. *ad* 33. Idemque in multis Psalmorum enarrationibus animadvertere licet. Verum Maximus hic doctor velut perennis divinæ sapientiæ fluvius bis eodem die aliquando etiam populum alloquebatur. Secundam concionem in *Psal.* 88. ita exorditur: *Ad reliqua psalmi, de quo in matutino loquuti sumus, animum intendite*: & priorem sic terminarat; *quod restat, si placet, servemus, quia longus est psalmus, & adhuc vobiscum aliquid in nomine Christi sumus acturi. Reficite vires, non dico animi vestri, nam video quod animo infatigabiles estis; reficimini, & refecti ad cibos redite*. Significat & S. Basilius bis eodem die aliquando se ad populum fecisse sermonem, cum extrema homilia 7. in exameron sic ait: *utinam & inter edendum hæc omnia vobis enarrationes in cœna fiant quæ vobis hodierno die partim exoriente, partim occidente sole oratio transegit ac obtulit*, & in fine sequentis homiliæ octavæ, *hic finis sit hujusce nostri convivii matutini, ne satietas exuperans vos ad vespertinas sumendas epulas voluptatesque capiendas hebetiores efficiat*; idemque significat principio, & fine homiliæ sequentis, sed in extrema octava significat, eam, & sequentem habitam jejunii die. Hanc sermonum frequen-

tiam

tiam habebant præcipue in tractatibus, cum librum aliquem e Sacra Scriptura interpretandum ordine ad populum suscipiebant, idque hoc ordine fiebat. Prius recitabat lector eam partem Sacræ Scripturæ, quam tractator erat expositurus. S. Augustinus in primam partem *Psalmi* 34. *hucusque* inquit *psalmus lectus est hodie, hucusque tractandus est*. Itaque ut commodum erat ad unius sermonis explicationem, ita dividebat lectiones, quæ scilicet voluntariæ erant; nam quæ jam certis temporibus fixæ, ac statæ legebantur, de iis nihil immutabant. Ferebat autem vel ipsemet suum codicem tractator, vel accipiebat a lectore. Augustinus *ser.* 50. *de diversis* pauca præfatus, *Ipsa*, inquit, *de libro Act. Apost. nobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur, vos intentissimos esse volo, ut post ejus recitationem quod institui loquar*. Et subditur: *Lazarus Diaconus legit*, & mox: *cumque Lazarus Diaconus recitasset, & Episcopo Codicem tradidisset, Augustinus Episcopus dixit, etiam ego legere volo: plus enim me delectat hujus verbi esse lectorem, quam verbi mei disputatorem*. Fuisse autem ordinarium morem, ut codicem tractator in manibus haberet, apparet tractatu 15. in Joann. *Hoc lectum est, & hanc lectionem tractandam in manibus gestamus*. Tract. 35. in fine: *depositurus sum & ego codicem istum*. Tractatu sequenti: *& tamen etiam nos humi repentes audemus tractare ista* &c., *quare ista dixi? forte enim post hæc verba quisquam mihi juste dicat, pone ergo Codicem, quod excedit mensuram tuam, quid sumis in manum tuam*. Tract. 40. de Evangelio S. Joannis, *quod gestare nos videtis in manibus, jam multa audivit caritas vestra*. Apparet autem ipsummet, prout explicabat, solitum particulatim legere ex multis locis. Tract. 45. in Joan: *Legamus ergo quia venturus est*. *Serm.* 45. de divers. *Hoc quod gestamus in manibus, scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam, & laudandam mulierem quandam, de qua paulo ante cum legeretur, audistis: de hac secundum lectionis tenorem, quam me portare conspicitis, pauca pro tempore, quæ Dominus suggesserit, dicam*. In Psalm. 127. *quamquam eum cum cantaretur, audivimus, quia brevis est, curro eum, non tractans, sed legens*. In psal. 21. *quid si mihi aliquis dicat, O stulte quid interrogas? Codicem portas; legamus igitur quomodo dictum est*. In psal. 79. *tamquam eruditi in Schola Christi currere debemus, quæ plana sunt, ut si forte obscura exigant officium interpretandi, ea, quæ plana sunt, legendi officium a me debeant efflagitare*. S. Chrysostomus prima quam habuit homilia aliquot etiam versus e psalmo 148. legisse videtur, cum aliud tamen tractaret, ait enim: *Cæterum ut vobis quod dico fiat evidentius, ipsum psalmum ab initio vobis prælegemus*. Et S. Augustinus ipsum S. Cypriani volumen pro Concione legit. Ser. 14. *de verb. Apost. Rogo*, inquit *vos, ut paululum acquiescatis, lego tantum. Sanctus Cyprianus est quem in manibus sumpsi, antiquus Episcopus sedis hujus*. Quæ auctorum ipsorum prolatio nescio quod majus fidei, & auctoritatis pondus suo loco habet, & possit aliquando a nostris fieri, quamvis non sit usus.[1]

De Loco

XII. Locus Sacrarum Concionum semper fuit is, qui judicaretur ad frequentiam aptus, & hoc significat ut sæpe est in Prophetis, & Psalmis, Dei nomen laudandum in portis. S. Joannes Baptista erat prædicans in deserto, cum multitudo ad eum conflueret. Christus Dominus in monte, in littore, & in domibus privatis docuit: idque magna cura faciendum, & conquirendos etiam auditores ostendit parabola illa Matth. XXII. cum Dominus nuptiarum misit servos *in exitus viarum*; & ut addit Lucas, *in vicos & plateas Civitatis, in vias, & sepes*, jubens ut compellerent intrare, *ut impleatur domus*. Et huc videtur spectare quod dicitur in Proverbiorum primo: *sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat*,

1 Viennæ saltem hodieque is usus viget in concionibus polemicis, quæ habentur ad S. Steph.

mitat, in foribus portarum urbis profert verba sua. Eam sedulitatem sequuti Apostoli, ubicumque se ferebat occasio, divina spargebant semina: eumque imitati morem Apostolici viri S. Vincentius Ferrerius, Petrus Martyr, Antonius de Padua, Bernardinus Senensis, & alii, magnas attulere promiscuæ multitudini utilitates: & sane egregium est opus caritatis hominibus in foro desidentibus, nec alioqui Ecclesiam adituris, divina monita intonare. S. Nicolaus Tolentinas cum audiret in platea concionantem ita commotus est, ut ex accepta semente tam uberes deinde fruges sanctitatis ediderit. Præterea etiam Summi Pontifices eam in publicis foris concionandi consuetudinem comprobantes multis Religiosorum familiis privilegia propriis decretis concessere ut apparet Clementina *dudum de Sepult.* & Extravaganti *inter cunctos de privil.* & alibi. Hæc omnia quamquam vera sunt, tamen proprius locus semper fuit vel templum ac Synagoga apud Hebræos, vel oratoria, & Ecclesiæ apud Christianos. Ideo Dominus Joan. XVIII. *Ego semper docui*, inquit, *in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt*. Et Act. XIII. de Paulo, & Barnaba: *prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum*. Ubi vero Christiani suas habere cœperunt Ecclesias, apertius est, quam ut debeat testimoniis comprobari, in iis solitos legere sacros libros, interpretari, & alios ad recte mores instituendos habere sermones. Eusebius *l.* 2. *hist.* c. 17. ex Philone l. *de vita sup.* refert Christianos in omnibus locis constituisse sacras ædes ad celebranda mysteria, & sacros libros legendos. Justinus *Apol. II.* docet Christianos convenire solitos ad cœtum ad verbum Dei audiendum, & Eucharistiæ administrationem. Clemens *lib. X. Recognit.* ait Petrum convertisse domum Theophili Antiochiæ in Ecclesiam, & ibi cathedram constituisse ad docendum. Quin & ipsa *Ecclesiæ* vox primo significat ipsum conventum, & congregationem, sicut latine *concio* ipsum cœtum auditorum; deinde etiam locum ipsum, quo convenimus, quod in hunc finem institutus sit locus, ut eo se congreget populus ad divinum cultum non ut Calvinistæ mentiuntur, ad solum Dei verbum audiendum. Illud difficilius est, ex quo loco Ecclesiæ sermo haberetur. Certum est fuisse locum aliquem editiorem unde conspici prædicator, & audiri commodius posset. Hinc S. Augustinus *ser.* 122. *de diversis*, *quamvis*, ait, propter commoditatem depromendæ *vocis altiore loco stare videamur, tamen in ipso altiore loco, vos judicatis, & nos judicamur: Doctores dicimur, sed in multis doctorem quærimus*. Dubitari autem potest idem ne locus Episcopo, & sedendi in templo, & concionandi esset. Videtur significare diversum S. Ambrosius *Ep.* 33. in qua referens habitum a se sermonem de lectione Job: *Unum Job*, inquit, *miraturus ascenderam. Omnes Job, quos miraretur inveni*. Dum enim *miraturus Job ascendit*, procul dubio locum petit, unde de Job loquatur. At mihi quidem nequaquam simile vero fit si loquamur de ordinario more, ut e sua sella digressus locum alium dicturus conscenderet. Et S. Augustinus significat eumdem fuisse locum dum in *Psal.* 126. hæc scribit: *Et Episcopi hæc faciunt* (idest custodiunt) *nam ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tamquam custodiant populum. Nam & græce quod dicitur Episcopus, hoc latine superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic Episcopis altior locus factus est, & de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus nostris simus*. Et mox: *tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno magistro in hac schola condiscipuli sumus*. En: ex eodem loquitur loco, qui paratus erat in Ecclesia Episcopo ubi etiam ad divina consisteret. S. Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus intra cancellos concionabatur, ut ex ipsomet liquet, ubi de multitudine auditorum ad cancellos se protendente, ut orationem audiret meminit, præsertim in *oratione ad centum quinquaginta Episcopos*, & alias idem fecisse credendum est. Sed D. Chrysostomus ob auditorum frequentiam suggestum in medio Ecclesiæ collocavit. Divus Augustinus *exedram* vocat locum illum celsiorem, ubi & Episcopo erat sedes constituta, ac sedilia Presbyteris locata, quibus solis coram Episcopo sede-

sedere licebat : *l. II. de Civit. Dei c. VIII. ad finem*, de fratre ac sorore miraculo S. Stephani sanatis loquens, *in gradibus*, inquit, *exedræ, in qua de superiore loco loquebar, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus*. Et alibi *Tract. 9. in epist. Johan.* disputans de anima, quæ casto Dei timore prædita sit; *putas, est*, inquit, *in hoc populo? putas est in ista Exedra? putas est in hac terra?* Ubi *populus*, & *exedræ* opponuntur, & idem est ac si diceretur, num in laicis, num in Ecclesiasticis hominibus reperitur? Hic locus hodie vulgo *Chorus* vocatur. Et eumdem per *Absidam* idem Augustinus significat *ser. 32. de diversis* ubi puellam curatam dicit reductam ad *Absidam*, *ubi prius steterat*; stetisse autem prius in *exedræ* gradibus citato *de Civ. Dei* loco dixerat. Et *Epist. 203. ad Maxim. Episc. Donatistam: In futuro Christi judicio non* Absidæ *gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter judicare*. Quo loco cum honores, qui Episcopo habebantur, enumeret, intelligimus etiam velari, idest honorifico tegi stragulo solitas eorum cathedras, quæ in *exedra*, & *abside* erant. Hic enim *Absis* significat ultimam illam templi partem, in quam templi aula desinebat gradibus sublatam, & in conchæ modum sinuatam, unde & *Concham* S. Paullinus *ep. ad Severum XII.* appellet, quam & describens ait, *Absidem solo, & parietibus marmoratam camera musivo illusa clarificat*. Hanc hodie vulgo Itali *tribunam* vocamus, ex eo nisi fallor, quod in medio illo sinu junctum parieti tribunal erat, idest Episcopi cathedra, ut etiamnum in vetustis Basilicis cernitur: ex qua tamquam pro tribunali Evangelium prædicans jura divina promebat. Et hoc est quod Prudentius in fine Carminis de S. Hippolyto, dum ejus Basilicam describit, canit. *Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal, tollitur Antistes, prædicat unde Deum*. Idem opinor *Ep. ad Aleth.* per *Apostolicum solium* S. Paullinus intelligit, dum loquens de S. Petri Basilica: *vel qua sub alto sui culminis*, inquit, *mediis ampla laquearibus longum patet, & apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, & corda lætificat*. Nec vero *Absida*, seu *Absis*, vel *Apsis*, ut S. quoque Paullinus *ep. XI. ad Severum* dubitat, idem est quod *Exedra* omnino, sed pro eodem interdum accipitur, quod fere ad *Apsidem* erat. His de sella Episcopi propositis haud obscura minus est quæstio, unde Presbyterorum conciones haberentur? Pulpitum Cyprianus *ep. 33. & 34. ex editione Pamelii* atque per honorificam interpretationem *Ecclesiæ tribunal* appellat suggestum, in quo per Diaconum elata voce Evangelium in Missæ Sacrificio recitabatur, quem locum Ordo Romanus, & passim alii Rituales auctores *Ambonem* appellant ab *ambiendo*, quod intrantem *ambiat*, vel quod ipse utrinque gradibus ambiatur, deducentes, cum verius sit nomen græcum, & quemlibet editum locum significet: quare & *suggestum cantorum* in Laodiceno Concilio *Can. XV. Ambo* vocatur: & eodem nomine suggestum, unde S. Chrysostomus Constantinopoli habere sermones solebat, appellatur a Socrate *l. 6. c.* 5. Cæterum, an ex eodem loco, unde a Diacono recitabatur Evangelium a presbyteris sermones haberentur, non valde constat. Nam Chrysostomus *hom. 16. ad pop. Ant.* videtur significare, presbyteros tantum consurgere solitos. Nam cum ipse tum solum presbyter esset, *nisi multam*, inquit, *a Patribus necessitatem sustinuissem neque surrexissem, neque loquutus fuissem*. Et S. Augustinus *hom. 28. ex 50.* conjungens lectorem, & tractatorem, *lector ascendit*, inquit, *sed & ipse* (idest Christus) *non silet. Tractator loquitur, si vera loquitur Christus loquitur*. Quæ diversa loquendi forma videtur significare, non item, ut lector legendi causa ascendebat, ascendendum fuisse Episcopo, aut Presbytero dicturis, sed e suis locis consuetos assurgere, & inde loqui. Certe ex eodem loco, unde legebatur Evangelium, item explicatum fuisse nihil adhuc vidi, unde vel affirmare, vel conjicere possim. Reliquum est ut totam hanc prolusionem carmen S. Gregorii Nazianzeni concludat, quo somnium describens suum pleraque a nobis dictorum complectitur. *Suaviter*, inquit, *dormiebam, cum repente Anastasia se se mihi in somniis obtulit*. Subjicit insomnium his verbis. *Sublimi quidem*

dem throno, sed non elato aut superciliosо animo (neque enim me per somnium quidem superbiam unquam vel arrogantiam colui) insidere mibi videbar. Utrinque porro, inferioribus tamen subselliis presbyteri, hoc est gregis Christiani duces considebant. At vero Diaconi candidis vestibus ornati stabant, Angelici splendoris speciem præseferentes: plebs autem partim circum cancellos apum more fusa erat (certatim enim omnes incumbebant ut proximum quemque suggesto nostro locum obtinerent) partim ad me audiendum confluens vestibuli angustia premebatur. Auribus nimirum ac pedibus æqui festinans, partim ex foro, vicisque urbis ad sermones meos accurrebat; At vero sanctæ virgines una cum gravibus matronis e sublimi tecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant, nam hunc quoque mibi ludum nox fingebat. Distinctim autem plebs stabat sermonis nostri audiendi cupiditate flagrans. Alii humilem, facilemque exposcebant, ii nempe qui sursum tendere vel nolebant, vel certe nesciebant; alii contra volabile, ac excelsum dicendi genus flagitabant, hi nimirum quibus altissima quæque tam sacræ, quam profanæ sapientiæ dogmata investigare, ac perscrutari curæ erat. Mibi vero sola adoranda Trinitas triplici pulcritudine splendens, ex ore fluebat: idque & robusta voce, firmisque lateribus, & vebementi adversariorum dogmatum insectatione faciebam. Atque alii quidem sermonem nostrum miris laudibus efferebant, alii silentio atque admiratione defixi tenebantur, alii partim verbis, partim animo solo stridebant: alii denique velut fluctus quidam vento excitati pugnabant. Et addit: omnes ego orationis suavitate demulcebam. Hac ego voluptate perfruebar, cum subito mibi gallorum cantus somnum, simulque cum somno Anastasiam ex oculis excussit. Sed nos hic manum de tabula.

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De Ministrorum in Missa vestibus, & apparatu

DISSERTATIO XI.

Ex lib. I. de Liturgia Gallicana cap. VII.

I. AD Missæ tractationem pertinet sacrorum ministrorum habitus cultusque, ante sæculum 7. usitatus. Hi vestibus albis in re sacra utebantur, teste Gregorio de gloria Confessorum cap. 20. *erat autem Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus*, nempe in translatione reliquiarum ad dedicationem Oratorii S. Saturnini. In Concilii Narbonensis can. 12. decernitur, *ut nullus Presbyter aut Diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario, aut exuere se alba audeat*. Et apud Gregorium in Historiæ lib. 4. cap. 38. agitur de Archidiacono, qui *indutus alba, Episcopum (ut mos est) invitabat ad altare*. Nempe mos erat, ut cum Episcopus Missam celebraturus in Ecclesiam progrederetur, *Archidiaconus cum clero in albis venienti* occurreret, Diaconibus *thuribula gerentibus*, ut legitur apud Paulum Emeritensem in cap. 6. Confer Sulpicii Severi Dialogum 2. de S. Martino, cap. 1. Hac veste alba non utebantur extra rem sacram, secus atque Patriarchæ Orientis, quorum hic proprius habitus erat, ex vita Euthimii apud Eruditissimum Cotelerium, num. LXI. Albam seu lineam vestem potius quam casulam tunicæ nomine designare mihi videtur Hieronymus, cui Nepotianus Presbyter testamento reliquit *tunicam, qua utebatur in ministerio Christi*. Ac proinde non extra ipsum ministerium, Quo spectat Chrysostomi locus ex homilia 83. in Matthæum, ubi ministri tempore sacrorum *tunicam candidissimam* λευκὸν χιτωνίσκον ge-

gestasse perhibentur. De amictu (quem vocamus) rara (si tamen ulla) mentio apud auctores nostros ante Caroli M. ætatem. Cæterum nullis tecto aut velato capite sacra peragere licebat, propter Apostoli mandatum, quo viris universim nudo capite in Ecclesia orare præcipitur, & ne Christi Sacerdotes viderentur imitari profanos: apud quos *sacrificantium captiva capita velabantur*, ut loquitur Cyprianus initio libri de Lapsis. Certe id sacris ministris prohibetur in Synodo Romana sub Zacharia Pontifice cap. 13. Lege eruditi Cotelerii Notas in Constitutiones Apostolorum col. 155. Excipio Armenos, qui tecto capite sacra celebrant, testante Baronio ad annum 863. De orario Sacerdotum in modum crucis ante pectus componendo exstat decretum Concilii tertii, Bracarensis canone 4. Ad hæc Concilii Narbonensis canon 1. vetat, ne clerici purpureis vestibus induantur, nempe in usu vulgari.

II. Præter albam Gregorius *casulam* Nicetii Lugdunensis antistitis, & *capsam* memorat in libro de vitis Patrum cap. 8. Casula hactenus priscum nomen retinet. CAPSA *autem ita dilatata erat, ut solent in illis candidis fieri, quæ per Paschalia festa Sacerdotum humeris imponitur*. Diaconus, cui hanc Priscus Episcopus dederat, ea promiscue indutus absque religione procedens *deciso cucullo*, tegumen ex illo pedibus aptavit. Erat proinde *capsa* illud genus indumenti, quod modo *cappam* appellamus: cujus pars posterior ex humeris dependens pro cucullo quondam erat ad caput operiendum, qualis est cappa S. Audomari Episcopi, in S. Bertini monasterio hactenus asservata. *Casulam processoriam* vocat Cyprianus Episcopus Tolonensis in lib. 1. de vita Cæsarii Episcopi Arelatensis num. 23. qui hanc casulam, albamque Paschalem pauperi cuidam largitus est.

III. Sacram supellectilem veteres uno vocabulo *ministerium ecclesiæ* appellabant. Eximius est locus inter alios apud Gregorium nostrum in lib. 3. historiæ cap. 10. ubi de Childeberto Rege, qui ex Hispania rediens *inter reliquos thesauros* MINISTERIA *pretiosissima detulit*, nimirum *sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capsas, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata*. Idem in lib. 2. de gloria Martyrum cap. 7. ait Burgundiones in Brivatensem vicum irruisse, atque inde discessisse direpto ministerio sacrosancto: ex quo quatuor eorum per fugam lapsi, patenam & urceum, qui anax dicitur, in patriam detulerint: & patenam quidem divisisse in multas partes: urceum autem Regi Gondobado ab ipsis fuisse oblatum, ut idem auctor subdit in capite 8. Patena illa sine dubio capacissima erat similis ei, de qua scribit ipse Gregorius in lib. 1. item de gloria Martyrum cap. 85. qui locus quoniam magnam in vasa sacra reverentiam exhibet, hic ex integro referendus est. *Britannorum comes cum graviter a doloribus pedum affligeretur, & per medicos expendens substantiam suam nihil commodius habuisset, dixit ei quidam de suis: Si enim ab ecclesia tibi aliquod vas ministerii, quod in altari ponitur, deferatur, in quo pedes ablueres, poterit tibi hæc causa ferre medelam. Stulti & inertes*, ait piissimus Antistes, *non cognoscentes, quod sacrata Deo vasa non debent ad usus humanos aptari. At ille celeriter ad ecclesiam mittit, & patenam sacrosancti altaris de sacrario suscipit, ubique pedes abluit. Sed statim doloribus additis, ad plenum debilitatus, nusquam postea gressum facere potuit. Addit Gregorius similiter fecisse* quemdam Longobardorum Ducem. Adeo sacra omnia cedunt, cum de potentum salute agitur. Concilii tertii Bracarensis canon 2. severe animadvertit in quosdam Sacerdotes, qui vasa sacra in profanos usus assumebant.

IV. Longe probabilior fuit usus vasorum sacrorum cum Turonensis Episcopus, sibi populoque suo timens a furore Guntchramni Regis militum, *effracto uno de sacris ministeriis calice aureo, & in numismata redacto se populumque redemit*. Gregorius auctor in Historiæ lib. 7. cap. 24. Huc spectat factum Cæsarii Arelatensis Episcopi qui in redemptionem captivorum *expenso argento, quod Venerabilis Eonius antecessor suus ecclesiæ mensæ relinquerat; custodiens illud quod Dominus in arantino paropside tinxit panem non in argenteo vase, opus sanctum usque ad divini ministerii dispensationem, cum thuribulis, calicibus, patenisque pro eorumdem redemtione vendidit*

didit non parcens etiam columnarum *ex argento* ornamentis. Tum interpositis quibusdam ejusdem Pontificis sententiis gravissimis: *Non credo*, ait vir sanctus, *contrarium esse Deo, de* MINISTERIO *suo redemtionem dari, qui se ipsum pro hominis redemptione tradidit*. Cumque ejus factum alii culparent, probarentque vero alii; subdit Cyprianus Episcopus qui hæc refert in lib. 1. de Cæsarii vita num. 17. *Nonne* IN VITRO *Sanguinis Christi, & in ligno corpus pretiosissimum ejus pependit pro nobis & fulsit?* quæ sententia Hieronymi dictum in memoriam revocat ex epistola ad Rusticum, ubi de Exsuperio Tolosæ Episcopo, qui *omnem substantiam Christi visceribus erogavit* atque indubie vasa sacra, propter verba quæ sequuntur: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in* VITRO. Denique Concilium Remense sub annum DCXXVII. celebratum, canone 22. cavet ne Episcopus *ministeria sacra frangat pro qualicumque conditione, excepto si evenerit ardua necessitas pro redemtione captivorum.*

V. Præter hos alii etiam auctores *ministerii* nomine usi sunt ad sacram suppellectilem significandam. Nam, ut ne extra Galliam exempla petamus, occurrit Alcimi Aviti præclarum testimonium in epistola 6. ad Victorium Episcopum. *De* MINISTERIIS *hæreticorum, quæ illis sacra, nobis exsecrabilia judicantur, id est patenis paterisque, quia quid censeam perinde rescribere me jussisti validæ quidem observationis exemplum est, quod legitur in Eptatycho de thuribulis peccatorum*. Et infra *Reprebendat certe quispiam pro sui discretione quod sentio: Fateor de* MINISTERIIS *illis minime delectari, quæ superioris Galliæ partibus ad ecclesias Legis nostræ captiva venerunt: quæque nil voluntarium, nil innocens præferentia, si dolentibus rapiantur, offerentibus prodesse non poterunt... Cur de Thesauris suis lectissima quæque producens, haud omni impendio curat, ut in his quæ ad sanctum ministerium pertinebunt, non magis pretiositas possit placere, quam novitas?* Hæc etsi ad confirmandum id, quod in proposito erat, non est necessarium, erit tamen ad hoc probandum singulare, nempe vasis hæreticorum ablatis, & ecclesiæ oblatis Deum non delectari, quæ erat Aviti sententia, nisi *infusa fornacibus, & distinta per laminas*, pura efficiantur. Idem censet de eorum templis, ratus *rem insensibilem, quæ primum innovata polluitur*, nulla posse *sanctificatione purgari*: alia fuit mens Gregorii M. & ante eum Horati Episcopi Novariensis, qui templum idolorum in Ecclesiam convertit: in cujus dedicationem Ennodius Diaconus Ticinensis dictionem Honorato submisit, quæ dictio est secunda apud Ennodium.

VI. Verum ut ad propositum me referam, *ministerium* non solum vasa sacra, sed etiam alia, quæ in sacris usui erant, significat apud Gregorium in Historiæ lib. 1. cap. 27. ubi Clodovei milites *de quadam ecclesia urceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis* (quem S. Remigio Remorum Antistiti Rex ipse adhuc paganus restituit) leguntur abstulisse *cum reliquis ecclesiastici ministerii ornamentis*. Ejusmodi suppellectilem, quæ *ministerii* nomine censebatur, recenset Aredii abbatis Atanensis testamentum in hæc verba. *Quod unusquisque locus sanctus constitutus ibi habeat ministerium declaratum, rectum duximus inserendum, id est turres quatuor, coopertorios holosericos tres; calices argenteos quatuor*, ex quibus *duo ansati comparati solidis triginta, alius solidis sexdecim, tertius solidis quindecim, quartus solidis quadraginta quinque, duo ex ipsis auro sunt fabricati. Item coopertorium lineum, valentem solidis quatuor, pallas corporales quatuor majores* LV. *minores* V. *& tribuna valentia solidis* XII. *& alia cotidiana, quæ sunt ante altare, valentia solidis* V. *& multa alia pretiosa ornamenta*. Paullo post enumerantur *tribunalia duo, & valentia solidos quatuor, vela ad ostia tria, valentia solidos sex; turres, calices, pallæ & coopertoria*. Omnia satis perspicua sunt præter *turres, & tribuna* seu *tribunalia*. In turribus inclusi erant calices, qui in secretario reponebantur.

VII. Favet huic interpretationi Gregorius in lib. de gloria Martyrum cap. 36. *Tempus sacrificii advenit; acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium: ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera* &c. Itaque ex hoc loco patet, *ministe-*

ste-

sterium Dominici corporis, id est calicem & patenam, ejusmodi turre fuisse inclusum. Unde in prædicto testamento semper turres cum calicibus conjunguntur, & totidem turres numerantur, quot calices. An autem in illis turribus Eucharistia fuerit asservata, expendemus in capite sequenti. *Tribunalium* obscurior est significatus. Hæc vox passim ambonem ac pulpitum significat: sed his locis sedilia ministrorum forsan intelligenda sunt, aut certe pulpita mobilia, seu quævis alia suppellex mobilis ad ornatum altaris. Nam hic mobilia dumtaxat ornamenta recensentur. Cæterum non solum argentei, & aurei calices erant, ex dictis, sed etiam chrystallini, qualis erat ille, de quo Gregorius in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 46. His omnibus addendum videtur flabellum, quo Diaconus muscas a sacris, & ab ipso Sacerdote olim abigebat, quo de instrumento legendus Uldaricus in lib. 2. Consuetudinum Cluniacensium cap. 29. & Hildeberti Episcopi Cenomannensis epist. 8. ad Anselmum. In usu erat a primis temporibus hoc instrumentum apud Græcos, quod variis testimoniis probat eruditissimus Cangius: quibus accedit locus ex vita Euthimii n. 78. ubi fit mentio ejusdem.

VIII. Antequam hoc caput finiam, observare convenit ex Gregorio nostrate, Sacerdotes in itinere constitutos, ut semper ad sacra facienda parati essent, aliquando gestasse calicem cum patena. Sic enim habet Gregorius in lib. de gloria Confessorum cap. 22. ubi de Maximo Abbate: *qui occulere quod erat cupiens, apud Insulam barbaram monasterii Lugdunensis peregrinari expetiit: manifestatus autem & ibi, ad patriam*, idest ad pagum Turonicum *redire disposuit. Denique dum Ararim fluvium transire cuperet, nave impleta demergitur, ac se ipse Sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro* MINISTERIUM QUOTIDIANUM *id est patenulam parvam cum calice*. Ubi vides, *ministerii* nomine aliquando solum calicem cum patena, ut mox turris occasione dicebam; aliquando alia insuper sacra significari ornamenta: ex quibus, quæ in hoc capite prætermisimus, in caput sequens reservamus. Postea statutum est, *ut Presbyteri sine sacro chrismate, & oleo benedicto, & sacra Eucharistia alicubi non proficiscantur*, nempe ut *ad officium suum statim inveniantur parati*. Quod statutum S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino tribuitur in Spicilegii tomo IX.

P. FRANCISCI ANTONII PHOEBEI SOCIETATIS JESU

De Ritu Liturgico circa Panem.

DISSERTATIO XII.

I. ENarratis iis, quæ spectant ad generalem disciplinam rerum Liturgicarum, seligo mihi, exercitationis gratia, unum aliquem peculiarem ritum explicandum, ut experimentum eruditissimis Auditoribus faciam studiorum nostrorum, quibus ad Ecclesiæ ministerium in hoc Pontificio convictu educamur. Placuit autem ea potissimum secernere, quæ pertinent ad materiam oblationis, quæ procul dubio præcipua sunt in toto ordine Liturgiæ; &, ut magis brevitati consultum sit, seligo mihi peculiarem ritum, qui est circa panem, breviter exponendum.

II. In hoc igitur, ne digrediar ad scholasticas, & polemicas quæstiones, suppono tanquam certissimum ex Evangelico textu, materiam remotam consecrationis Corporis Christi, panem esse debere, eumdemque dumtaxat triticeum, ut semper fuit communis Ecclesiæ sensus, etiam ante tempora Eugenii Quarti, & postea definitum ab eodem Eugenio in Concilio Florentino. Cum autem panis triticeus vere sit, & dicatur tum azimus, tum fermentatus, suppono etiam, utrumque panem sufficientem esse ad consecrationis validitatem, ut docet Catholica Fides ex definitione

tione ejusdem *Eugenii in Conc. Florent. Sess. ult.* in litteris unionis, contra Græcos nonnullos, qui contrarium docuerant a temporibus Leonis IX. Quod igitur panis azimus potius, quam fermentatus, aut e converso ad Sacrificium apponatur, res est ad ritum pertinens, in eoque est discrepantia inter Latinam, & Græcam Ecclesiam. Circa hanc rituum discrepantiam duo potissimum in examen venire possunt. Primum est, uter mos convenientior sit. Secundum, an utraque Ecclesia morem istum suum semper servaverit a primæva sui nativitate, quod potissimum inquiritur de Ecclesia Latina, utrum scilicet ab exordio susceptæ Religionis, & deinceps fuerit semper penes ipsam usus azimi panis; an potius primis aliquot Sæculis adhibuerit fermentatum?

III. Quod ad primum attinet, responsio facilis est, usum azimi panis esse decentiorem. Id quod, præter majorem repræsentationem Mysterii habitam per species panis azimi, quibus denotatur puritas, & sanctitas Corporis Christi, & integritas etiam, qua ornari debent accedentes ad Sacramentum, ut recte notavit *Anselmus Opusculo de fermentato, & azimo* post medium; efficacissime comprobatur exemplo Christi: compertissimum enim nobis est, Christum Dominum in azimis consecrasse, quando primo instituit hoc Mysterium, quod factum est celebrata cœna legali; postquam ex statuto Legis Exodi 12. nefas erat reperiri in domibus Judæorum panem fermentatum, cujus legis prætermittendæ nulla fuit Christo occasio, qui cæteroquin non venerat Legem solvere, sed adimplere, ut eleganter explicat *Gennadius Scholarius pro defensione Concilii Florent. cap. 2.*

IV. Ad hujus argumenti vim declinandam plura Græci commenti sunt, ut interim omittam pejora hæreticorum inventa, qui ausi sunt negare Christum Dominum pridie mortis suæ legalem cœnam cum Discipulis celebrasse, Agnumque paschalem ritu judaico comedisse, quamvis res sit aperta apud Evangelistas, Christum misisse Discipulos, ut præpararent Pascha, illudque cum eis postea comedisse. Commenta autem Græcorum sunt, Christum Dominum uno die anticipasse legitimum tempus cœnæ legalis, ac proinde, cum reliqui Judæi essent Agnum immolaturi, & cœnaturi luna decimaquarta ad Vesperam, Christum decimatertia Luna ad Vesperam Pascha cœnasse, ac proinde mortuum esse durante Luna decimaquarta; antequam celebraretur cœna legalis a reliquis Judæis. Quod si ita factum est, inquiunt, quamvis Christus cum Discipulis cœnam legalem in azimis celebraverit, attamen post illam redivit ad fermentatum, cujus prohibitio pro communi usu eo die nondum incœperat, ac proinde consecravit in fermentato. Huic opinioni paulo dissimilis est alia quorumdam latinorum sententia, Christum Pascha comedisse legitima die, hoc est Luna decimaquarta ad Vesperam, & mortuum fuisse Luna decimaquinta, attamen reliquos Judæos eo anno distulisse cœnam legalem ad Vesperam Lunæ decimæquintæ, & rejecisse festum Azimorum in Lunam decimasextam, cujus translationis originem referunt in Constitutionem quamdam factam a Judæis in secunda Templi instauratione, qua dicunt cautum fuisse, ne unquam primus dies Azimorum, qui festivus erat, in feria sexta observaretur, ne cogerentur Judæi duos continue dies, videlicet ipsam feriam sextam primam diem Azimorum, & Sabbatum sequens, tanquam festos observare. Quod si ita tunc temporis servatum est, poterat eadem ratione Christus celebrata cœna legali ad Vesperam Lunæ decimæquartæ, redire ad fermentatum, eo quod pro Populo Judæorum nondum incœpissent dies azimorum.

V. Sed, ut rem cæteroquin amplissimam, & multa dissertatione dignam paucis perstringamus, utraque hæc sententia communi calculo rejicitur a Theologis, cum quibus asserimus etiam nos eadem prorsus nocte Christum, & Judæos cœnasse Paschalem Agnum, & Azimorum dies incœpisse. Ducimur ad hoc asserendum ex ipso contextu narrationis Evangelicæ, quæ extat apud *Matthæum 26.*, *Marcum 14.*, *Lucam 22.*, ubi dicuntur missi fuisse Discipuli a Christo, ut pararent ei Pascha primo die Azimorum, quando Pascha immolabant, vel (ut Lucas ait) *In quo necesse erat occidi Pascha*, iisdemque Discipulis jussa Domini exequentibus, dicitur Christus eadem die ad Vesperas cum Discipulis Pascha cœnasse; verba enim illa; quan-

quando Pascha immolabant, & *in quo necesse erat occidi Pascha*, videntur aperte significare communem ea die Judæorum observantiam immolationis Paschalis, & commune initium azimorum. Quod igitur afferebatur de consuetudine Judæorum transferendi festum Azimorum ad diem proxime sequentem, si quando in feriam sextam incideret, apocryphum, & improbabile est; unde Josephus in libris Antiquitatum, ubi loquitur de Ritu Paschali a lege præscripto, & Philo temporibus Christi vicinus, ejus translationis nullibi meminerunt, ac solum afferuntur quidam Rabbini, qui ante sexcentos circiter tantum annos scripserunt, & nullius sunt authoritatis. Quæ cum ita sint, aperta consecutione deducitur, Christum Dominum in Azimis consecrasse, cum id perfecerit post Cœnam Paschalem, quando in domibus Judæorum, nullibi reperiri fas erat fermentatum panem.

VI. Ex hoc tam illustri facto Christi sumpsit Ecclesia Latina, & ab initio semper constantissime retinuit Ritum a Petro traditum usus azimi, quod est juxta communem Scholasticorum mentem, & eruditissimorum etiam Historicorum cum Baronio, ad Annum 313. contra *Jacobum Sirmondum in disquisitione de azimo*, & *Cardinalem Bona Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 23.* quorum primus censuit primis, octo ad minimum Sæculis in Romano Patriarchatu viguisse usum fermentati, & azima fuisse recepta circa tempora Leonis IX. seu tempore, quod intercessit inter Photium, & Michaelem Cerularium; alius autem Sirmondi sententiam aliquantulum temperans opinatus est, primis iisdem sæculis fuisse promiscuum usum fermentati, & azimi panis, nec fuisse receptum azimum generali lege apud Latinos, nisi post initium decimi sæculi. Quod Scriptoribus istis cæteroquin eruditissimis non acquiescamus, non ex eo provenit, quod præoccupatis præjudicio mentibus ad hanc controversiam accesserimus, ex præsenti rerum statu totam antiquitatem æstimantes, ut videtur Scholasticis tribuere idem Eminentissimus Scriptor, sed quia pro communi, quam sequimur, sententia validissima argumenta pugnant, nullum autem ejusmodi sit pro sententia Neotericorum istorum. Et, ut inde exordiar, unde simul hoc utrumque conficitur, mirum est, quod Scriptores isti Ecclesiastica eruditione tam insigniter exculti, generalem usum azimorum in Ecclesia Romana admiserint dumtaxat circa tempora Leonis IX. cum idem *Leo in Epist. 1. ad Michaelem Constantinopolitanum Antistitem cap. 5. & 10. & in Epist. 6.* quæ extant in *Tomo 9. Conciliorum*, disertissimis verbis profiteatur, & tanquam notissimum supponat, usum Azimorum semper viguisse in Apostolica, & Latina Ecclesia per mille, & viginti ferme annos, quot videlicet interfluxerant ad sua usque tempora a Passione Salvatoris, objurgans eundem Michaelem, quod, post tot Sanctos, & Orthodoxos Patres, qui toto eo tempore floruerunt, ausus fuerit primus Latinorum Ecclesiam de usu Azimorum accusare, & Romanam Ecclesiam docere, quomodo recolenda sit memoria Passionis Christi, quasi non esset ipsa Romana Ecclesia sufficienter informata institutionibus Petri. Et infra ejusdem Romanæ Ecclesiæ decora recensens, numerat inter reliqua innumerabilem utriusque sexus, & diversæ ætatis Martyrum exercitum (ut ibidem loquitur idem Sanctus Pontifex) nostris azimis saginatum. Quibus ultimis verbis manifeste indicat Leo factum, & usum, & non dumtaxat jus; unde præcluditur via responsioni, quam huic Epistolæ Leonis afferre conatus est idem Eminentissimus Scriptor in Epistola ad Mabillonium. Omitto ejusdem perpetui usus similia testimonia *Innocentii III. in lib. 4. de Missa cap. 4. Humberti Cardinalis in responsione ad Michaelem, & in responsione ad Nicetam, Ruperti lib. 2. de Divinis Officiis cap. 22.* aliorumque quamplurium.

VII. Neque quicquam officit, quod antiquiores Patres, tum qui extiterunt primis Ecclesiæ sæculis, tum generatim, qui floruerunt ante ætatem Photii, hujus ritus Azimi expressis terminis nullibi meminerint; quinimmo cum dicant Fideles offerre ad Altare consuevisse panem communem, & aliunde compertum sit ex tali oblato pane solitam fuisse confici Sacrosanctam Eucharistiam, indicare videntur eamdem fuisse solitam confici ex fermentato. Ad hoc enim plura habemus, quæ reponamus. Primo, quod per ea prima Ecclesiæ

clesiæ sæcula Patres summopere curarent hoc mysterium cælare prophanis hominibus; unde si quando de eo loqui palam contingeret, nonnisi obscurissimis verbis loquerentur, quæ solis fidelibus nota essent; quam in rem insignis est locus *Epiphanii in Ancorato*, ubi sacramentum occulte refert hoc modo: *Videmus, quod accepit Salvator noster in manus, & ubi gratias egisset dixit: Hoc meum est hoc, & hoc*. Secundo, ex hoc ipso silentio Patrum latinorum Photii ætate superiorum circa usum Azimi, vel fermentati, deducimus perpetuum usum Azimi; cum enim compertum iisdem Patribus esset Christum ineunte vespera Azimorum, ac proinde in Azimis consecrasse, si in Ecclesia Romana tunc temporis fuisset usus fermentati, non omisissent indagare causam factæ mutationis, quemadmodum sollicite causam inquisiverunt, cur a jejunis Eucharistia percipiatur, cum ab Apostolis post cœnam percepta fuerit. Tertio, falsum nobis est in tota antiquitate deesse monumenta, ex quibus probabiliori conjectura deducatur etiam vetustioribus illis Ecclesiæ sæculis usus Azimi; pronum enim est apud veteres Patres invenire materiam Sacramenti panem esse debere, non quemcumque communibus usibus preparatum, sed nitidissimum, & studiose præparatum, rotundum, ac tenuem, non spissum, neque densum, compactum, sive conspersum aqua frigida, demum decoctum intra ferrum (ut loquuntur) characteratum, ut legere est in *Canone 6. Concilii XVI. Toletani*, *Udalrico lib. 3. consuetudinum Cluniacensium c. 13. Theoduplo Aurelianensi Episcopo art. 5. Capitularis*, *Humberto in Epistola ad Michaelem Cerularium*, *aliisque pluribus*; quæ omnia congruentius azimo pani adaptantur, quam fermentato. Quam in rem facit id, quod sapienter advertit *Mabillonius in Dissertatione de Azimo, & Fermentato, ex Hincmaro Remensi art. 16. primi Capitularis*, duplicem olim in Ecclesia fieri solitam oblationem, unam ante Missam, aut ante Evangelium, in qua offerebant Fideles panem, vinum, ceram, & aliud quodcumque in supplementum Sacerdotum, Viduarum, & Pauperum: alteram post lectum Evangelium, in qua offerebant panem, & vinum ad consecrationem, ac proinde alium panem fuisse oblatum ad consecrationem, alium ad alendos Ecclesiæ Ministros, aliosque Fideles. Demum, ut omnia expediam, nemini dubium futurum arbitramur de perpetuo usu azimi in Ecclesia Romana, cui ejusdem Ecclesiæ indoles perspecta fuerit. Constat enim eamdem Ecclesiam in ritibus ab initio susceptis, iis præsertim, qui ad Sacrificium, & Sacramenta pertinent, fuisse constantissimam, & si quando aliquid mutandum temporis circumstantiæ suaderent, id factum ab ea non esse, nisi consultissimo studio, atque efficacissimis rationibus; cujus illustre exemplum est circa recitationem Symboli Constantinopolitani in Missa, quod quamvis jamdiu publice caneretur in Ecclesiis Hispaniarum, Galliæ, atque Germaniæ, attamen Ecclesia Romana primævi ritus tenacissima nunquam illud suæ Liturgiæ inseri passa est; donec Anno millesimo decimo quarto S. Henricus Imperator ita institit apud Benedictum VIII. ut tandem illi hoc persuaserit. Qua igitur probabilitatis specie præsumi poterit, Romanam Ecclesiam circa rem adeo majoris momenti ab hac laudabili constantia recessisse admittendo azimum, abjecto fermentato, quod per plura sæcula viguisset; idque factum esse communi consensu absque ulla urgenti ratione, & sine ullo decreto, cujus nullibi extat vestigium apud Veteres? Stet ergo, quod asseruimus Sacrosanctam hanc Apostolicam Ecclesiam ab initio semper, & deinceps Azimos panes ad Sacrificium attulisse.

O 2 P. D.

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De oblationibus pro Sacrificii Missis.

DISSERTATIO XIII.

I. PAnis sacrificio adhibitus eo tempore non erat panis cibarius & usitatus, sed formulæ quædam instar Oblatarum, quibus modo in sacris utimur. Huc notanda sunt verba Isonis Monachi Sancti-Gallensis in libro primo de miraculis sancti Otmari capite tertio, ubi agens de translatione corporis ejusdem sancti circiter medium sæculum nonum facta, ita scribit: *Sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo* Salomone *inveniebatur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ.* Neque moris erat antiquis ut Sacerdotes cum iis ornamentis instrumentisque sepelierentur, quibus in re sacra uti solebant. Meminit istius ritus anonymus Auctor in libro quarto de vita Sancti Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, qui *toto corpore lavato, capite Sudario circumdato, Oblatis super Sanctum pectus positis, vestimenta sacerdotalia indutus, in obviam Christo calceamentis suis præparatis, in sindone creata curatus* sepultusque est.

II. Oblatarum nomen variis in locis invenio: ubique forma eadem tametsi usus diversus. Aliæ quippe ad usum sacrum, aliæ ad communem erant. Primam acceptionem in multis exprimit Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens oblatas, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere*: & *Gaufredus* Prior Vosiensis in fine sui Chronici: *sunt qui depravant eulogias, quas vocamus Oblatas seu hostias, nimirum dicentes: Magnum bonum Missa, sed nullus idoneus ad hoc.* Aliam designat *Burchardus* in libro de casibus Monasterii sancti *Galli* capite sexto agens de *Norperto* Abbate, qui *in hebdomada paschali, in meridie vinum & Oblatas dari constituit*. Quo sensu *Udalricus* in libro primo consuetudinum Cluniacensium, capite quadragesimo nono ait, *in quinquagesima solere apponi ea, quæ in ferramento charactérato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ Nebulæ, a nostratibus appellantur Oblatæ.*

III. Quo ritu fierent oblatæ illæ, docet nos anonymus sæculi noni Monachus in libro de miraculis sancti *Wandregisili* Abbatis, capite vigesimo nono. *Tempestate quadam cum vigilia adesset Nativitatis Dominicæ, & sodales suas sanctimoniales feminas multimoda prece rogitaret*, femina scilicet a *Wandregisilo* sanata modo ne ad ignem accederet, *ut Oblatas, quas oblatura Domino in crastinum erat, formarent, ignique cui appropinquare non audebat decoquerent, & minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque quo imprimendæ ac decoquendæ erant Oblatæ arrepto, mox nervi manus ejus dextræ contracti sunt, ac Oblatorium quod sponte susceperat invita vi agente divina retinuit.* Ergo Oblatæ jam tum coquendæ ferro comprimebantur imprimebanturve, quum id accidit, hoc est *anno octingentesimo nonagesimo quinto.* Quo etiam anno puella quædam ex familia Monasterii *Casaridunensis*, nomine *Guntradis* in *Parthenone Mouheimensi* Oblatas a se confectas, *& nitide coctas atque in buxula repositas*, sanctæ *Walpurgi* obtulisse fertur in libro tertio de Vita, & miraculis sanctæ Walpurgis capite primo. Utrumque locum egregie illustrat *Udalricus* in libri tertii capite tertio-decimo. Primo tempus notat quo fiebant Oblatæ. *Quotiescumque fieri hostias necesse fuerit, præcipue tamen ante Domini Natalem vel sanctæ Resurre-*

ctio-

ctionis diem fieri solent. Sic supra mulier illa componebat Oblatas in vigilia Nativitatis Dominicæ. Secundo postquam *frumentum granatim electum* magna cum reverentia molitum est, farina cribatur, & *conspergitur cum aqua frigida*, quia inde fiunt *hostiæ candidiores*. Tertio *ferramentum in quo sunt coquendæ characteratum tenet conversus, manusque induit chirothecis. In ferramento vero possunt simul hostiæ sex poni*. En ferramentum, quod Oblatorium supra dictum ab Anonymo est. Eadem fere religione hostiæ fiebant sæculo undecimo non solum in Monasteriis, sed etiam in aliis Ecclesiis. Quippe, teste *Humberto* Cardinali in libro contra Græcorum calumnias, *Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia psalmorum azima conspersum, & in ferro paratum ex secretario proferebant*.

Jam vero longe ante ea tempora panis sacrificio deputatus religiosis quibusdam ritibus conficiebatur. *Pachomius* siquidem, uti in ejus Vita legitur a *Dionysio* Exiguo latine versa capite quadragesimo; *præceperat Fratribus qui in pistoria arte laborabant, ut si quando facerent Oblationes, nihil loquerentur supervacuum: sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia*. Cur *Pachomius* silentium pistoribus signanter indixerit dum Oblationes conficerent, non alia videtur causa quam ut res ad usum sacrum cum reverentia tractarentur. Idipsum servabant *Cluniacenses*, quum Oblatas faciebant. *Pachomius* quidem in Regulæ capite centesimo sexto-decimo universum præcipit Fratribus, *ut quando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nullus loquatur alteri*: at severius sine dubio silentium imposuerat iis, qui Oblationibus faciendis operam dabant. Certe Oblationis nomine *Pachomius* Oblationes sacras in Missa fieri solitas intelligit in Regulæ capitibus septimo-decimo, & nonodecimo: & sanctus *Odo* Abbas Cluniacensis in Collationum libro secundo, capite vigesimo octavo superiorem Pachomianæ Regulæ versum de Oblationibus sacris interpretatur. Eadem religione Radegundis, auctore *Fortunato*, *more sancti* Germani *tota Quadragesima in quantum quatriduana refectio postulavit, sua manu commolebat, & exinde Oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus. incessanter dispensabat*: quod etiam præstabat materfamilias illa, cujus mentio in Vita *Gregorii* Magni. Eas præcesserat *Candida* uxor *Trajani* Magistri militum, quæ totas noctes molebat, & panem oblationis propriis manibus faciebat, teste *Palladio* in historiæ Lausiacæ capite septuagesimo nono editionis Meursianæ, cujus hæc verba: ταύτην τὴν γυναῖκα οἶδα ἐγὼ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς κοπιῶσαν καὶ ἀλήθουσαν, ταῖς ἰδίαις χερσὶν ποιοῦσαν τὸν ἄρτον τῆς προσκομιδῆς. Ex eo vero quod panem rei sacræ adhibendum, molita prius a se farina, manibus suis conficiebant matronæ tam nobiles, satis intelligitur non fuisse tum panem cibarium & usitatum, qui a meritoriis operis confici solet: sed alium longe majori diligentia, & religione paratum.

IV. Id etiam colligitur ex colore ultra morem candido, qualem insinuat *Beda* in historiæ libro secundo, capite quinto. Nam eo loci de tribus idololatris filiis *Seberti* Christiani Regis orientalium Saxonum scribit in hunc modum. *Cum viderent Pontificem* Mellitum *celebratis in Ecclesia Missarum solemniis Eucharistiam populo dare, dicebant (ut vulgo fertur) ad eum barbara inflati stultitia. Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro* Saba *dabas?* Quibus verbis sane innuit illi, panem Eucharisticum ultra solitum fuisse nitidum candidumque.

V. Verum panem illum, & album supra ceteros, & alium ab usitato & communi fuisse, omnino evincit Concilium sextum-decimum Toletanum, anno sexcentesimo nonagesimo tertio celebratum canone sexto. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos, & studio præparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eumque super altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde in unanimitatis nostræ elegit conventus ut non aliter panis in altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantum Oblata, secundum quod ecclesiastica* con-

consuetudo retentat. In hoc canone multa observatione digna occurruut. Primum, panem nitidum opponi usitato & communi, ut superiorem *Bedæ* locum interpretabar. Alterum, panem eo tempore offerri solitum, *rotundum* fuisse: siquidem Presbyteri illi, de quibus agit Concilium, *crustulam in rotunditatem* e pane suo usitato detrahebant, quo scilicet formam Oblatarum sacrarum, quæ tum in usu erant, exprimerent. Certe *Epiphanius* in *Ancorato* εἰς στρογγυλοειδεῖς, idest rotundæ formæ vocat: & *Iso* supra *rotulas*, quod instar rotæ rotundæ essent, appellat. Deinde rem fuisse ubique *ecclesiastica consuetudine* receptam ut non panis communis & cibarius, sed *nitidus & studio præparatus; non grande aliquid, sed modica tantum Oblata* Sacrificio adhiberetur. Præterea *in sacræ auctoritatis historia* nihil exstitisse, consuetudini tum receptæ contrarium, quod favere posset Presbyteris illis, panem *suis usibus præparatum* in rem sacram usurpantibus. Denique panem illum non *grandem* sed *modicum*; nec tamen fractum, sed *integrum* fuisse. Quibus omnibus pene ob oculos ponitur species, & forma Oblationum nostrarum: quam formam respexisse videtur Concilium Arelatense quintum, medio sæculo sexto celebratum, cujus caput primum decernit, *ut Oblatæ quæ in sacrificio offeruntur altario a comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ*. His adfine est Concilii Calchutensis, labente sæculo octavo in Anglia convocati, capitulum decimum in hæc verba: *Oblationes etiam Fidelium tales sint ut panis sit non crusta*. Ex quo intelligitur, Anglis nonnullis, uti & Hispanis, subrepsisse id quod Humbertus Cardinalis reprehendit in Græcis, qui *coronalem panis* communis scilicet, & usualis in rem sacram ferro levare soliti sunt: uti hoc compendio declinarent morosam in præparando sacro pane diligentiam Latinorum; immo etiam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ tenues *Oblatas ex simila præparatas integras, & sanas antiquitus* adhibuisse perhibetur in libro præcitato *Humberti* Cardinalis. Hinc mihi persuasum est, Patres Concilii Toletani nomine panis modici, & integri significare tenues hasce Obltatas, quales hoc loco designat Humbertus, in ferro scilicet characterato coctas. Certe ante nonum sæculum frequens usus erat patenarum vitrearum ad continendas Oblatas: quæ si non fuissent tenuissimæ, plures (ut necesse erat) in fragili instrumento caute offerri deferrique non potuissent.

VI. Tenues itaque erant Oblatæ & graciles; paullulo tamen forsan ampliores quam nostræ, sive quæ ad Sacerdotum sive quæ ad Laicorum communionem fiebant. Oblata quippe seu hostia Sacerdotis dividebatur in novem portiones ex præscripto Missalis *Mozarabum* ab *Isidoro* Hispalensi Episcopo ordinati: & una Oblata laicorum in communionem pluribus sufficiebat frangebaturque nonnumquam. *Tenues Oblatas*, inquit *Humbertus*, *ex simila præparatas, & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus*. Et mos erat ad sæculum usque undecimum in Gallia frequentatus, ut Clericus ad Sacerdotium promotus, *hostiam de manu Episcopi susciperet*, quam *usque ad quadragesimum diem usu quotidiano consumebat*: cujus rei fidem facit *Fulberti* Episcopi Carnutensis aut potius alterius *Fulberti* Monachi Epistola secunda ad *Einardum*, in editis mendose Finardum. Denique Cartusiani ante annos quadringentos unam tantum hostiam in Viaticum infirmorum reservabant in pyxide, quam hostiam frangebant, ut ex ea particulam infirmo porrigerent. Sic enim habet Statutorum antiquorum prima pars in capite quadragesimo tertio: *Infra hebdomadam non mutatur hostia, quæ est in capsula: si tamen propter infirmum fracta fuerit, mutare licebit*. Alius mos erat penes Cluniacenses nostros, qui quatuor hostias consecratas in Viaticum adservabant, teste *Udalrico* in libro primo Consuetudinum Cluniacensium, capite octavo. *Ipsæ autem hostiæ*, inquit, *cum fuerint consecratæ mutantur quatuor cum illis quæ in pyxide & in aurea columba super altare pendente jugiter servantur, maxime propter infirmos, ut quidquid de eis obveniat, Viaticum sit in promptu*. Qui vero in Missa communicaturi erant, singuli singulas offerebant hostias, ut postea videbimus. Diaconus tamen ex eadem qua Sacerdos hostia communicabat, ex libri secundi capite trigesimo. Ex quibus

bus conjicere licet etiam sæculo undecimo variasse Ecclesias Gallicanas in quantitate seu magnitudine hostiarum. Alii quippe (ut ita dicam) formulas, quales scilicet in ferro characterato compositæ fuerant, consecrabant: alii singulas formulas in plures hostias dividebant, & quidem Cluniacenses in sex, ut ex *Udalrico* superius vidimus. Specimen oblatarum antiquarum exhibet codex manu descriptus ante annos quingentos, in Bibliotheca nostra Germanensi adservatus: in quo delineatus inter altaria duo stat sacerdos, quorum in altero Judaici ritus sunt victimæ, aries & hircus; in altero Christianorum Sacrificia denotant calix, & Oblatæ crucis titulo insignes: tum pensiles utrimque hostiarum supra capsulæ: quæ omnia æneis typis repræsentavit Sirmondus in Disquisitione de Azymo.

VII. In Missa offerebant panem, & vinum qui aderant, maxime qui communicaturi erant. Id quo ritu fieret, quove tempore desierit, paucis explicare juvat. Jam inde a primis Ecclesiæ temporibus Christiani suam quisque hostiam offerebant. Notior res, quam ut probatione indigeat. Varia hac de re statuta postea confecta sunt in eos qui secus agerent. In his Concilii secundi Matisconensis Patres anno quingentesimo octogesimo quinto decreverunt capite quarto, *ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tum panis & vini: ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel ceteris justis offerentibus promereantur esse consortes*. Id tum aliis decretis, tum exemplis manifestare facile possem, si res postularet. Insignem tamen locum *Gregorii* Turonici Episcopi hic prætermittere non lubet. Is in libro de gloria Confessorum, capite quinto supra sexagesimum commemorat, duos in urbe Lugduno fuisse conjuges Senatorii generis, qui absque liberis matrimonio defuncti, hæredem Ecclesiam reliquerunt. Viro mortuo uxor superstes, *per annum integrum assidue orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum solemnia, & offerens oblationem pro memoria viri non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem in die qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset. Semper sextarium Gazeti vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ: sed subdiaconus nequaquam reservans gulæ* Gazetum, *acetum vehementissimum offerebat in Calice, muliere non semper ad communicandi gratiam accedente*. Matrona facti a viro admonita in somniis *ad Matutinum secundum consuetudinem surrexit, quibus expletis celebratisque Missis accedit ad poculum salutare: quæ tam fervens acetum hausit ex calice, ut putaret sibi dentes excuti*. Hoc in exemplo multa notatu digna; usus calicis eo tempore in communione, persuasio de refrigerio animæ defunctorum ex virtute Sacrificii, oblatio vini in calice etiam eo die quo mulier non communicabat; in calice, inquam, haud dubie alio a calice Sacerdotis: alias certe æque Sacerdos ac mulier fraudem Subdiaconi deprehendisset, nec tulisset ipse aceti acrimoniam. Quo in loco venit in mentem responsio *Gregorii* Papæ secundi ad *Bonifacium* Episcopum, congruum scilicet non esse, *duos vel tres calices in altario ponere, quum Missarum solemnia celebrantur*. Ex quo intelligimus, id in more positum his in partibus fuisse. Ejusmodi calices Anastasio *ministeriales* dicuntur non semel, aliis *offertorii*. Quid vero inde fiebat, quum mulier illa non communicabat? Illud porro præcipue advertendum est, matronam illam per annum integrum quotidie sextarium vini in sacrificium obtulisse. Id quo tempore fiebat, docet *Hincmarus* in Capitularis primi capite sexto-decimo. *Qui candelam offerri voluerit, sive specialiter, sive generaliter; aut ante Missam, aut inter Missam antequam Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad oblationem autem, unam tantummodo Oblatam, & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis, & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in buticula vel canna, aut plures oblatas; aut antè Missam, aut post Missam Presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna, & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat*. Cluniacenses etiam post Evangelium oblationes panis, & vini faciebant, ut patet ex libro primo *Udalrici*, capite trigesimo. Ritus describitur in libri secundi capite duodecimo. *In privatis diebus ad Missam matutinalem quia cuncti offe-*

offerunt, curat hebdomadarius ut inter calices mediocres ad hoc solumfactos, & inter ampullas cum vino, habeat quinque & totidem patenas cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus prope chorum, super tabulam desuper coopertam & panno intrinsecus amictam: ut inde Fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi. Ad majorem Missam, quia non offertur nisi ab uno choro sinistro, tenens in manu auream patenam & ampliorem hostiis refertam: quas cum aureo cochleari offerentibus distribuit singillatim. Ex hoc loco etiam patet ritum illum perseverasse ad usque sæculum duodecimum, cujus initio vivebat adhuc *Udalricus*. Non immoror aliis testimoniis referendis. *Grimlaicus* Presbyter sæculi noni in Regula Solitariorum præcipit, *ut Reclusi Oratorium sit Ecclesiæ contiguum, quatenus idem solitarius per fenestram ejusdem Oratorii possit ad Missas per manus Sacerdotum oblationes offerre.* Existimo tamen sæculo octavo desinere cœpisse oblationum laicarum usum, ut postea exponam.

VIII. Ex oblationibus pars in materiam sacrificii adsumebatur, ea scilicet quæ post lectum Evangelium a Fidelibus offerebatur, ex *Hincmaro* supra; pars benedicebatur in eulogias: quæ vero in usus ministrorum pauperumve cedebat, alterius conditionis erat, panis scilicet usitatus cum ceteris rebus. Panem communem a Fidelibus offerri solitum ab Oblatis consecrandis diserte distinguit Concilium Namnetense, statuens capite nono, *ut de oblationibus quæ offeruntur a populo & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico & in diebus festis exinde accipiant.* *Hincmarus* idem statuit in Capitularis primi capite septimo. Exstat istius ritus præclarum vestigium apud *Udalricum* in libri secundi capite trigesimo. *In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis distribuantur*, nempe ante alios cibos ex capite vigesimo tertio: *quod hoc ordine fieri solet, ut primum tribuat de ipsis hostiis domno Abbati; postea cum sint mensæ tres, utrimque ad dexteram domni Abbatis ad unam mensam; postea ad omnes in alia parte, & sic iterum redit ad dexteram, & tribuentis manus a singulis osculatur.* Fluxerat iste ritus ex antiquo Maiorum nostrorum exemplo. Nam Monachi Fuldenses in libello supplici ad *Carolum* Magnum postulant, *ut communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium Patrum.* Abbates vero in Synodo Aquisgranensi congregato anno octingesimo septimo-decimo, statuerunt capite octavo supra sexagesimum, *ut eulogiæ Fratribus a Presbyteris in refectorio dentur.* *Petrus Damiani* in libro de vita eremitica, capite quinto meminit cujusdam *Martini*, qui cum aliis diebus non acciperet cibum nisi post solis occasum; diebus tamen dominicis, circa sextam horam, *unam ex his quæ pro sacramentis fiunt oblatiunculam percipiebat*, & sic jejunium solvebat. Sic ergo reliqua pars Oblatarum expendebatur in eulogias, aut certe panis communis, qui a precatione Sacerdotis dictus est benedictus. Memini me aliquando vidisse priscarum eulogiarum usum in quibusdam parœciis diœcesis Remensis: siquidem die festo Paschæ Presbyter seu Rector Ecclesiæ benedicit Oblatarum formulas integras, quæ postea jejunis pueris, quibus præ ætate communicare non licet, distribuuntur. Id in sua diœcesi prohibuit Guillelmus Major Episcopus Andecavensis in Statutis ab se conditis anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, *ne ex ejusmodi* historiatum *ministratione seu receptione erubescentiam evitare videantur parochiani*, qui scilicet a perceptione corporis Domini ob sua peccata removebantur: sic enim hunc locum interpretandum existimo. Nam quia eadem est hostiæ consecratæ species exterior, facile in mentem veniebat, idem utrobique esse sacramentum. Quo errore deceptus fuisse videtur *Theodorus Balsamon* dum ad caput quartum-decimum Synodi Laodicenæ arguit Latinos „ quod in festo Paschæ distribuerent laicis azyma, postquam sanctificata seu consecrata fuerint, perinde ac „ communia. “

IX. Obla-

IX. Oblationi panis & vini, a laicis antiquitus fieri solitæ, successit eleemosina pecuniaria Presbytero facta, quam *stipendium* vocant. Id fieri ceptum ut videtur, sæculo octavo, saltem in Missis privatis; non tamen ubique passim ante sæculum duodecimum. Pecuniariam eleemosynam satis aperte designat Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ suæ capite quadragesimo secundo. *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua vel pro confessione; aut Clerico pro psalmis, & hymnis seu pro se ipso vel pro quolibet caro suo, aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit; hoc Sacerdos vel Clericus a tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat.* Hinc factum ut laici ob modicam stipem singulas quisque Missas sibi arrogarent. Hunc usum introduci cœptum reprehendere videtur *Eugenius* Papa secundus in Concilio Romano anno octingesimo trigesimo septimo: sic enim ait capite septimo-decimo: *Presbyteri nullius blandiantur aut suadeantur sermonibus, ut non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad Missarum solemnitates recipiant. Quia cum mediatores Dei hominumque existant, in exercendis votis relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere.* Id ipsum repetit *Leo* Papa quartus in Synodo Romana. Eodem tempore *Walafridus Strabus* nascentem ejusmodi morem erroris arguit in libro de rebus ecclesiasticis capite vigesimo secundo. *Sed & in hoc error non modicus videtur. Quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere pro quibus offerunt: vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum: cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis tenet Ecclesia. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum devotione id faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum.*

X. Ab eo ergo tempore, quo frequentari cœpit pecuniaria merces in usum Sacerdotis, cœpit etiam paullatim aboleri mos Oblationum sacrarum. Argumento sunt donationes quædam eo tempore factæ prædiorum atque villarum ad comparandam materiam Sacrificii. *Carolus* Francorum Rex cognomento *Calvus*, villam *Sindelicias* in pago Parisiacensi sitam concedit Monachis Dionysianis, ut oblationes pro se suaque conjuge Domino offerant, *& de vino quod in vineis prædictæ villæ natum fuerit, decem modia in sacrario Fratres mittant, quod mixtum fiat vino in sacrificio deputato.* Dicet forsan aliquis vinum istud ex annuo reditu proveniens, oblatum postea fuisse a Monachis eo modo, quo apud Cluniacenses fieri mos erat: & sanctum Remigium Remorum Episcopum longe ante id tempus vineas quasdam testamento reliquisse eo pacto, *ut diebus festis & omnibus Dominicis sacris altaribus sua offerretur oblatio:* quo tamen tempore morem offerendi penes fideles perseverasse constat. Nec repugnarem, nisi legerem apud *Fulcuinum* Abbatem Chronici Laubiensis auctorem, qui post medium sæculum decimum floruit, *solitum pendere vas cum vino juxta altare* in sacrificium sacrosanctum: quod manifeste probat jam desitum offerri vinum a Monachis lascivie in Cœnobio Laubiensi. Sæculo insequenti *Gulbertus* de *Huglevilla*, nobilis Neustrasius *unum modium vini ad celebrandas Missas* Monachis Alsagiensibus concessisse memoratur apud *Ordericum* Vitalem in historiæ ecclesiasticæ libro sexto. Et ne forte quis reponat, id in Cœnobiis actitatum secus quam in parœcialibus Ecclesiis; invenio paullo quidem serius, nimirum circiter annum millesimum centesimum octogesimum, *Philippum Flandriæ* Comitem *in eleemosynam perpetuam adsignasse Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de* Longovillari *unam marcam argenti singulis annis ad emendum panem & vinum in sacrificio altaris* ut legi in Chartulario Bertiniano, quod *Antonius Vion Hierovallius* litteratorum omnium patronus, mihi communicavit. Eodem etiam ævo fieri cœptæ donationes ad Missas instituendas. Plura ejus rei exempla exstant in majori Chartulario Brivatensi, quod itidem ab eodem humanissimo viro nobis commodatum est. In his *Airaudus* quidam Ecclesiæ Sancti *Juliani*, cui *Bernardus* Comes tum præerat, res suas in villa *Buciaco* sitas tradit in stipendia Fratrum seu Canonicorum, *vel ad sacrificium Deo offerendum, anno sexto regnante* Karolo *Rege* Aqui-

Aquitanorum, *filio* Karoli *Regis* Francorum, id est *Karoli* cognomento *Calvi*. Item *Joseph* & uxor ejus res suas in villa *Rosariis* cedunt eidem Ecclesiæ, *ut illi servientes*, inquiunt *propter nos sacrificium*, *& orationes offerant*, anno vigesimo sexto regni *Karoli Calvi*. Denique ejusdem anno trigesimo quinto, quo tempore *Frotarius* Abbas idemque Archiepiscopus Bituricensis locum regebat, *Dado* quidam res quas possidebat in villa Ardallo, concedit ad sacrificium pro se offerendum. Ex quibus manifestum efficitur, jam sæculo nono ejusmodi donationes in more fuisse.

AD CAPUT VII.

P. HERIBERTI ROSVVEYDI E SOCIETATE JESU

De Diptychis Veterum Christianorum

DISSERTATIO XIV.

Ex ejus Onomastico ad Vitas Patrum p. 1024. seqq.

I. G*Recum verbum* diptychum δίπτυχον, *Latinis tamen usurpatum, sed sæpe apud eos depravatum. Etymologicum:* Diptycha, nomen neutrum. Fit a masculino δίπτυξ quod fit a verbo πτύσσω, plico. Futuro πτύξω, unde πτύξ plica, & cum δύο duo δίπτυξ, δίπτυχος flectitur, & traducitur ad rectum casum, & neutrum diptychum. Diptycha facientes, id est duplicantes arvinam, nunc autem dicit ἐπιπλοάν, omentum. *Alludit hic Etymologicum ad versus* Homeri, *de quibus post.*

Diptychum *igitur hic capitur pro libello duarum plicarum, seu foliorum, seu paginarum, quasi dicas* duplices. *Unde* Ovidio *lib.* 1. *Amorum eleg.* XII.

Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi,
Auspicii numerus non erat ipse boni.

quas Joannes Wouwerius *ad lib.* 1. Sidonii *ep.* V. *non rite refert ad combinas seu diplomata Impp.*

Sic Martiali *l.* VII. *epigr. LII.* triplices *seu* τρίπτυχα *a tribus foliis.*

Bis senos triplices, & dentiscalpia septem.

& eodem libro epigr. LXXI.

Nec vani triplices brevesque mappæ

Idem lib. XIV. *epigr.* VI.

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi.

Sic apud eumdem Martialem *lib.* XIV. *ep.* IV. quintuplices, seu πεντάπτυχα habes:

Cæde juvencorum domini calet area felix,
Quintuplici cera cum datur altus honor.

Duplex autem fuit diptychorum usus, profanus, *&* sacer. *Profani mentio apud veteres, qui ea muneris loco sæpe mittebant, maxime in editione munerum.* Symmachus *in Auctario Epistolarum ep. VII. quam fratribus scribit:* Religiosum atque votivum est, ut a Quæstoribus candidatis dona solemnia potissimis atque amicissimis offerantur. In eo numero jure censemini. Offero igitur vobis eburneum diptychum, & canistellum argenteum librarum duarum filii mei nomine, qui quæstorium munus exhibuit. *Idem libro* II. *Ep.* LXXXI. *ad* Flavianum: Filius noster *Symmachus* peracto munere candidati, offert tibi dona quæstoria, & ceteras necessitates nostras pari honore participat. Quæso igitur ut ejus nomine diptycha, & apophoreta suscipere dignemini. *Idem libro* V. *ep.* LVI. *ad* Sallustium: Ad te diptychum Candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum per hominem tuum misimus, approbare cu-

cupientes Editioni nostræ non defuisse. *Idem lib.* IX. *ep.* CIX. Non aspernabere ut existimo, diptychi & apophoretici oblationem.

II. *Erant* diptycha, *quæ muneris loco mittebantur, fere eburnea: quod epitheton etsi non semper additur, tamen subintelligendum videtur: sic cape* diptychum *absolute positum apud* Symmachum *lib.* II. *ep.* LXXXI. *Nam subdit, quasi explicans:* Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & canistellis argenteis honoravi.

Cum eadem Principi mittebantur, inaurari solita. Symmachus *lib.*II.*Ep.*LXXXI. Præterea Domino, & Principi nostro ad referendam largitati ejus sedulam magis quam parem gratiam auro circumdatum diptychum misi.

III. *Probibitum post, ne minor consulari magistratus diptycha ex Ebore, & sportulas aureas daret. L.* 1. *de expens. ludor. C. Theod. ita constituunt Impp.* Valentinianus, Theodosius, *&* Arcadius *Augg.* Illud etiam constitutione solidamus, ut exceptis Consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, diptycha ex ebore dandi facultas sit, cum publica celebrantur officia. Sit sportulis nullus argenteus, alia materia diptychis. *Unde* Claudianus *lib.* III. *de laude* Stiliconis *consulis ab eo sparsas in populum eburneas tabellas canit:*

Tum virides pardos, & cetera colligit Austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen
Per proceres, & vulgus eunt. stupor omnibus Indis
Plurimus; ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Cur diptycha *seu pugillares tabulæ in editione munerum dono missa fuerint, equidem nescio.* Ludovicus Carrion. *libr. II. Emendat. Cap. VI. supra existimat ea a Quæstoribus candidatis offerri solita, quod iis ipsis essent in usu frequenti. Sed & Consules aliique diptycha obtulerunt.*

IV. *Videntur* diptycha *amantium fuisse tabellæ, unde vetus commentator ad illud* Juvenalis *Satyr.* IX.

—— Et blandæ assiduæ, densæque tabellæ
Sollicitent.

adscribit: blandis te epistolis, & diptychis sollicitet. *Glossarium Camberonense manuscr.* Diptycæ dicuntur tabellæ, quibus corruptores puellis suis inscribunt amorem. Papias *Vocabularista.* Diptycæ tabellæ, quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis. *Apud* Ovidium *quoque lib.* II. *Amorum*, Eleg. XV. habes tabellas arcanas ad hanc rem.

V. *Quod* Carrion *putat* diptycha *universim fuisse plerumque* eburnea, *falli eum existimo. Nec enim simile vero*, diptycha epistolica *quæ vulgo epistolæ loco sibi mutuo mittebant, quibusve arcana sua declarabant, fuisse eburnea; sed potius lignea, cera obducta. Unde* Ovidius *supra amicæ suæ* duplices, *seu* diptycha, *quibus noctem negaverat, execrans ait.*

Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus
Rodat, & immundo cera sit alba situ.

unde colligitur lignea *fuisse. Et eodem lib.* I. *Eleg.* XI. *quæ priorem præcedit de tabellis suis amatoriis, ait:*

Subscribam. Veneri fida sibi Naso *tabellas*
Dedicat. at nuper vile fuistis acer.

Alia erant sacra diptycha, *quorum usus erat in Ecclesia Catholica, a communi in privatam notionem deflexa.*

Erant igitur hæc sacra diptycha *duplices tabulæ, quarum una parte inscribebantur nomina episcoporum pie defunctorum, altera vero vivorum.*

VI. *Et quidem quod mortuos spectat, earum tabularum, quæ* ἱεραὶ πτυχαὶ *ibi vocantur, mentio est apud* Dionysium Areopagitam *Eccles. Hierarch.* cap. III. *ubi agitur de mysterio Synaxeos, sive Communionis:* Καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται, *quæ ita vertit* Perionius: Cum omnes se inter se salutaverunt, mystica Sanctorum recitatio fit. Ambrosius *Camaldulensis:* Et cum se mutuo omnes salutaverint, mystica Sanctorum recitatio fit. *Uterque omisit vertere vocem* πτυχῶν. *Rectius igitur* Joannes Scotus *vetus* Dionysii *interpres:* Et omnibus salutantibus inter se invicem, mystica sacrorum voluminum prædicatio perficitur. *Item* Joannes Saracenus: Et osculatis se invicem univiris mystica sanctarum tabularum prædicatio perficitur. *Recte ita verterunt,*

terunt, modo per volumina, & tabulas intelligant diptycha.

VII. *Rursus eodem capite in Theoria :* Ὁ δὲ θειότατος ἀσπασμὸς ἱερουργεῖται, καὶ τῶν ἁγιογράφων πτυχῶν ἡ μυστικὴ καὶ ὑπερκόσμιος ἀνάῤῥησις. Perionius : Divina autem salutatio sive osculum adhibetur, sanctorumque animorum, qui scripti sunt, mystica cælestisque prædicatio. Ambrosius *Camaldulensis*. Porro sacratissima consalutatio idcirco celebratur, sanctorumque descripta nomina mystice, & modo supramundano prædicant. *Clarius veteres Interpretes*. Joannes Scotus: Divinissima autem salutatio sancte agitur, & hajographorum voluminum mystica, & supermundana recitatio. Joannes Saracenus : Divinissimum autem osculum sancte agitur, & hajographarum tabularum mystica, & supermundana enunciatio.

VIII. *Iterum in ejusdem capitis theoria, qua hujus rei contemplatio, & explicatio continetur :* Τῶν δὲ ἱερῶν πτυχῶν μετὰ τὴν εἰρήνην ἀνάῤῥησις, ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας, καὶ πρὸς ἀρετῆς ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους. *Quæ ita vertit* Perionius : Sanctorum autem animorum, quæ post pacem adhibetur, prædicatio, eos qui pie sancteque vixerunt, atque ad vitæ virtuti consentaneæ perfectionem pervenerunt, laudibus afficit. *Rursus hic* Perionius ψυχῶν *legit pro* πτυχῶν. Ambrosius *Camaldulensis*: Enimvero sanctorum post pacem illam nominum, prædicatio, eos præconio attollit, qui pie sancteque vixerunt, atque ad finem usque virtutis vitam constanter, nusquam ab ea deflectendo, tenuerunt. *Clarius* Joannes Scotus : Sacrarum autem tabularum post pacem recitatio prædicat sancte firmatos, & ad strenuæ vitæ consummationem immutabiliter advenientes. *Item* Joannes Saracenus: Sanctarum autem tabularum post pacem prædicatio, prædicat illos qui sancte vixerunt, & ad virtutum vitæ perfectionem intransmutabiliter pervenerunt.

IX. *Ut hic habuimus* ἱερὰ πτυχὰ *quæ* Maximus, & Pachymeres Scholiastæ Dionysii δίπτυχα *interpretantur*; ita δίπτυχον *diserta mentio in epistola Ægyptiorum episcoporum ad* Anatolium *Constantinopolitanum episcopum contra* Timotheum *invasorem sedis Alexandrinæ, quæ habetur parte* III. *Concilii Chalcedonensis ex Romana editione :* Etiam in venerabili diptycho (in quo piæ memoriæ, transitum ad cælos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas relegerunt) posuit suum nomen & *Dioscori*, qui sub damnatione anathematis a Deo, & universali Concilio esse decretus est; & delevit exinde sanctæ memoriæ, & secundum Deum viventis *Proterii* nomen, regulariter archiepiscopi constituti. *Item in sexta Synodo* Act. XIII. Hos sanctæ memoriæ tres viros, id est *Thomam, Joannem, & Constantinum* prævidimus in idemtitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum Ecclesiarum recitari. Theodoretus *Ecclesiasticæ historiæ libro* V. *cap.* XXXV. Iste (Alexander *Antiochenus Episcopus*) primus magni *Joannis* nomen ecclesiasticis diptychis inseruit. *Quod etiam habes in Historia Tripart. lib.* X. *cap.* XX. *& apud* Georgium *Alexandrinum in Vita* Chrysostomi *capite* LXXI. Isidorus *Trimethensis Episcopus in Vita* Joannis Chrysostomi : nomen *Joannis* sacris inscribe diptychis. Innocentius *Papa ad* Arcadium, *&* Eudoxiam *apud* Georgium *Alexandrinum Patriarcham de Vita* Chrysostomi : Jubete autem *Joannis* nomen sacris inscribi diptychis. *Epistola* Justiniani *Imperatoris ad quintam Synodum generalem quæ est Constantinopolitana* II. Sicut & eos qui injuste condemnati sunt revocaverunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt. Quod factum est & in *Joanne* (Chrysostomo) & in *Flaviano* religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis. *Citatur canon* Sane XXXIV. *qu.* 1. *In Sacramentali* Gregorii *Magni habes Orationem* super diptycha : memento etiam Domine famulorum, qui nos præcesserunt, & dormierunt in somno pacis. *Et in Liturgia S.* Marci : Ὁ διάκονος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων. Diaconus legit diptycha defunctorum. *Ad hanc consuetudinem defunctorum nomina* in Missa *recitandi alludit* Cyprianus *Epistola* X. *ad Clerum*, & presbyteros, *qui temere pacem lapsis dederant :* Offertur nomen eorum. *Et Epistola* LXVI. ad presbyteros, diaconos, & plebem Furnitanam : Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit avocare.

X. Uti

X. *Uti rite defunctorum episcoporum nomina sacris diptychis inscribebantur, ita hæreticorum & schismaticorum ex iisdem tollebantur.* Justinianus *Imperator in confessione rectæ fidei adversus tria capitula, seu in edicto de fide Catholica, quod habetur post quintam Synodum:* Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ ecclesiæ in qua episcopus dicitur fuisse, cum invenisset quod paganis & Judæis, & Sodomitanis a Sanctis Patribus connumeratus est, deleverunt ipsi ex illo tempore e sacris ecclesiæ diptychis ejus nomen. Justinianus *Imperator epistola ad quintam Synodum, quæ habetur ibi Act. 1. de* Theodoro *Mopsuesteno:* Propter istas (*blasphemias*) superioribus temporibus deletum est & nomen ejus e sacris diptychis ecclesiæ, cujus fuit Episcopus. *Divalis sacra* Constantini Pogonati *ad Dominum Papam* Agathonem, *quæ* præmittitur sextæ Synodo generali, quæ est Constantinopolitana III. „ Multam enim nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus ac beatissimus patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur *Vitalianus* beatissimus de diptychis, asserentes *Honorium* memorari in diptychis, præter honorem Apostolicæ Sedis antiquæ nostræ Romæ ". *Ecclesiastica historia* Theodori *Lectoris Constantinopolitani apud* Damascenum *oratione* III. *de imaginibus:* Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἐλήλυθε τῆς τόλμης, ὥστε καὶ τὰ τῶν ἐκεῖ γεγενότων μακαρίων ποιμένων ὀνόματα, τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀνεῖλε, καὶ τὰς αὐτῶν εἰκόνας καθεῖλε τυραννικῶς. *Quæ* Franciscus Zinus *Veronensis ita vertit:* Eo vero provectus est audacia, ut beatorum, qui illic fuerint episcoporum nomina sacerdotum geminorum sustulerit, tyrannicæque combusserit. *Qui non recte percepit* ἱερῶν διπτύχων, *quod vertit* sacerdotum geminorum, *cum vertendum sit* e sacris diptychis, *ut recte monuit* Jacobus Billius *in notis ad eam Orationem. Sic quod ex eadem historia citatur apud* Damascenum: Ἀναθεματίζει τὰς τῶν ἐπισκόπων εἰκόνας καὶ τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀπαλεῖψαι. Episcoporum imagines anathemate damnate, & e sacris diptychis delete. *Ibi rursus* Zinus *verterat* sacerdotes geminos delete. Innocentius *Papa epist. ad* Arcadium *Imperatorem apud* Georgium *Alexandrinum de vita* Chrysostomi, *ut* Arsaci *etiam mortui memoria tradatur:* Οὗ τινος οὐδὲ τὸ ὄνομα ἐγγραφῆναι τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις: cujus ne nomen quidem sacris diptychis. Anastasius *in* Agathone: Abstulerunt de diptychis ecclesiarum nomina patriarcharum, vel de picturis ecclesiæ figuras eorum. Victor *Tununensis* in Chronico: Nomina *Proterii* & *Salafatiatii* de ecclesiasticis diptychis tollit, & *Dioscori* & *Æluri* qui *Proterium* interfecit, scribit. *Atque hactenus de mortuorum nominibus quæ diptychis inscripta.*

XI. *Vivorum, qui diptychis inscribi solent, meminit* Joannes *Diaconus in Vita S.* Magni Gregorii *lib.* IV. *capite* XXIII. Orientales præcipue retinent hactenus sedes, ut in suis diptychis nullius Pontificis nomen describant, quousque synodicam ipsius suscipiant: & tamdiu defunctum Pontificem inter viventes numerent, quam diu successor illius suas litteras studuerit destinare. *Concilium Chalcedonense Act.* XI. suscepit enim eum, & communicavit ei beatæ memoriæ *Proclus*, & fecit synodicas litteras, & in diptychis eum posuit. *Et pleraque priora exempla* quibus *post mortem quorumdam nomina e diptychis expuncta docetur, satis ostendunt, dum viverent, diptychis inscripta fuisse.* Gregoras *lib.* V. In sacris hymnodiis mentionem faciunt Papæ cum oratio super diptycha recitatur, una cum aliis quatuor Patriarchis.

XII. *Uti viventium Episcoporum nomina sacris diptychis inferebantur, ita ex iisdem tollebantur quandoque viventium nomina.* Proclus *Archiepiscopus Constantinopolitanus ad Domnum* Antiochenum *Episcopum pro causa* Athanasii *Perrhæ Episcopi, cujus viventis nomen e sacris diptychis erasum erat, habetur in Concilio Chalcedonensi Act.* XIV: Καὶ τῶν ἱερῶν δέλτων περιελεῖν τὸ ὄνομα τοῦ ἐπισκοποῦντος. Ubi *vetus interpres vertit:* & episcopi nomen de sacris diptychis abstulisse. Vigilius *Papa in damnatione* Theodori. „ Etiam Alexandrinæ ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum *Zoilum*, cujus nomen usque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat, diptychis eximentes, Apollinarem quemdam perversorem atque ecclesiæ ipsius adulterum vobis sociastis ".

XIII. *Nomina viventium, quæ sacris diptychis inscribebantur, erant fere episcoporum, & patriarcharum, ut passim patet. Quare nescio an referendus sit ad hæc di-*

pty-

ptycha quæ altari imponebantur, liber vivorum, seu sacra delta, quorum meminit Dionysius Areopagita *Ecclesiasticæ Hierarc. c. 11. quibus nomina illuminatorum, & susceptorum inscribebantur, quæ* ζώντων δίπτυχα, vivorum diptycha *vocata esse existimat* Pachymeres: Tunc manum capiti imponit, & presbyteris ac diaconis ipsi subditis, jubet in sacris deltis nomina scribere tam ejus qui ad Baptismum venit, quam susceptoris. Hæc autem, opinor, sunt vivorum diptycha.

XIV. *Vivorum & mortuorum simul mentionem facit* Chrysostomus *in Liturgia*: Diaconus incensat in circuitu sacram mensam, & diptycha; defunctorum autem & vivorum, uti vult, memoriam facit.

XV. *Permansit hujus rei, tam vivos quam mortuos in Missa commendandi, consuetudo in Canone Missæ, cum primo viventium, inde defunctorum mentionem facimus per duplex* Memento. *Vide* Alcuinnm *de Div. Offic. cap. de celebratione Missæ, & Florum Magistrum, qui de hoc* diptychorum *usu eadem habent.*

XVI. *Ex dictis colligitur, non ideo di*ptycha *dicta, quod gemini essent libri, unus viventium, alter mortuorum ut existimavit* Meursius *in suo Glossario Græco-barbaro; cum unus idemque liber utrorumque nomina continere potuerit; & solus liber viventium, item solus mortuorum etiam* diptychum *sint dicta. Dicta igitur* diptycha, *quod liber ille duobus foliis seu tabulis constaret, ut supra dixi. Unde & apud* Georgium *Alexandrinum cap.* LXXI. *supra citato pro* διπτύχοις *alia lectio* διθύροις, *quod liber hic duarum quasi januarum, seu valvarum esset, seu ut* Ausonius *loquitur*, bipatens pugillar. quomodo in Evagrio lib. VI. Eccl. Hist. cap. XX. ἀμφίθυρον ἄγειν, *capio de* amphityro *seu* diptycho *opere* Hunico *facto, nisi malis de velo cum aliis capere.*

XVII. *Tale ex ebore diptychum vidisse me memini in ecclesia S.* Lamberti Leodii, *cui aliquot Sanctorum, & quorumdam episcoporum nomina inscripta sunt. Videtur ex profano consulari diptycho, qualia in editione munerum amicis mittere Consules solent, ut supra attigi, in ecclesiasticum diptychum translatum. Sane nomen* Saviniani, *seu* Sabiniani *consulis inscriptum habet, qui consul fuit anno Domini D.V. continetque varias figuras, quæ profanam militiam spectant, cum hac etiam inscriptione*: COM. DOMEST. EQUIT. *Effigiem diptychi hujus hic subjecissem, si ad me correcta inscriptio transmissa fuisset. Alias forte correctum exprimere dabitur. Et* diptycha *ecclesiarum fere eburnea fuisse colligere quoque est ex* Fortunato *lib.* X. *Carm.* X.

Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.

Sane diptycha olim ex præstanti materia fuisse ita ut capsis includerentur, colligitur ex Ekkehardo *juniore, cœnobita S.* Galli *de casibus Monasterii S.* Galli *in Alemannia cap. V.* Capella citata fit Oratorium, in quod invehuntur cruces, & diptychiis capsæ, nec non & pæne omnis, præter libros repositorios Ecclesiæ Thesaurus; *quæ habes Alemannicarum rerum Tomo* 1. *parte* 1. *ubi* Goldastus Scholiastes *per diptycha intelligit libros anniversarios, in quibus eorum nomina perscripta, qui pro suæ aliquid animæ remedio monachis, & clericis legassent: custodiæ quorum capsæ ipsæ paratæ. Dubito an diptycha illa communia mortualia apud monachos ita ornari sint solita, ut inter thesauros numerari possint. Potius per* diptycha *eo loco intellexerim diptycha sanctorum vel librum Evangeliorum, vel similes, quorum coopertorium diptychum, seu extremæ tabulæ egregie ornari solent, auro, argento, figuris & in Processione circumgestari.*

XVIII. *Originem hujus rei, nomina videlicet sanctorum martyrum, Imperatorum, Pontificum summorum, & aliorum fide ac meritis excellentium virorum sacris diptychis inserendi & inter hymnodias recitandi,* Isaacus Casaubonus *Animadversionibus ad* Athenæi *librum VI. cap. XIV. acceptam refert gentilitati Romanæ, quæ eorum nomina, quos eximio honore vellet decorare, saliari carmine canenda decernebat. Ita Germanico, inquit, mortuo hic honos inter alios tributus, Auctore* Tacito *lib. II. & M. quoque* Antoninus *Philosophus mortuo filio Vero jussit ut nomen ejus saliari carmine insereretur, teste* Spartiano. *Jam olim id Romæ institutum, ut ex iis constat quæ de* Mamurio Veturio, *&* Lucia Volumnia *scribunt* Varro, Oudinus, Festus, Plutarchus

chus & *alii. Vetus quoque*, *inquit*, *Ecclesia Christiana*, *ut videtur*, *morem ad pium usum traduxit: qua de re addit*, *dicemus multa alibi*, *si vitam Deus produxerit*, *scitu digna*, *nec protrita*.

XIX. *Quam vellem* Casaubono *mentem meliorem fuisse*, *ne ab Ethnicis sacra nostra arcesseret*, *quam a veteris Testamenti ecclesia? Ne Patres Ethnicorum magis rituum*, *quam sacræ legis gnaros observantesque faceret*. *Meminisset apud Magnum* Dionysium, *quem merito veterem Patrem asserit*, & *æstimat esse:* Sed animadverte eos in sacris etiam memoriis inesse, non quod more hominum divina memoria in ea parte memoriæ, quæ visa recipit, inesse declaretur, sed ut aliquis dicat pro Dei dignitate pretiosam immutabilemque in Deo eorum qui divinam speciem perfecte prætulerunt, scientiam significat. Novit enim, inquit Scriptura divina, qui sunt ejus. Et pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, morte sanctorum dicta pro perfectione in sanctitate. *Meminisset ab Ecclesiastico dictum cap. XLIV.* Laudemus viros gloriosos, & patres nostros in generatione sua, *qui ibi & sequentibus capitibus catalogum virorum justorum texit*. *Non huc potius quam ad saliaria carmina*, *respexit vetus Ecclesia?*

XX. *Quin ut notat* Brouwerus *noster ad* Fortunatum, *in diptychis librorum vitæ quamdam ideam adumbrasse majores videntur*. *Ut enim in horum albo nonnulli inscripti*, *qui non perenni*, *sed brevi justitiæ laude commendati; alii qui pro certo*, & *immutabili Numinis decreto in sortem sanctorum cooptati: ita diptychis eorum quoque nomina irrepsisse meminimus*, *quorum ad tempus simulata virtus id non meruerat*, *aliorum vero firmius insedisse*, *quorum constans exstitit & illibata fidei & morum integritas*. *Usus itaque finisque diptychorum fuit in sacris*, *tum memoriæ sanctorum retinendæ*, *tum pacis ecclesiasticæ & communionis sanciendæ: cum dignos cælo ac sempiterna memoria viros reciperent*, *indignos vero respuerent*, & *excuterent*. *Hactenus* Brouwerus.

De diptychis sacris commentariolum olim scripsit Joannes Baptista Cardona Episcopus *Dertosanus*, *rogatu* Gabrielis *Cardinalis* Paleotti, *quem cum aliis ejus commentariolis impressit* Philippus Mey Tarracone *anno* M.D.XXCVII. *De iisdem etiam quædam habet* Joannes Stephanus Durantus *de Ritibus Ecclesiæ cap.* XLIII. *qui litteras* Innocentii *Papæ*, & Arcadii *Imp. quas supra habes*, *non rite contrario modo citat*. *De iisdem etiam agit frater* Angelus Rocca Camers *ad librum Sacramentorum D.* Gregorii.

XXI. *Habuimus hactenus* diptycha *pro sacris tabulis mortualibus*, *quæ duplices*, *seu duorum foliorum erant*. *Eo respectu* Augustinus *Tomo VI. libro XV. contra* Faustum Manichæum *cap.* IV. *tabulas* Moysis *lapideas vocat* diptychium. Nam in illo diptychio lapideo, jam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi populo congruebat. *Item Epistol. S.* Petri *ex qua quædam citarat:* Lege sane illud diptychium, ne timeas, plane sponsi tui est. *Item:* Ex hoc diptychio repellis adulterum. *Item:* Noli ergo reformidare diptychium, quo tibi scripta olim, quæ nunc agnosceres mittebantur: *Item:* Hoc ergo diptychium ille præmisit qui tibi hæc duo præcepta veniens commendavit. *Item:* O pudicum diptychium, in quo vetere figura ille dilector, & dilectus tuus prænuntiavit tibi canticum novum, in decachordo psalterio. *Item:* O diptychium conjugale, quod non sine caussa odit adultera. *Ita etiam usurpat* Isidorus *lib. de vocatione Gentium c.* XIV. Et non quidem foris in lapideis diptychis, sed intrinsecus in tabulis cordis.

XXII. *Hoc modo a* Prudentio *librum suum*, *qui titulos historiarum veteris*, & *novi Testamenti continet*, diptychon *quidam inscriptum volunt*. *Quod ad* Prudentium *cum bono Deo aliquando examinabimus*.

XXIII. *Aliud est* diptychum *apud* Homerum *Iliad.* α & β, *videlicet duplex membrana seu tunica omenti*, *ut insinuat supra citatum Etymologicum*, *quo etiam* Suidam *existimo respicere:* Διπτυχια, δυο περιβόλαια ἔχοντα, ὡς τὸ μὲν ὑπεστρῶσθαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι, *quæ* Cujacius *Observat. lib. IV. cap.* XXVII. Carrion *supra*, & Dionysius Gothofredus *ad lib.* I. *Cod. de summa Trin.* & *fid. Cathol. tit.* I. *L. VII.* §. *V. de diptychis tabellis intelligunt*, & *citant*. *Sed textus apud* Suidam *depravatus est* & *mutilus*, & *intelligenda verba illa de duabus omenti tunicis*. *Locus integrior extat apud* He-

Hesychium: Δύπτυχα· δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ἢ διπλώσεις· τὸ μὲν ὑποστρῶσθαι τὸν ἐπίπλουν, τὸ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι: Diptycha sic dicta, quod duas commissuras habeant, seu duplex operimentum, sic ut pars una omento substernatur, altera eidem superjiciatur. *De duabus omenti tunicis vide* Joannem Gorræum *in Definitionibus Medicis, verbo* Ἐπίπλοον *seu* ἐπίπλουν.

XXIV. *Aliud quoque* diptychum *ostrei, id est, duplex ostrei testa, qua se includit.* Ambrosius *lib. V.* Hexaemeri *cap. VIII. agens de cancro insidiante ostreo:* Explorat si quando ostreum remotis in locis ab omni vento contra solis radios diptychum illud suum aperiat, & referet claustra testarum.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Diptychis Ecclesiasticis.

DISSERTATIO XV.

I. PRO omnibus quidem Christi fidelibus solet Ecclesia inter sacra ministeria preces ad Deum fundere communes; sed præterea speciales Deo preces offerebat pro certis quibusdam hominibus, tum viventibus, tum vita functis, quorum nomina ex scripto per Diaconos pronunciabantur inter sacra mystica, pro Imperatoribus & Regibus, pro Summo Pontifice, pro Episcopo loci, pro Patriarchis, pro cæteris quibusdam Episcopis sibi invicem hoc genere officii gratificantibus: denique pro fidelibus illis, qui munera, & oblationes ad rem sacram, divinumque cultum contulerant. Ex altera autem charta, quæ defunctorum nomina referebat, nominabantur pariter ad populum ex ambone ad aliquod tempus homines, vel Principatu temporali, vel dignitate Episcopali pridem spectabiles. Insignium autem benefactorum, quales erant fundatores illius Ecclesiæ, perpetua fiebat memoria, & recordatio. Hujusce ritus simulque gratitudinis innumera legimus veterum monumenta: nonnunquam etiam graves erant inter Ecclesias consecrationes, aliis quorumdam insignium dignitate virorum memoriam colentibus, aliis ex adverso damnantibus, ut contingit in Joanne Chrysostomo, cujus memoriam Romana venerabatur Ecclesia; sed in oppositum Alexandrina, dum vixit infensissimus Chrysostomi persecutor Theophilus, execrabatur, una cum factione Theophili fieta Imperatoris Arcadii animositate, qui sanctissimum virum, urgente Theophilo, injustissimis exiliis damnaverat, ut referunt Socrates, Sozomenus, & Palladius. Nec minus nota sunt dissidia Orientalium Ecclesiarum cum Romana; dum hæc Acacii memoriam tanquam hæretici (ut vere erat) execratur: illæ vero ab eodem olim seductæ recolunt: quam referunt historiam Chronicon Marcellini, Theophanes, & Theodorus Lector. Eaque ex causa Euphemius Constantinopolis Episcopus Apostolicæ sedis communione tanquam schismaticus excidit, cæteroque ortodoxus, ob pertinaciam, qua nomen Acacii de tabulis Ecclesiasticis eradere recusabat, ut prodit Theophanes, & Nicephorus historicus.

II. Dionysius lib. 3. de Eccl. hier. hæc de diptychis refert: *Et cum se mutuo omnes salutaverint mystica sacrarum tabularum recitatio fit.* Eodem spectat illa Cypriani expostulatio epist. 10. de faciliori quorumdam lapsorum reconciliatione: *Ad communionem admittuntur, & offertur eorum nomen nondum pœnitentia facta.* Hieronymus in comment. super Ezechielem 18. egregie dicit: *Publice Diaconus in Ecclesia offerentium nomina recitat, tantum offerre ille, tantum ille pollicitus, placentque sibi ad plausum populi torquente conscientia, damnique materiam miseris ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, & non lugeant ad ea quæ* [illegible]. Innocentius Papa in illa notissima ad Decentium Eugubinum Episcopum epistola dicit: *Prius ergo oblationes sunt* [illegible]

men-

mendandæ, at tum eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ antea præmittimus, ut ipsis in mysteriis viam futuris precibus aperiamus. Recitandorum nominum praxis visitur in ipsis Liturgiis Jacobi Apostoli, Basilii, & Joannis Chrysostomi. In harum duabus ultimis hæc habentur. *Diaconus sacram mensam incensat per circuitum, & dypticha tam viventium, quam eorum, qui dormierunt, quorum vult*. His adjungo Concilii Emeritensis can. 19. *Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre; & eorum nomina a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid bis sanctis Ecclesiis videntur, aut si sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine*. Magnus Gregorius Papa lib. 2. epist. 37. ad Constantium Mediolani Episcopum rescripsit, nullam ipsi necessitatem incumbere Joannem Ravennæ Episcopum nominandi, cum neque Joannes Constantium ad altare nominare soleat.

III. Acacius Constantinopolis Episcopus hæresi Eutichianæ clam addictus, Zenoni Augusto edictum (quod vocabatur henoticum) suggesserat, quo universum orbem impense perturbavit, abrogato Synodi Calchedonensis contra Euthichianam hæresim decreto: idemque Petrum Moggum Alexandrinum Episcopum, ipsosque Felicis Papæ tertii Legatos in suas partes attraxit & corrupit. Quamobrem Papa Felix Acacium turbarum auctorem communione fidelium amovit, qui vicem rependens, Felicis Pontificis nomen ex Ecclesiasticis diptychis erasit, anno 484. Mortuo demum Acacio, Gelasius Felicis in Romana sede successor omni studio connixus est, ut perfidi Acacii nomen ex Græcarum Ecclesiarum diptychis obliteraretur, quem pariter conatum prosequuti sunt insequentes Romani Pontifices, Anastasius, & Symmachus, inani tamen opera. Sed rem demum obtinuit Hormisda Pontifex, Justino fretus religiosissimo Imperatore, sub quo ablatum diuturnum schisma, & pax inter Orientis, & Occidentis Ecclesias felicissime restituta, damnata duorum præcedentium hæreticorum Imperatorum Zenonis, & Anastasii memoria, deletisque sacris ex tabulis eorum simul, & Acacii, cæterorumque sequacium infaustis nominibus, post sex & triginta perniciosi schismatis annos ab excommunicatione Acacii.

IV. Fidem quoque facit Theodoritus lib. 5. hist. Eccl. cap. 34. circa gravissimum dissidium occasione Joannis Chrysostomi, factione Eudoxiæ Augustæ, & Theophili Alexandrini, qui dicto ad Quercum conciliabulo præsidens Chrysostomum injustissime damnarat, & Episcopatu ejecerat. Sed Innocentius Papa innocentis Episcopi suscepta discussaque causa, ipsum conciliabuli decretum abrogavit, atque in exilio defuncti memoriam honorifice restitui curavit; nec aliter pax inter Occidentis, & Orientis Ecclesias studiis divisas iniri potuit, nisi restituto ad sacras tabulas Joannis Chrysostomi nomine.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De veteribus in sacrosancta Eucharistia solitis adhiberi ritibus.

DISSERTATIO XVI.

I. EOrum quamplurimi obsoleverunt, vel a recentioribus Ecclesiæ Canonibus in melius commutati sunt. In primis perspicuum est divinam Eucharistiam primis quinque integris sæculis in manus etiam laicorum dari solitam fuisse: quibus liberum erat eandem in proprios lares deferre, & privatim asservare. D. Cyprianus tract.

tractat. de lapsis, multa colligit exempla eorum, qui Sacramentum istud indignis manibus acceptum, nec minore indignitate penes se custoditum, senserunt sibi exitiale, divinamque suæ temeritatis ultionem sunt experti. At vero miraculosa beneficia iis collata, qui ad hoc Sacramentum privatim asservatum pia devotione recurrerunt. Ut de aliis sileam, de sorore sua Gorgonia Gregorius Nazianzenus, & de Satyro fratre suo Ambrosius, singulis quisque orationibus in ipsorum funere habitis retulerunt: Gorgoniam a gravi, qua premebatur ægritudine, effusis coram Sacramento precibus, quod illa in privato conservabat oratorio, liberatam: Satyrum vero in naufragio a fluctibus in quos ille se conjecerat ereptum, atque in locum tutum mirifice translatum, eo quod sacratissimam Eucharistiam orario involutam, sibi ad collum alligari curasset. Similem nunciat eventum suo tempore accidisse Gregorius Papa Magnus lib. 3. Dialogorum c. 36. de Maximiano, ejusque sodalibus, qui in naufragio constituti, sacram, quam supra se gerebant Eucharistiam ore devotissime sumpserunt, ejusque virtute ad littus delati sunt. Denique Basilius in sua ad Cæsariam Patriciam epistola sic scribit. Aliquem vero manu propria sumere Eucharistiam ubi non est Sacerdos minime grave esse, supervacaneum est ostendere; propterea quod res ipsa longa consuetudine probetur. Omnes enim qui sunt in desertis Monachi, ubi non est sacerdos, illic habentes communionem ex seipsis illam sumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto, unusquisque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte communionem habent domi. Postquam vero compertum in Hispania fuit, Priscillianistas hæreticos per immane sacrilegium sacratissima Eucharistia in magicis præstigiis abuti, Concilium Toletanum primum anno 405., & Cæsaraugustanum can. 3. jusserunt acceptam Eucharistiam in ipsa Ecclesia per communionem absumi. At extra Hispaniam, quo se hæresis hæc non extenderat, pristina etiam consuetudo, & libertas perdurarunt.

II. Synodus Quinisexta, ineunte octavo sæculo habita, nimirum anno 707. non permittit communicantes Eucharistiam aliquo vasculo, quantumvis pretioso, sed solis manibus in crucis figuram conformatis excipere. Hoc idem suadet Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mystag. 5. Eumdem veterem, communemque ritum commemorat Chrysostom. lib. 3. de Sacerdotio. *Qui cum Patre sursum sedet omnium manibus continetur*. Alicubi tamen fœminæ divinum Sacramentum linteamine excipiebant, ut docet Augustinus serm. 25. Maximus martyr, & Monothelitarum debellator, admonet communicaturos viros, ut prius manus abluant, quibus sunt Sacramentum excepturi: at vero fœminas, ut mundissima linteamina deferant, supra quæ a Sacerdote corpus Christi deponatur inter earum manus. Denique Antisiodorense Concilium anni 578. statuit can. 36. *Non licet mulieri Eucharistiam nuda manu accipere. Deinde can. 42. Ut unaquæque mulier quando communicat, Dominicale suum habeat. Quod si quæ non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Illud ipsum est quod admonet Augustinus dicto sermone 252. de temp. *Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Christi excipiant.*

III. Infantibus etiam lactentibus ab ipsis Ecclesiæ incunabulis administrabatur Eucharistia, eorumque infundebatur ori Christi sanguis de sacro Calice. Cujusmodi refert Cyprianus exemplum insigne tract. de lapsis, de puellula recens nata, quam parentes Christiani persecutionem fugientes nutricis curæ commiserant; illis absentibus, gentiles puellulam idolis initiarunt, rei, quæ gerebatur inscia, rationisque prorsus impotem, quam necdum valentem quidquam cibi deglutire vino potarunt idolis oblato: paulo post, sedata tantisper procella persecutionis, parentes puellam ad se reversi recipiunt, atque ad sacram Synaxim offerunt; quæ cum nondum obfirmatis gengivis solius alimenti liquidi capax esset, offertur ei a Diacono Dominicus de calice sanguis; illa vero toto corpusculo violenter commota, omni nixu reluctatur, sed tandem majore vi gerularum cedere coacta, liquorem ingestum invita transmisit stomachum, sed mox evomit. Communionis Eucharisticæ infantium meminit Augustinus ep. 107. ad Vitalem sic dicens: *Scimus* parvulos secundum ea, quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum vel ma-

malum. Unde, & ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea, quæ per corpus gesserunt, id est, tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, *quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt judicabuntur*. Hactenus Augustinus.

IV. Nicænæ Synodi prioris Canon Arabicus 10. ita sancit: *Nati benedictionem accipiant secundum Ecclesiæ legem, & constitutionem, nimirum post quadragesimum a nativitate diem, nec ultra hoc tempus differendum est: sed baptizentur, & Christiani efficiantur sine ulla cunctatione, ut sacram suscipiant Eucharistiam, & edant panem, & vinum bibant, quæ sunt caro, & sanguis Domini, & Dei nostri Jesu Christi.* His accedat Sancti Paulini testimonium, qui epist. 12. ad Severum, versus commemorat a se conditos, quos in Basilicæ Nolanæ baptisterio capitalibus scribi voluit literis.

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu:
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

V. Idipsum fuisse in Gallia usu receptum tempore ipso Hugonis Victorini, Rosveidus in hunc Paulini locum annotat, producens ipsius Hugonis verba ista lib. 1. de cæremoniis Ecclesiasticis cap. 20. *Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum, digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt*. Citat Hugo ibidem verba quædam ex Augustino lib. 1. contra duas epistolas Pelag. c. 22. Verum in illo Augustini loco nihil hac de re legitur. Sufficiat ergo locus Augustini paulo ante adductus ex ejusdem ad Vitalem epist. 107. Abraham Echellen Maronita, rituum Orientalium peritissimus, in suis ad Nicænos Canones Arabicos observationibus, fidem facit, hunc in multis Orientis regionibus vigere morem infantes communicandi, ut intinctum sacro sanguini digitum Sacerdos infanti exsugendum præbeat. Sed tractationem istam claudat Tridentini Concilii Decretum sess. 21. cap. 4. *Denique eadem sacrosancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit aliquando. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam, pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est*. Porro ex utroque jam commemorato veteri ritu porrigendi Eucharistiam laicis ipsis, domum si Iuberet deferendam, sub sola panis specie; itemque tenellos infantes communicandi sub sola specie vini, hoc dilucide constat posse fidelem populum sub una specie communicare.

VI. Fuisse insuper receptissimam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudinem istam legimus apud Evagrium lib. 4. hist. Eccles. cap. 36. pueros ex scholis arcessendi, ad comedendas Eucharistiæ particulas, quæ de populi communione supererant, ne situ corrumperentur. Qua occasione miraculum narrat insigne nati ex parentibus Judæis pueri, qui cum scholæ sodalibus accitus de Sacramento simul comederat. Quod ubi pater rescivit tanto exarsit furore, ut innocentem, ac simplicem puerum in fornacem accensam conjecerit. Mater sceleris paterni inscia puerum aliquot dies flebiliter conquisivit, qui tandem auditis ejulatibus maternis e fornace respondit. Ad stupefactæ matris diligentiam recluso fornacis hostio, puer instar trium Hebræorum puerorum veterum in Babylonica fornace conjectorum, visus est in mediis ignibus incolumis, & illæsus, indeque eductus narravit se a patre in ignes trusum, a divina, eximiaque quadam matrona exceptum, ejusque pallio circumfusum non sensisse flammarum ardorem. Quinetiam ne fame molestaretur, subministratum ab eadem fuisse cibum, & potum. Puer liberatus una cum conversa matre ingenti populi concursu, & celebritate, initiatus est baptismo. Pater autem obstinatissimus damnante Justiniano Augusto ob admissum in filium scelus, affixus est cruci.

VII. Ab ipsis Romanæ Cathedræ primor-

mordiis, ad significandum omnium orbis Ecclesiarum contensionem, & communionem cum Romana indivulsam, consuetudo viguit, ut Romanus Episcopus sacram per internuncios mitteret ad cæteros Episcopos Eucharistiam, qui cum Romana Ecclesia, & Apostolica Cathedra communionem, & observantiam religiose colebant. Id constat certissimo Irenæi Lugdunensis testimonio, quod de ejusdem ad Victorem Romæ Pontificem epistola refert Eusebius lib. 5. Hist. Eccles. c. 24. Cum enim statuisset Victor nonnullas Asiæ Ecclesias a communione fidelium rescindere hac de causa, quia in celebratione festi paschalis ab aliis omnibus dissidebant; Irenæus pacis, juxta nomen suum, studiosissimus, ut Victorem ab isto conatu dimoveret, exemplum adducit præcessorum Pontificum, quibus solemnis erat consuetudo mittendi ad Asianos, sicut & ad alios Episcopos, sacram Eucharistiam, ad Catholicæ communionis, ac societatis pignus, & mutuæ dilectionis indicium.

VIII. Mos item in Romana Ecclesia olim invaluit, ut in communione Eucharistica vinum, in quod pars aliqua sacratissimi sanguinis ex mystico calice infusa fuerat, populo subministraretur, loco sanguinis: sic enim loquitur Ordo Romanus ex Alcuini libris, in quibus allegatur procul dubio antiquior ipsomet Alcuino, sub finem tituli de officio Missæ: *Sed ipse Pontifex confirmatur* (hoc est communicat) *ab Archidiacono, in calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, seu scyphum, quem tenet Acolytus, ut ex eodem sacro vase confirmetur* (idest communicet) *populus: quia vinum, etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per omnem modum*. Ita liber Ordinis Romani.

IX. In eadem Romana Ecclesia, consuetudine receptum fuit, ut Episcopus a Romano Papa consecratus communicaretur super altari, quo die consecrabatur, de parte sacræ hostiæ, quam ei Papa consecrator porrexerat. De reliquis autem ejusdem hostiæ partibus per insequentes quadraginta dies communicabat novus Episcopus, dieque quadragesimo perficiebatur totius hostiæ consummatio, ut Alcuinus tradit de divinis Officiis tit. Qualiter Episcopus ordinetur in Romana Ecclesia. Simili ritu Ecclesia Senonensis usa diu fuit, cum septem sibi suffraganeis Ecclesiis Cathedralibus, ut fidem facit Fulbertus Carnotensis Episcopus ep. 2. ad Finardum, *Nostri enim Episcopi Provinciales in hujusmodi ritum omnes consentiunt*. Ordinatus itaque in Sacerdotium de manu ordinantis hostiam sacram sumebat, cujus partem quotidie ad altare consumere tenebatur, donec integra hostia quadragesimo die demum consumeretur. Atque hujus particularis ritus mysticas rationes Auctor ibidem prosequitur.

X. Inoleverat variis in locis consuetudo, ut etiam mortuis fidelibus Eucharistia daretur. Sed hoc districte prohibet Concilium Carthaginense tertium, circa tempora Siricii congregatum can. 6. Prætereaque Hipponense can. 5. Item Antissiodorense anni 578. can. 12. Pariterque Synodus in Trullo Quinisexta can. 83. Refert tamen S. Gregorius Papa lib. 2. Dialogor. c. 24. Sanctum Abbatem Benedictum viris quibusdam in manus tradidisse corpus Domini, ut collocarent super cadaveris pectus, quod bis terræ sepultum, terra ipsa bis ejecerat: sed tertio sepultum cum Eucharistia ad pectus terra sinu suo continuit. Ex Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum epistola refert Eusebius lib. 6. Hist. Eccles. cap. 44., felicem e vita exitum senis Serapionis Ægyptii, qui per infirmitatem persecutione sæviente Idolis sacrificaverat, & mox facti sui pœnitens reconciliationem, quam multis gemitibus ab Ecclesia postulabat, ob delicti gravitatem non potuerat obtinere. Hic in gravem delapsus ægritudinem triduo jacuit sensibus, & voce destitutus. Quarto die paulisper relevatus, accersito nepote rogat, ut Sacerdotem, a quo reconcilietur adducat. Quia vero Dionysius Episcopus mandaverat, ut quicumque pœnitentes in vitæ discrimen adducti, sine mora reconciliarentur, Sacerdos cum ipse quoque morbo decumberet, puero exiguam Eucharistiæ partem dedit mandavitque ut ægrotum Serapionem conveniens, madefactam in os infunderet illius: Serapion voce, & sensu paulisper recuperatis dixit: *Venisti fili? quamvis presbyter non potuerit advenire, id præsta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me in pace discedere*. Puer madefactum Sacramentum in os senis

nis ingessit, quod ut ille in stomachum dimisit, spiritum Deo reddidit. Hic observa, urgente necessitate, cum neque Sacerdos, neque Diaconus præsto esset, adhibitum pueri ministerium ad impertiendam Eucharisticam communionem, contra Canonum sacrorum præscripta.

XI. Mos quoque multis in locis invaluerat, ut sacra Eucharistia sanguine Christi madefacta, & intincta communicantibus porrigeretur. Id vero fieri deinceps vetuit Julius Papa in epist. ad Episcopos Ægypti, quæ refertur cap. cum omne, de consecrat. distinct. 2. & Concilium Bracarense quartum anni 675. canon. 1. Qui tamen ritus alicubi etiam propagatus ad usque undecimi sæculi finem. Hildebertus enim, qui tum florebat, Cenomanensis primum Episcopus, deinde Turonensis Archiepiscopus epist. 64. admonet Abbatem de consuetudine ex ejus Monasterio eliminanda, qua communio Monachis præbebatur in intincta hostia.

XII. Sanctus Lucianus Presbyter, cum Nicomediæ sub immani persecutione Diocletiani detineretur in carcere, supinus jacens, & humi colligatus, eum vero Christiani circumdarent tristes, quia eis non licebat sacro interesse, vel communicare, solemni qui tunc occurrebat Epiphaniæ die, ipse vim præ animi devotione profundens lacrymarum, petiit sacra symbola suo nudo pectori superimponi divino amore flagranti, quo perinde ac altari usus, rem divinam fecit, seque, & circumstantes fideles post peractam consecrationem, fusasque solemnes preces communione divina refecit, & aliquanto post expiravit. Martyris hujus breviter meminit Eusebius lib. hist. Eccl. 8. c. 13. & lib. 9. c. 6. sed fusius ejus historiam prosequitur Simeon Metaphrastes. Extat Chrysostomi de sancto martyre Luciano panegyricus sermo, quem ait fame necatum a gentilibus, cum non alios cibos, quam idolis oblatos aut immolatos ad tentationem illi apponerent manducandos. Hanc orationem constat ex ipsius textu fuisse postridie festi Epiphaniæ pronunciatam, quæ diei circumstantia Metaphrastis narrationem firmat. His factum adjungendum Theodoriti Cyri in Palæstina Episcopi, qui sola motus voluntate piis indulgendi desideriis anachoritæ Maris, qui sponte inclusus pedem de sua cellula jam inde a multis annis non extulerat, divina ministeria intra eam cellam celebravit, usus altari non alio quam manibus sibi astantium Diaconorum expansis, ut idem de se refert Theodoritus in religiosa, quam edidit historia.

XIII. Exemplum simile pari dignum admiratione refert S. Gregorius Nazianzenus in orat. funebri parentis sibi cognominis Gregorii, pariter Antistitis Nazianzeni, quod duobus præcedentibus adjungendum duxi. Senior ille Nazianzenus Gregorius gravissima decumbebat ægritudine citra omnem spem recuperandæ salutis; universis enim viribus exhaustis eo redactus erat, ut vix extremos traheret anhelitus; Supervenerat nox illa sacratissima, quæ Christi resurrectionem præcedit, quam populus una cum clero sacris cantibus, & hymnis in cathedrali basilica peragebat. Ægrotans vero Episcopus unum ex assidentibus lecto famulis, tenui utcumque voce poterat, accivit, vestemque exposcit. Ille adjuvantibus conservis languidum senem induit, brachiisque vacillantem sustentat: qui egressus lecto inter sustentantium brachia absque ullo altari, intra idem conclave sacra mysteria confecit, & quam confecerat Eucharistiam ore sumpsit: prolataque quasi ad populum benedictione in lectum elatus est, placideque somnum cepit, & somno transacto exiguo cibo refectus est, febre solutus postquam experrectus est. Id admirabile factum sanctus ejus filius hisce verbis exprimit. „Fractis ac debilitatis manibus ad orationem compositis, alacri animo cum populo, vel ante populum mysteria peragit, paucis quidem, & quibus poterat verbis, mente autem, ut mihi videtur, perquam integra. Rem miram! sine sacrario in saerario, sine altari sacrificus". Id ita gestum divini spiritus motioni attribuit ejus filius Gregorius dicens: „Atque ita in eo operabatur Spiritus sanctus. Idque satis arguit miraculum de repente recuperatæ antea desperatæ salutis momento inexpectato instauratæ".

P. JO-

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Eulogiis.

DISSERTATIO XVII.

I. Eulogiæ erant ex panibus excisæ particulæ, precibus solemnibus benedictæ, in signum Catholicæ in fide, & charitate communionis, inter fideles distribuendæ. Harum referunt multiplices species antiquorum monumenta: quædam enim erant panis azymi, quædam panis fermentati. Aliæ item publicæ, aliæ privatæ censebantur. Prima Eulogiarum institutio solas azymas, nec ullatenus fermentatas admittebat. Hac nimirum ratione, quia dispertiebantur fidelibus illis, qui sacrosanctæ Eucharistiæ non fuerant participes: earum enim materia ex panibus erat ad mysticam consecrationem destinatis, quæ primis sæculis ubique in Oriente, & Occidente non aliter quam in azymis fiebat. Panes itaque azymi, antequam ad sacrum Altare deferrentur, apponebantur in Diaconica mensa, ibique solemnibus orationibus benedicebantur; quibus peractis cultro, quem Græci *sacram lanceam* vocant, in multas dissecabantur partes, quarum aliquæ ad consecrationem, & mysticam Altaris communionem tam Sacerdotis, quam populi secernebantur; reliquæ vero citra mysticam consecrationem, pro fidelibus, qui Eucharistiæ non participarant, nec tamen Catholicæ, & Ecclesiasticæ communionis exortes erant, seponebautur, & in symbolum quoque communis fraternæque unionis distribuebantur manducandæ. Post debellatos magni Constantini armis tyrannos Ecclesiæ Christi persecutores, ruinis jam deficientis Paganismi Ecclesia mirifice aucta propagataque fuit, qua occasione Melchiades ejus temporis Romanus Pontifex constituit, ut non tantum ex azymis, ut olim fieri solebat, sed etiam ex fermentatis panibus conficerentur. Idque in Pontificali auctor vitæ illius insinuat: *Hic fecit, ut oblatione, consecratæ per Ecclesias ex consecrato Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. Inde liquet ab Episcopo solitam impertiri benedictionem istam, qui hasce deinde Eulogias ad titulorum Presbyteros, id est Parochos dirigebat istique subditis sibi fidelibus largiebantur: qui ritus brevi omnes Occidentis provincias pervasit: non constat tamen fuisse ad orientem propagatum.

II. Altera fermenti mentio in Siricii vita sic legitur: *Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum*. Vox ibi *consecratum*, perinde est ac vox *benedictum*. Tertia ejus mentio ab Innocentio Papa primo, in epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, cap. 5. *De fermento vero, quod die Dominico per titulos mittitur, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non judicent separatos: quod per Parochias* (scilicet rurales atque ab urbe longe remotas) *fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta* (id est res benedictæ ac precibus sanctificatæ, licet non censeantur de numero sacramentorum strictius usurpatorum septennario) *nec nos per cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam*. Vult hoc loco Innocentius eamdem per cunctos Episcopatus circa Eulogias fermentatas servari consuetudinem, quæ Romæ usitabatur. Quarta demum fermenti mentio est in perantiquo Romano libro, quem citat Baronius his verbis: Quinta Dominica in Quadragesima, Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi.

III. In

III. In Oriente celebrata Synodus Laodicena can. 15. ita sciscit: *Ne sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ in alias Parochias transmittantur*. Cujus decreti ratio est: quia cum Paschalibus festis omnes fideles Eucharistiam sumant, superflua fuisset minor communionis fidelium (quæ per Eulogias fit) significatio, quæ diebus aliis non communicantibus Eucharistiam fidelibus impertiebantur. Est præterea Laodicenus can. 32. prohibens ab hæreticis Eulogias sumere. Cujus ratio constat: quia cum dentur Eulogiæ in signum communionis ac unionis fidelium, is qui ab hæreticis acciperet, protestaretur ipso facto cum eorundem secta communionem ac societatem. Eadem insuper Synodus can. 49. sancit non esse in Quadragesima panem offerendum aliis a Sabbato, & Dominica diebus. Illi qui panem hunc ibi de Eucharistia intelligunt, rationem istam decreti proferunt, una cum Græco commentatore Theodoro Balsamone, quia non celebrantur apud Græcos sacræ Liturgiæ, neque participatur Eucharistiæ Sacramentum diebus jejuniorum, & quia Sabbatis, & Dominicis totius anni, etiam intra Quadragesimam occurrentibus, ab Apostolorum usque ætate prohibita sunt apud Ecclesias Orientis jejunia. Alii vero canonem de Eulogiis exponentes rationem adducunt istam: quia præscripta quadragesimalibus diebus jejunia comestione Eulogiarum infringerentur; quæ quidem infractio non est pertimescenda Sabbatis, & Dominicis, quibus apud Orientales jejunia vetantur.

IV. Catechumenis aliquando datæ fuerunt festis Paschæ diebus Eulogiæ, quia vice erant ac supplemento Eucharistiæ, quam iisdem sumere nefas erat; quatenus ante Baptismum res est nefaria, & sacrilega participatio alterius cujuscunque proprie dicti Sacramenti. Sed Eulogias catechumenis tandem conferri prohibuit Concilium Carthaginense tertium can. 5. eo quod nondum in Ecclesiam sint admissi, permisitque eis dumtaxat salis prægustationem, quam nihilominus idem *Sacramentum* vocat, largiore nimirum significatu. Quo eodem usurpat August. dum sic de catechumenis loquitur lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. *Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur*, quoniam sacramentum est. Idque sacramenti nomen de Eulogiis usurpat paulo ante prolatus Innocentii Pontificis locus. Theophilus similiter Alexandrinus, can. 8. decernit oblatorum ad Altare minime participes esse debere catechumenos: sed solum Clericos, & plebem mysteriis initiatam.

V. Priusquam fuisset institutum fermentum, editus est de Eulogiis a Pio Papa primo canoniste, *Ut de oblationibus quæ offeruntur a populo, & de consecrationibus quæ supersunt, nec non de panibus quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias, hoc est panem benedictum, omni die Dominico, & diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat*. Iste ritus etiam nunc a Græcis Clericis observatur Romæ post celebratam ab ipsis Liturgiam Græco ritu intra sacram S. Athanasii Basilicam. Denique sæculo nono Leo Papa quartus, idem qui adversus Saracenos in Italia grassantes Vaticanam Ecclesiam, & suburbium munitionibus cinxit, eique parti nomen Leoninæ urbis indidit, ita sancivit epistola encyclica ad omnes ubique Sacerdotes: *Eulogias post Missas in diebus festis plebi distribuite*. Antiquissimus ille oblationum populi ritus, ex quibus sacra subinde conficienda erat Eucharistia, cum distribuendis Eulogiis, confirmatur ista Cypriani Carthaginensis querela, de opere & eleemosynis: *Locuples & dives es & Dominicum celebrare te credis, qui corbonam omnino non respicit, qui in Dominicum sine sacrificio venis, qui & partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis*. Similem renovat quærimoniam August. ser. 215. de temp. *Oblationes, quæ in Altari consecrentur, offerte; erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicat*. Eamdemque materiam sermone sequenti fuse quoque prosequitur idem Augustinus.

VI. Ne vero privatas Eulogias silentio involvamus, quas scilicet privatim amici inter sese ultro citroque mittere consueverant, Paulinus, epist. 1. in fine, vini Campani Eulogiam mittit ad Severum. Idemque aliam ad Augustinum, & alteram ad Aly-

Alypium, ut legimus epist. 31. apud Augustinum, & epist. 35. Idemque ad Romanianum, & Licentium alias mittit eulogias ex pane. Augustinus vicissim eulogias ad Paulinum mittit epist. 34. Atque ista satis, ut ad alia progrediamur.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De fermento: & quidnam rei inter priscos Ecclesiæ Romanæ ritus fuerit.

DISSERTATIO XVIII.

I. AD hauriendum hujus difficultatis elucidationem, in memoria revocanda sunt tria loca ex vita Melchiadis, & Siricii, Romanorum Pontificum, accersita; nec non ex Innocentii I. Papæ etiam Romani epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum. Et quidem qui prior est locus manifeste arguit distribuendi fermenti institutionem sua habuisse primordia a Melchiade Papa, cum tamen institutio distribuendæ Eucharistiæ, quam nonnulli cum fermento confundi volucre, sit divinæ ab uno Christo originis: eamque Petrus Apostolus primus Romanis tradiderit.

II. Porro secundus, qui est Siricii Papæ, locus, tantum abest, ut propter fermenti a Papa, vel quolibet Episcopo, benedicti, seu consecrati distributionem, cunctis inferioris gradus Sacerdotibus prohibeatur sacrosanctæ Missæ celebratio, ut adversarii contendunt, quin potius eos omnes ad sacrificandum adeo decernit obligari, ut non aliter fermentum ab ipsis distribui permittat, nisi postquam Deo sacrificaverint.

III. Tertius denique textus, qui est Innocentii, admodum perplexus, & obscurus, perspicue tamen hoc docet, fermentum non esse sacratissimam Eucharistiam, quatenus officium transportandi fermenti, non Sacerdotibus non Diaconis, imo ne ipsis quidem Subdiaconis, contra debitam vivificæ Eucharistiæ venerationem, & laudabilem veteris Ecclesiæ consuetudinem; sed solis infimis clericulis Acolytis assignat.

IV. Sed si quis insistat tribus his locis, fermento nomen attribui *Consecrati*, vel *Sacramenti?* Expedita responsio præsto est, qua hujusce teli, si qua sit, acies retunditur. Certum quippe est his quoque vocabulis exprimi solitas quascunque eulogias fuisse. Cui veritati adstipulatur Concilii Carthaginensis tertii can. 5. dicens: *Placuit ut per solemnissimos dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal.* Augustinus pariter lib. 2. de pecca. merit. cap. 26. ait: *Et quod accipiunt catechumeni, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.*

V. Qui vero recentem hanc opinionem invexerunt, alios simul nequaquam negligendos errores induxerunt: in primis, fermentum nihil aliud aut minus fuisse, quam adorandum Corpus Christi. Secundo, erroneam fuisse Ecclesiæ Romanæ persuasionem, aut nunc esse, quam sibi traditum ab Apostolis Petro, & Paulo jam inde ab initio, ut in fermento consecraret, nunc vero oppositum ab eadem Rom. Ecclesia simul doceri, & districte juberi, quasi Petri, & Pauli inviolabile præceptum, ut non aliter in Romana Ecclesia, nisi in azymis sacrificetur. Tertio etiamsi stabilita Ecclesiæ pace in amplissima, & populosissima totius orbis terrarum civitate innumeræ sparsæ essent sacræ basilicæ, edictis Romanorum Pontificum solicite cautum fuisse, ne plusquam in una Romanæ urbis Ecclesia, neve plus una per totam civitatem Missa, festis etiam solemnioribus, & Dominicis diebus, quisquam Sacerdos celebrare præsumeret: atque sine ullo Sacerdotum, vel populi crimine ferale interdictum Romam universam occuparet, adeo ut fieri non posset, ut quantumcunque sese miserandus populus comprimeret, ex quinque millibus vix duo, treisve homines ad se insinuandum in confertissimas turbas robustissimi, Sacro possent interesse, Dominicis etiam, & Paschalibus diebus.

bus. Idemque strictissime ritus præscriberetur, & servaretur quacunque protenduntur occiduarum Provinciarum Ecclesiæ, ipsique Sacerdotes propemodum omnes tota fere vita nullum Deo sacrificium litare possent. Qui quartus est error, si non modo Romanus Princeps Pastorum necessariis pascuis proprias sibi viciniores prohibuisset oves perpetua fame perimendas, sed aliis quoque minorum Ecclesiarum Pastoribus jussisset, ut omnia penes se pascua, fontesque salubrium aquarum, commissis suæ curæ ovibus, & agnis intercluderent: non enim aliter mandatum Innocentii ad Decentium Episcopum intelligi volunt.

VI. Quintus demum ista opinantium accedit error, idemque insignis: nullum fuisse per octingentos annos penes Latinas sive Europæ, sive Africæ Ecclesias, Eulogiarum usum. Undenam quæso tam præceps asserendi fiducia? Censentne Augustinum, & Paulinum fuisse vel origine, vel Episcopatu Græcos, aut non nisi post octingentos a Christo annos prodiisse? Constat vero ex mutuis amborum literis Eulogias inter sese transmisisse. Pius etiam Romanus Pontifex, & Martyr decretum edidit de oblationibus populorum in hæc verba: *Ut de oblationibus quæ offeruntur a populo, & de consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt Fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase mundo, & convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Melchiades etiam, referente in ipsius vita Damaso, simile decretum edidit. Præterea Carthaginense Concilium tertium anni 397. can. 5. edixit de Catechumenorum Eulogiis, certe Catechumenis ad Eucharistiam nullus erat accessus.

VII. Illius porro assertionis de unico nec iterabili in universa civitate Romana sacrificio, & similiter in omnibus, & singulis Episcopatibus, atque ita cunctis Sacerdotibus ubique interdicta in perpetuum Missa, evanescit falsitas per eam rationem, qua Sancti Patres discrimen assignant inter Sacerdotes veteris, & novæ Legis, quorum illi ab uxoribus se continebant solo tempore, quo secundum vices suas incumbebat illis sacrificandi ministerium; cum sit secus judicandum de Sacerdotibus Ecclesiæ Christi: quia non per certas vices, sed quotidie sacrificium, & quidem sanctius, & divinius offerunt. Hanc discriminis causam Siricius Pontifex in epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. postquam adduxit, sic ait: *Nostri autem Sacerdotes Deo QUOTIDIE sacrificant, ut in his quæ QUOTIDIE offerimus sacrificiis Deo nostro placeamus.* Et qui de fermento mandavit ille ipse Innocentius Papa I. scribens ad Victricium Rothomagensem Episcopum cap. 7. hoc idem urget argumentum dicens: *Tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes, & Levitæ cum suis uxoribus non coeant, quia mysterii QUOTIDIANI necessitatibus occupantur.* Et mox: *Nam si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus; quanto magis Sacerdotes Ecclesiæ, vel Levitæ, pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec PRÆTERITI DIES, qua vel a sacrificiis divinis, vel a Baptismatis officio vacent: Nam si B. Paulus ad Corinthios scribit: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utique Laicis præcipit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & SACRIFICANDI JUGE OFFICIUM EST, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere?* Ipsemet Papa Innocentius idem iterat argumentum in epist. ad Exuperium Tolosanum Episcopum cap. 1. His addendum Concilium Toletanum primum anno 400. can. 5. dicens: *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad SACRIFICIUM QUOTIDIANUM non accesserit, Clericus non habeatur.*

VIII. Quinetiam Leo Papa Magnus ad Dioscorum scribens Alexandrinum epist. 11. alias 81. his illum verbis commonet: *Ut autem in omnibus observantia* nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quæque festivitas Conventum populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere semel una basilica non possit, Sacrificii oblatio simul indubitanter iteretur,

ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma (nota hæc) paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis fide, & actionibus *congruamus*. Sane Leo Magnus indignum non judicasset, quod pars populi Alexandrini festivitatum diebus Missa frustraretur, neque Dioscorum Episcopum hortaretur, ut in hac re ritum Ecclesiæ Romanæ sequeretur, si res ipsa deteriore loco Romæ foret, majorque fidelium Romanorum pars ab audiendo sacro excluderetur, eo futili prætextu, ne qualicunque die intra Romam, cujus mœnia quinquaginta milliaribus, teste Flavio Vopisco, protendebantur, plusquam una Missa celebraretur.

IX. Quorsum igitur Magnus ille Constantinus tam multas sacras basilicas excitarat, incredibili splendore, atque magnificentia locupletissimis latifundiis, & censibus ditaverat, donariis pretiosissimis decoraverat, si una fortassis excepta, cæteræ omnes solitariæ, divinoque cultu futuræ erant destitutæ; Veruntamen non usque adeo sordide irreligioseque actum fuit: adhuc enim visuntur, & supersunt etiam in minimis, & antiquioribus Romæ Ecclesiis, quales sunt sancti Clementis ad amphiteatrum, sanctorumque Martyrum Nerei, Achillei, & Domitillæ ambones, sanctuaria, Altaria, sacræ portæ, Diaconicę mensæ, certissima monimenta Missarum in eisdem omni apparatu olim celebratarum. Quis vero ambigit, vel ignorat in plerisque minoribus Ecclesiis inter Missarum solemnia, ut ille testatur expresse in sua ad illas præfatione, quales sunt (ut celebriores taceam) Ecclesiæ Sanctæ Felicitatis, S. Stephani, S. Andreæ, SS. Marcellini & Petri (& ista quidem notatur habita in die Dominica) S. etiam Sylvestri, S. Agnetis, B. Felicis, B. Laurentii, S. Pancratii, SS. Nerei, & Achillei, SS. Processi, & Martiani, S. Clementis, SS. Joannis, & Pauli (quæ etiam habita prænotatur Dominica die) S. etiam Mammæ, SS. Philippi, & Jacobi, Dominica quoque die: iterum S. Clementis in die Dominico. Quis vero existimet quando in arctis, & angustis illis locis sanctus ille Pontifex diebus etiam Dominicis sacrum peragebat, nullam fuisse aliam in tanta urbe Missam.

AD CAPUT VIII.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO E SOCIETATE JESU

De cantus Ecclesiastici origine & forma.

DISSERTATIO XIX.

I. Cantum alternis choris in Veteri Testamento adumbratum, & ad Seraphicam imitationem fuisse institutum, scribit S. Isidorus Hispalensis de Offic. lib. 1. Isajæ enim cap. 6. duo Seraphim clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus; indeque duos choros sibi alterna modulatione accinentes repræsentabant. Hinc cantus quocumque ævo ad laudandum Deum fuit adhibitus. Moses post maris rubri transfretationem Canticum elucubravit. Maria ejus soror sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino gloriose: David stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Canticum autem dicebatur, quid-

quidquid cani solebat, ad quod refertur tam multiplex in antiqua lege mentio Cantorum, ac Musicalium instrumentorum, ut Divina præconia ordinatissimis vicibus celebrarentur.

II. In nova vero Lege Christianos ab ipso Domino, & ab Apostolis Psalmos, & Hymnos canendi habere documenta, & exempla, & præcepta S. August. Ep. 119. inconcussum tradit. Christus sane, & Apostoli post cœnam Eucharisticam Matth. 26. Hymnum decantarunt. S. Paulus scribens ad Ephes. cap. 5. cantum Ecclesiasticum præcipit: Loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis Spiritualibus, cantantes, & psallentes. Plinius cap. 97. refert Christianos in conventibus Carmen Christo quasi Deo dicere. Tertullianus in Apologet. cap. 39. testatum facit post Agapen rogatum e cætu aliquem fuisse, qui canticum caneret. Ut unusquisque de Scripturis Sacris, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Coævus itaque Religioni Christianæ asserendus est cantus Ecclesiasticus; adeoque superfluum videtur huc sexcenta congerere Patrum testimonia ad probandam adversus Novatores ejus antiquitatem.

III. Verum nodus vindice dignus occurrit, quo potissimum tempore Cantus alternis Choris obtinuerit. Socrates lib. 6. cap. 9. refert, Ignatium Antiochenum Antistitem, & Martyrem, ubi vidisset in excessu mentis suæ Angelos alternis Hymnis Sanctissimam Trinitatem collaudantes, psallendi formam in ea visione expressam Ecclesiæ tradidisse Antiochenæ, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus Catholicis est recepta. Nec Socratis auctoritatem elevat Theodoretus, juxta quem lib. 2. cap. 19. Flavianus, & Diodorus Antiocheni Presbyteri adulto jam sæculo quarto, primi Choros psallentium in duas partes diviserunt, & Davidicos hymnos alternis canere docuerunt; quod Antiochiæ fieri cœptum, ad ultimos terrarum fines pervenit. Namque vel de solis Davidicis Psalmis intelligi debet, uti ferunt ejus verba, vel morem hunc dumtaxat restituerunt, qui Apostolorum ætate, ipsiusque Ignatii viguerat. Haud secus idem Theodoretus Hist. Eccles. lib. 4. cap. 29. & Nicephorus lib. 9. cap. 19. exponendi sunt; cum S. Ephrem Syro harmoniacam modulationis inventionem tribuunt; quod nimirum vel antiquum cantum in aliqua particulari Ecclesia instituerit, vel canendi methodum, & notulas intervallorum, ac vocum indices aliqua faciliori ratione innovarit. Porro modico quidem temporis spatio cantus in duos Choros divisus Ecclesiam omnem pervasit. Testatur enim S. Basilius epist. 93. ad Neoces. Ecclesias Ægypti, Lybiæ, Thebaides, Palestinæ, Arabiæ, Phœniciæ, Syriæ, & plures alias solemnioribus diebus ante lucem Templum subire consuevisse, ut in duas partes divisi alternis succinentes psallerent. In Cœnobiis tamen Cassiani tempore ritus erat diversus. Nam sedentibus cæteris, & ad vocem psallentis intentis unus in medio psalmum solus cantabat; imo quantalibet multitudo convenisset, nunquam plures psallebant in Synaxi, quam quatuor fratres.

IV. Quod ad Ecclesiam Latinam attinet, extra dubitationis ansam positum est S. Ambrosium primum fuisse, qui Græcorum imitatus exemplum, alternatim canendi modum usurpavit ad levandum populi tædium, qui noctes integras, furente persecutione Justinæ Augustæ ab Arianis excitata, in Templo transigebat. Omni exceptione major est hujus instituti testis S. Augustinus, qui illius exordia spectans dixit: Tunc hymni, & psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium institutum est, & ex illo .... per cetera orbis. Augustini testimonio lib. 4. Confess. cap. 9. suffragatur Paulinus in vita S. Ambrosii: In hoc, ajens, tempore primum Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi cœperunt. Enim vero quod S. Paulinus Antiphonas dicit, seu in Antiphonarum modum canere, nihil aliud est quam quod superius tradidit S. Basilius: in duos choros divisos alternatim psallere. Quæ interpretatio plane eruitur ex I. Concilio Toletano vetante, ne ulla professa, vel vidua absque Episcopo, vel Presbytero in domo sua Antiphonas cum Confessore, vel servo suo faciat, idest ne ad statutæ Antiphonæ symphoniam alterna modulatione sibi respondeant. Quocirca hallucinantur immanissime, qui S. Damaso alterni Chori institutum adscribunt, quippe qui invectum

a S. Ambrosio sua dumtaxat Pontificali auctoritate confirmavit.

V. Ex cantu alterno in Ecclesia recepto consequebatur, Cantores ad eum dirigendum esse instituendos: quod præstitere Laodicenum Concilium can. 15., & Carthaginense IV. Cantoribus qui Psalmistæ etiam, atque Confessores dicebantur, quartum locum inter ordines Minores adscribentia. Subinde cum populus Cleri vocibus suas conjungere solitus, sæpe vocum inæqualitate, atque cantus ignoratione confusionem pareret, cantu in Concilio Laodiceno can. 15. interdictus est; solique cantores id muneris sibi assumpserunt. Nonnunquam tamen Presbyteris, & Diaconis demandatum fuit: verum Sanctus Gregorius vetuit eos in posterum cantorum officio vacare, qui soli Antiphonas, & Responsoria canebant, ceteris omnibus horum cantum audientibus.

VI. Cum itaque S. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 33. ait: Donatistæ nos reprehendunt, quod sobrie psallimus in Ecclesia Divina cantica Prophetarum; innuere solummodo vult populum suum ægre cantui adsuevisse, quem in Ecclesiam suam ad S. Ambrosii exemplum invexerat, ipsum vero cantum adeo violentum non esse, ut quemadmodum Hæreticorum cantus, tubas inflammaret. Unde Concilium Trullanum magnos vocis clamores, immoderatasque vociferationes proscribit, quæ jam tunc frequentari in canendo solebant. Verum neutiquam populis etiam in Oriente libertatem sustulit penitus canendi, cum SS. Basilius, Chrysostomus, & Hieronymus Festorum solemnium vigilias ex populorum cantu, atque frequentia describant.

VII. Sequioribus temporibus Magnus Gregorius cantum plenum & unisonum adinvenit, quo postea semper usa est Ecclesia Latina. Sæculo tandem undecimo Guido Aretinus Monachus S. Benedicti, novam Musicæ rationem, novasque claves edocuit, & manum, quam vocant ex vulgaribus notis, adeo ut cantus eo pervenerit, quo loco deinceps in usu fuit.

VIII. Cæterum canendi rationum apud veteres quatuor inveniuntur genera: Directus cantus, cum chorus universus simul canebat, unicum chorum efficiens: Antiphonus cantus, cum Antiphona alternis choris cantatur: Responsorius cantus; seu ex S. Isidoro lib. 6. de Off. cap. 1. quod uno canente chorus consonando respondet. Tractus, ubi psalmus perpetuo quodam tractu, unoque spiritu, nulla mora, vel responsione interposita recitabatur.

2. Quamvis Psaltes Regius edicat: Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cithara; certo tamen certius est, nec statim ab initio, nec ubique in Ecclesia recepta fuisse musica instrumenta. Enim vero etiam nunc Romæ in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum solemnia celebrantur, & Ecclesia Lugdunensis novitatis nescia, semper organa repudiavit; at moderatus eorum usus, cum a Sanctissimis viris, & novissime a Concilio Tridentino fit approbatus, neutiquam est damnandus. Adhibita fuisse in Ecclesia, permittente Damaso Pontifice, organa pneumatica autumant quidam. Cardinalis autem Bona opinioni adstipulatur, quæ ea ætate Juliani Apostatæ fuisse adinventa, & Vitaliani Papæ tempore anno 660. in Ecclesia audita defendit. Verum organa longe prius cum aliis Musices instrumentis habuisse Ecclesiam Parisiensem contendit Grancolas Comment. Hist. in Breviar. Rom. cap. 17. Refert enim Fortunatus in vita S. Germani Parisiensis Episcopi:

Exiguis attemperat organa cannis
Inde ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces .... fistula dulce sonat.

adeoque organi descriptionem, cujus est usus in Ecclesia Parisiensi confecit. Multo itaque longius a vera recedere videtur sententia Navarrus scribens nulla in Ecclesiam ante tempora S. Thomæ fuisse invecta organa.

P. EM-

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO E SOCIETATE JESU

De antiquis Ecclesiarum Orientis ritibus in recitando divino Officio.

DISSERTATIO XX.

I. JAM adnotavimus, Divini Officii distributionem a veteribus Hebræis aliqua ex parte fuisse adumbratam: hi enim preces, & matutinas, & serotinas, Festisque præterea diebus in Synagogis lectiones e Scriptura Sacra excerptas, ac e Psalmis petitas sententias cum benedictionibus admixtas recitabant. Quæ quidem orationes matutinis, & aliæ pomeridianis, & vespertinis horis destinatæ, nec non ex variis contextæ Sacrorum Codicum locis, Dei laudes continentibus, specimen quoddam Officii nostri portendebant. Quin diversa erant illis officia, quæ nostris Duplici, Semiduplici, & Simplici, Communi proprio, & Commemorationibus respondebant. Ubi conventum erat, præibat Minister Antiphona *Kasdich* dicta, qua a Deo petebatur nominis ejus sanctificatio: ea absoluta Decalogus legebatur, quo recitato, surgebant omnes, & stantes, ac submissa voce orabant; inde minister decem orationes percurrebat, ac demum Antiphonis orationem claudebat. At subinde pessumdata ob illatam servatori suo necem Judaica Republica; pessum quoquo iere antiqui ejus ritus: quare cuilibet Synagogæ sui sunt scelestissimi mores, Germanicæ, Italicæ, Asiaticæ, cæterisque late per orbem dispersis: perfidæ enim genti, profugæ, & erranti, ut pote Caini imitatæ exemplum, servatoris sanguine de terra ad Cælum clamante, peragrare terram, non autem colere est concessum.

II. Quemadmodum autem Judæorum Breviarium, ut moderna utamur phrasi, psalterio constabat; ita & Ecclesia nascens nonnisi Psalmos, & Orationem Dominicam recitabat. Certus nempe erat singulis diei horis psalmorum numerus, quos decantatos sequebatur oratio Dominica; unde in singulis Matutini Nocturnis post Pater absolutio usurpatur; quod scilicet absolutam psalmodiam Oratio Dominica subsequeretur. Vetus itaque Officium, quod ab Ecclesiæ exordiis in usu erat, oratione Dominica, Apostolorum symbolo, ac certo psalmorum numero, quorum recitationi vacabant Clerus, & Fidelium Conventus ad orandum in communi instituti, conflabatur, juxta S. Pauli I. Corinth. 14. monita. Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant. Negare enim videtur S. Justinus, Martyr. Apol. 2. lectiones alio, quam Missæ tempore explicari, aut fieri consuevisse. Dominicis diebus Christianorum cætus celebrantur: prælegitur statim e Scripturis, quantum licet: post lectionem Episcopus exhortationem incipit, inde offerimus. Adstipulatur illi Tertullianus in Apolog. cap. 39. Ad Divinas Scripturas legendas convenimus. Author quoque Const. Apost. lib. 2. cap. 57. de variis horis orationi destinatis agens, de lectione, Missæ tantum tempore, mentionem facit. Hinc S. Augustinus Psalterium ita pro solemni Ecclesiæ oratione habuit, ut eum Presbyteri nomine indignum pronunciarit, qui illud ignoraret: Vix nomen Sacerdotis meretur, qui Psalterium ignorat. Ac primi quidem lectiones in Officium inseruere Monachi, ut eidem varietatem, sibi vero negotium compararent. Nam S. Gregorius Nyssenus in vita S. Macrinæ Psalterii dumtaxat meminit, quod variis diei horis in Monasteriis recitabatur. Assidua Psalmorum decantatio, quæ nec die, nec nocte intermittebatur. S. Joannes Chrysostomus tom. 4. in epist. ad Rom. cap. 1. hom. 28. populo suo suadens, ut noctu ad orandum surgeret, de psalmis tantum loquitur, qui de-

decantabantur. Psallat os, & imbuatur animus: non est autem vel hoc ipsum modici momenti; nam si linguam psallere docuerimus, psallente illa, pudefiet anima, contraria ab eo, quod psallitur, volens. Non autem solum hoc bonum ex eo capimus, sed & multa sciemus, quæ ad nos pertinent. Nam & de futuris disserunt tibi Davidica carmina: & de visibilibus, & de invisibili creatione, ac de ipso cælo. Auctor libri de Virginitate inter Athanasii opera psalmis orationem Dominicam adjungit: Volo, psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas voce. S. Hieronymus de Monasterii Betlehemitici officio sermonem habens, ait dumtaxat: Psalterium canebant. Auctor Epistolæ ad Virginem Demetriadem horas ad orandum præscribens, aliam ad Scripturas Sacras perlegendas designat: Præter psalmorum, & orationum ordinem, quo ibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperam, media nocte, & mane semper est exorandum, statue, quot horis Sacram Scripturam legere debeas. Paucis, Gregorius Turonensis in Vit. Patrum cap. 5. intelligi volens se nondum officium suum recitasse, psalmos se nondum persolvisse ajebat: Quod nedum Domino psalmorum decantationem debitam exsolvisset. Cassianus nocturnum officium Palestinæ Monachorum describens duodecim assignat psalmos, & orationem, duasque die tantum Dominica lectiones. Tandem S. Benedictus Divini officii ordinem Monachis suis delineans, palam pronunciat, Fidelium, qui ante se fuerunt, pietatem tantam effulsisse, ut Psalterium universum quotidie decantarent; sibi vero satis esse, si Monachi sui id semel per hebdomadam percurrant: tot autem Psalmorum loco Hymnos, & lectiones inseruit.

III. Ille igitur priscis vigebat temporibus generalis universæ Ecclesiæ in recitando Officio Divino ritus. Ad sequiora nunc deducenda tractatio, quæ peculiarem singularum Ecclesiarum normam perspectam, exploratamque faciet. Cum autem Orientales Ecclesiæ primum sint recensendæ, apud eas hanc olim fuisse Officii distributionem, ut e psalmorum cantu præcipue componeretur, qui in diei, noctisque horas divisi essent, ex præmissis abunde constat. Subinde vero Psalmis adjectæ sunt lectiones Scripturæ Sacræ, uti compertum est ex Concilio Laodiceno ajente can. 17. Plures Psalmos continenter recitandos non esse, sed inter singulos Psalmos lectionem prælegendam: Et cap. 15. de Choro agens, deque Canonicorum Exedris, eos Cantores Canonicos appellat, quod in Ecclesia canerent, atque e scripto prælegerent. Canon demum 59. vult, peculiares psalmos, aut libros minime Canonicos in Ecclesia neutiquam recitari, sed eos dumtaxat, qui in Veteris, Novique Testamenti Codicibus leguntur.

IV. Græci itaque, quorum primus S. Joannes Chrysostomus, referente Cassiodoro in ejus vita, orationes auxit in nocturnis hymnis, Psalterium dividunt in viginti quattuor stationes; ideo dictas, quia dum bini, & bini ad explendum officium accedunt, illis stantibus, cæteri sedent. Singulis Hebdomadis plerumque Psalterium absolvunt, nec plures, nec pauciores, quam Latini admittunt horas. At nocturnum officium peculiari ratione incipiunt ab istis versiculis: Benedictus Deus noster nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Rex cælestis, consolator spiritus veritatis, qui ubique es, & reples omnia, thesaurus bonorum, & vitæ largitor, veni, & inhabita nos, & munda nos ab omni macula, & salva bone animas nostras. Inde Trisagion recitant, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, Miserere nobis. Tum dicunt ter: Gloria Patri. Sanctissima Trinitas, miserere nostri, Domine dele peccata nostra, Domine parce iniquitatibus nostris, Sancte visita, & medere infirmitatibus nostris propter nomen tuum. Kyrie-eleison. Hic ter: Gloria Patri. Quoniam tuum est regnum, & virtus, & Gloria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Kyrie-eleison. Duodecies. Gloria Patri. Venite adoremus Regem nostrum Deum. Venite adoremus Christum Regem nostrum Deum. Venite adoremus, & procidamus coram ipso Domino Jesu Christo, & Deo nostro. Hoc autem initium omnibus horis est commune, si dicantur separatim: si vero simul recitentur, illa officia, quæ adjunguntur, ab illis versiculis exordium sumunt. Venite adoremus. Matutinum vero viginti psalmis absolvunt, ipsi in-

inserentes Trisagion, Troparia pro defunctis, & Litaniam magnam Sacerdotis: aliquando pro diversitate temporis Alleluja, Odaria, & semper glorificationem Beatæ Virginis Mariæ. Ad laudes, quæ Matutino immediate junguntur, post dimissorium canunt: Omnis spiritus laudet Dominum: Gloria in excelsis cum orationibus, Litaniis, & Tropariis. Ad Primam quinque Psalmos recitant; Troparia, Trisagion, Contacion, quod est brevissimus modulus, Kyrie-eleison quadragesies, & orationes. Tertiæ, Sextæ, & Nonæ eundem (si Psalmos, qui diversi sunt, excipias) sibi vindicant ordinem. Vesperæ complectuntur, præter Psalmos, prophetias, versiculos, orationes, & Litanias: Completorium denique triplex est pro temporum diversitate, aliud nempe parvum, medium aliud, & magnum: generatim psalmos vel plures, vel pauciores habet cum Gloria in excelsis, orationibus, Odario, Tropariis, petitione veniæ, & absolutione, Apostolorum Symbolo, invocatione B. Virginis Mariæ, Angelorum, & Sanctorum, ac demum Manasse Regis Judæorum oratione.

V. Quælibet autem Ecclesia præcipue Patriarchalis, peculiare suum Typicon, sive officii librum habet. At celeberrimum omnium Typicorum, atque frequentissimum S. Sabæ est, quod Canticum de Verbo Incarnato, octo beatitudines cum Tropariis, Epistolam, & Evangelium, Contacia, precationes cum glorificatione Sanctissimæ Trinitatis, Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam continet. Certum tamen est, diversas consuetudines, quæ variis Typicis locum dedere, adeo esse modici momenti, ut varietatem potius Monasticarum Constitutionum, quam Sacrorum Rituum referant. Habent insuper Græci Martyrologio nostro respondens Menologium, quod Sanctorum nomina, atque epistolam pro singulis diebus suppeditat: alius præterea liber lectiones e Veteri Testamento excerptas continet, quem ipsi Librum Officii Ecclesiastici vocant. Menæa Sanctorum officium, eorumque hymnos in singulos anni dies exhibent; verum plura, & insulsa, & falsa obtrudunt, quæ non penitus litterarum rudes primo intuitu animadvertunt. Triodion officia continet, quæ post Septuagesimam usque ad Pascha; Pentecostarium, quæ a Paschate ad Pentecosten cantantur. Horologium liber est, qui diei officium refert, nostroque respondet Diurno. Anthologia collectio dicitur plurium Domini Nostri, Virginis, Sanctorumque officiorum, sed nihil habet, quod Menæis, ceterisque Ecclesiasticis libris non occurrat.

VI. Porro Græci ritus nullibi exactius observantur, quam in Monte Sancto, quem Geographi Athon vocant. Quamquam enim antiquissimi sint, & a Sanctis Patribus Sabba, Charitone, Euthymio, aliisque sapientissime ordinati, temporis tamen successu mulra additamenta, multasque mutationes subiere, unde factum est, ut Græcanica officia in ingentem molem excreverint. Apud ordinem itaque S. Basilii accipitur primum Præpositi benedictio, dein dicitur: Benedictum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Respondet Chorus. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quo versu bis repetito, statim dicunt. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Post tres vero Psalmos Gloria Patri, ter Alleluja, ter Gloria tibi Domine, atque denuo ter Alleluja: post psalmos preces plures recitantur, diei illius Evangelium, psalmus 50. Miserere; diebus Dominicis novem præterea lectiones; ante Nonam Magnificat cum Gloria Patri, atque inde Gloria in excelsis Deo, & Trisagion. Primam dicunt immediate post Matutinum, eamque sicuti Tertiam, Sextam, & Nonam incipiunt alta voce cantando Pater Noster: & statim Hebdomadarius pronunciat. Quoniam tuum est Regnum. Mox alternatim ter concinunt: Venite adoremus, & procidamus Christo Regi, & Deo nostro. Sequuntur tres Psalmi, post quos ter Alleluja, Gloria tibi Domine. Demum preces quasdam, Trisagion, Pater noster, duo Troparia, atque diei illius orationem recitant. Vesperas, & Completorium, inchoant semper benedictione accepta, sicuti Matutinum. In Completorio legitur Canon, & post Oden octavam Canticum B. Virginis Mariæ canitur, quod immediate sequitur una lectio, sive Compendium vitæ Sancti currentis. Tum nona Ode, ac tan-

tandem oratio ad B. Virginem, & deprecationes pro variis necessitatibus.

VII. Armeni Officium in octo dividunt partes: in mediam noctem, seu Officium nocturnum: in diluculum, sive Laudes: in ortum Solis, idest Primam: in Tertiam, Sextam, & Nonam horas: in Vesperas, & in Completorium. Nocturnum Officium incipit ab Oratione Dominica. Tum dicunt ter: Domine labia mea aperies... Benedicta sit consubstantialis, unica, & individua Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Sequuntur Psalmi, in quorum fine dicitur Gloria Patri. Tum oratio, quæ sic inchoatur: Excitati a quiete somni, quam nobis concessit amator hominum Deus in subsidium fragilitatis nostræ, gratias agamus illi: Post orationem legitur Concio, sive parenesis, qua lecta, psallunt quinquagesies Domine miserere; & in diebus jejuniorum centies magna, & alta voce; diebus autem Festivis ter tantum. Mox unus dicit orationem: Gratias agimus tibi, Domine Deus noster..... Cantant deinde hymnos, sive cantica quædam vario metrorum genere composita. Diebus Dominicis legunt Evangelium, quod sequuntur precationes: Intercessione Sanctæ Dei Genetricis, S. Joannis Baptistæ, & Sancti illius, cujus Festivitas agitur. Tum leguntur quatuor Conciones, sive sermones exhortatorii, diversi pro temporum diversitate, & post singulos canunt orationes diverso tono. Sequitur hymnus incipiens. Rex Seculorum. Tum alius hymnus singulis sensus diversus. Mox alia deprecatio, lectio Menologii cum oratione Dominica.

VIII. Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium inchoatur ab oratione Dominica; at multa ritui Græcorum similia continent, uti Odas, hymnum in laudem B. Virginis Mariæ, Sermones, seu Conciones, Trisagion, Evangelium die Dominica, Symbolum Apostolorum, & lectionem ex Prophetis: multa vero dissimilia, si psalmorum diversitatem, precum ordinem, & numerum penitius introspexeris. Completorium autem duplex est: alterum in Ecclesia immediate post Vesperas in ipso occasu Solis: alterum a singulis privatim recitatum initio noctis post refectionem in fine crepusculorum, quo peracto, nefas est quidquam cibi, vel potus capere, aut cum aliquo colloqui.

Hi tamen ritus neutiquam adscribendi sunt Majoris Armeniæ parvæ cuidam Provinciæ, quæ dicitur Nascivanensis decem circiter oppida habens, in quorum Majori Abraner residet Episcopus Catholicus. Hæc enim, cum ad veram, & catholicam fidem conversa fuerit tempore Joannis XXII. Romani Pontificis a B. Bartholomeo Bononiensi Ordinis Prædicatorum illarum partium Episcopo, & extent in ea aliquot ejusdem Ordinis monasteria, in quibus Divinum persolvitur Officium lingua Armena, consuetudini Fratrum Prædicatorum, quam sequuntur etiam Presbyteri seculares, morem gerit.

Maronitæ Psalterium nec per hebdomadam, nec per totum annum recitant, sed quosdam psalmos semper eosdem singulis horis dicunt, quo quidem ritu plurimum a Græcis, & Armenis distant. In principio, & fine cujuscumque Officii, quod in septem horas Canonicas dividunt, nunquam prætermittunt Trisagion, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apostolicum Symbolum. Semper cum hymno recitant aliquem Psalmum, vel aliquod Canticum, vel aliquas invocationes, in tres partes sibi succedentes utrumque partientes. Nocturnum, seu hora mediæ noctis sexdecim habet orationes, Cantica undecim, sex Hymnos, duos psalmos, Responsorium unum, & alias invocationes: Matutinum undecim orationes, septem Hymnos, sex Cantica, quattuor Psalmos, & unum Responsorium. Tertia, Sexta, & Nona continent quinque orationes, & tria Cantica, sive duo Cantica, & unum Psalmum; Vesperæ orationes septem, duos Hymnos, quattuor Cantica, quattuor Psalmos, & unum Responsorium. Completorium denique orationibus constat quinque, & tribus psalmis, duobus Hymnis, & duobus Canticis.

IX. Illyrici, seu Sclavoni vel Græcum, vel Latinum sequuntur ritum; namque in in Dalmatia Littorali, in Liburnia, & in Istria omnes Ecclesiastici tam Seculares, quam Regulares Romano ritu psallunt, habentque Breviarium Romanum Illyrica lin-

lingua impressum. In ceteris autem Regionibus, videlicet in Servia, Mysia, Bonia, Bulgaria, Russia Minori Regi Poloniæ subdita, in Volshinia, Podolia, & parte quadam Lituaniæ, aliisque finitimis Provinciis ritu Græco Divinum peragitur Officium, translatis Græcorum Typicis in Sclavonicam linguam. Eosdem Græcos ritus eadem lingua servant Moscovitæ, quorum Regio Russia major, seu Roxalania, nuncupatur, & quicumque parent Moscovitici Ducis amplissimo Imperio: Christiani quoque Tartari circa Tauricam Chersonesum: Circassi, & multæ Ponticæ nationes.

X. Æthyopes, seu Abassini Officium in septem horas Canonicas partiuntur, illudque lingua Æthyopica, quæ tamen a populari diversa est exsolvunt. Horum Ritus Coptorum Ritibus similes esse Kirker asserit in suo Prodromo Copto: & Cardinalis Bona a duobus Presbyteris Æthyopibus, qui in Ecclesia S. Stephani, quam Romæ habent, degebant, non semel sciscitatus, qui Ecclesiæ suæ essent ritus, hæc accepit: „ Omnia Officia incipimus ab Oratione „ Dominica, & Angelica Salutatione: „ initio nocturnæ precis recitamus psal- „ mum, *Venite exultemus*. Legimus pro- „ lixe Sacras Scripturas, scripta vero San- „ ctorum Patrum nunquam, nisi in heb- „ domada Sancta. Singulas horas ex duo- „ decim psalmis componimus, quorum „ unus semper est psalmus 50. *Miserere*. „ In Monasteriis, quæ magnam Mona- „ chorum multitudinem continent, inte- „ grum ante prandium percurritur psalte- „ rium brevissimi temporis spatio, divi- „ sis per singulos Monachos psalmis sive „ Psalmorum sectionibus, cum longiores „ sunt.

XI. Ceteri Orientales, uti Albanenses inter Mare Caspium, & Pontum Euxinum siti, Armenum ritum sequuntur in propriam linguam translatum: Græcum Colchi, nunc Mengrellenses, & Iberi, sive Georgiani, suo tamen quisque idiomate. Hi circa Divinum Officium in eo sunt errore, ut non omnes Ecclesiastici illud recitare teneantur, sed unus tantum, vel duo, ceteris adstantibus, & minime attendentibus. Chaldæis, & Syris Maronitarum mos proprius, verum hæretici Nestoriani, & Jacobitæ plerique sunt. Qui vero in Perside, & India Orientali S. Joannis Baptistæ Christianos se nuncupant, ii nullum officium recitant. Tandem qui in Indiis item Orientalibus Christiani S. Thomæ dicuntur, cum olim Archiepiscopos ex Armenia habuerint, qui lingua Syriaca Divina Officia ritu Armeno celebrabant, eidem etiam nunc obsequuntur.

P. EMMANUELIS DE AZEVEDO E SOCIETATE JESU

De antiquis Ecclesiarum Occidentis ritibus in recitando Divino Officio.

DISSERTATIO XXI.

I. AB Oriente, e quo vera nobis effulsit lux, ad Occidentem, qui suos etiam peculiares sibi vindicat mores, orationem revocemus. In hoc autem Tractatu nemo inficias ibit, Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, Matrem, & Firmamentum veritatis, Ecclesiasticæ disciplinæ Magistram, primum jure, meritoque sibi locum asserere, cum potestatis eminentia super omnes excellens, ab ipso Christo primatum acceperit. Romani itaque Breviarii historiam ab origine repetentes statuimus, illud nihil aliud ab initio fuisse, quam psalmorum distributionem. Quare viget ad hæc tempora prisca ejus inscriptio: *Psalterium ordine dispositum*; sequiori enim tantum ævo *Pontificii Sacelli Breviarium* appellatum fuit, *Breviarium Curiæ Romanæ*; aut quemadmodum Guignonius Cardinalis suum inscipsit: *Breviarium ad usum, & ritum Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ*: aut, quomodo a S. Pio V. fuit nun-

nuncupatum *Breviarium Romanum*. Psalterium igitur, ficuti in exercitatione superiori ostendimus, essentialis erat Officii pars; huic autem Oratio Dominica, & Apostolorum Symbolum fuere superaddita, quæ publicæ erant Cleri, & Fidelium preces. Hinc Canone 1. Concilii Toletani VII. cautum fuit, ne ad sacros ordines admitterentur, qui Psalterium, & Cantica ignorarent: & S. Gregorius lib. 4. epist. 45. quemdam, quod Psalterium memoria non teneret, ordinare noluit Episcopum. Quamquam enim officiorum Ecclesiasticorum Scriptores una voce asserant, S. Hieronymum petente Damaso Summo Pontifice, Psalterium in singulos Hebdomadæ dies; Scripturæ vero Sacræ libros, ut in totum anni circulum legerentur, distribuisse; nihil tamen sublestius introspicitur, quam eorum fundamentum, quod ex epistola Damasi ad Hieronymum, & hujus ad eamdem responsione depromitur. Consentiunt siquidem Critici omnes, eas litteras, licet in conciliis relatas, & supposititias esse, & falsum obtrudere. Nam prior affirmat, Hieronymum ab Alexandro fuisse ordinatum Sacerdotem, cum tamen omni procul dubio a Paulino manuum impositionem susceperit. Altera vero Hieronymum exhibet a Damaso petentem, ut ad finem Psalmorum *Gloria Patri* caneretur, quemadmodum statuerat Concilium Nicænum, & in more positum erat totius Orientis. Porro teste Cassiano lib. 2. de Instit. Cœnob. cap. 8. Oriens illam consuetudinem nondum admiserat: *quod in hac Provincia vidimus, ut in clausula Psalmi concinant* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *nusquam per Orientem audivimus*. Accedit, eas litteras stylo Damasi, & Hieronymi dissimillime esse conscriptas. Quocirca graviter decepti sunt Valfridus Strabo, & Durandus opinantes, Theodosio Imperatore conquerente, quod precum diversitas confusionem in Ecclesia pareret, atque hæretici Catholicorum officia ludibrio haberent, Damasum Summum Pontificem S. Hieronymo mandasse, ut psalmorum in diei, & noctis horas distributionem institueret pro Dominicis, ceterisque hebdomadæ diebus; atque ita Hieronymum iis, quæ ex Vetere, Novoque Testamento legenda erant, digestis Epitomen quamdam precum compofuisse *Lectionarium Hieronymi* dictam; cui subinde Damasus calculum suum addidit, & per universam Ecclesiam recitari jussit. Namque silet omnino priscorum seculorum historia, S. Hieronymum officium digessisse, aut Lectionarium, quod illi adscribitur, confecisse; nec illud Hieronymi esse evincit Cardinalis Bona, cum lib. 2. rer. Litug. cap. 6. suæ assertionis patronos, recentiores tantummodo Scriptores in medium profert. Præterea licet vetus mos quarumdam Ecclesiarum esset Divinam Scripturam post Psalmodiam legendi, uti ex Concilio Laodiceno superius adnotavimus; non liquet tamen, an Damasi ævo consuetudo illa Romæ fuerit illico recepta: quin neque constat, an Hieronymo hortante, Damasus Psalmorum distributionem ratam habuerit. Et sane, si Hieronymus Lectiones Officio inseruisset, hæ Evangeliis, & Epistolis dumtaxat ad Missarum usum per anni circulum constitissent; adeoque nulla fuisset ratio, cur Lectionarium Hieronymi, *Comes Hieronymi*, *Liber Comes*, *Liber Comitis*, quod Ecclesiastici viri illud præ manibus semper habere deberent, appellari debuisset. Non inficiamur tamen S. Hieronymum Damaso Summo Pontifici quasdam litteris suis Ecclesiæ Hierosolymitanæ consuetudines delineasse, quas hic in Ecclesiam Romanam mox invexit. Id enim affirmat S. Gregorius lib.7. epist. 63. cum respondens conquerentibus, quod post tempus Paschale in Ecclesia Romana caneretur *Alleluja*, ait, Ecclesiam suam hujusmodi exemplum a Hierosolymitana accepisse, quæ post Pentecosten *Alleluja* decantabat; & ritum hunc in Romanam Ecclesiam intulisse Damasum Pontificem Maximum, cum certior a S. Hieronymo factus esset, eum Hierosolymis servari. „ Damasus Papa is mos juxta Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem a S. Hieronymo propositam Romæ ut servaretur, Auctor fuit". Verum qua in Epistola, & quos alios usus Damaso assumendos proposuerit Hieronymus, neque nobis statuere licet, neque Scriptor ullus hactenus indicavit. Si vero ad ipsum S. Hieronymum provocaverimus, planum, perspectumque erit, ævo suo Officium Divinum solo Psalterio fuisse compositum. Agens enim in Epitaphio S. Paulæ de Monasterio, quod

Hie-

Hierosolymis erexerat, ac de Sanctimonialium in eo degentium exercitiis ait: *Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant, nec licebat cuiquam Sororum ignorare psalmos, & non de Scripturis aliquid quotidie discere; die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebant*. Romæ itaque antiquitus nullæ in Officio erant Lectiones, aut Hymni, aut Collectæ. Quare universi Officiorum libri a S. Gregorio, ejusque Successoribus in Gallias, alioque missi, præter Missalia, nihil aliud complectebantur, quam Psalmorum, Antiphonarum, & Responsoriorum cantum, qui proinde *Antiphonarii*, aut *Psalterii* nomine insigniebantur. Simile Breviarium S. Augustinus Angliæ Episcopus secum eam in Insulam tulit: nec dubium est, quin ante Vigilii Summi Pontificis tempora, occurrente quacumque solemnitate, Divinum Officium eodem semper modo citra Lectiones, Hymnos, & Collectas celebraretur; cum ipse de se testetur ad Profuturum Bracharensem Episcopum: *Quoties vero Paschalis ..... Sanctorumque Dei fuerit agenda solemnitas, singula capitula diebus apta subjungimus*. Hinc Theodemarus Montis Cassini Abbas epistola ad Carolum Magnum scripta apud Paulum Diaconum, circa dubitationem iis temporibus exortam, cur S. Benedictus nullas lectiones per æstatem nocturno Officio perscripsisset, asserit, *in Ecclesia Romana Sacras Scripturas legi mos non fuit ante B. Gregorii Papæ ævum*. Quocirca haud incongrue cum Valafrido Strabone statui potest Officii Romani originem a S. Petro esse repetendam; Romanos vero Pontifices subinde, quæ e re sibi visa essent, iis, quæ a S. Petro acceperant, adjecisse.

Damasus quidem, referente S. Gregorio, quosdam Græcorum mores Officio Divino superaddidit. Cælestinus, si fides quibusdam Scriptoribus sit habenda, orationes solemnes, quas ab Apostolorum traditione acceptas profitetur in epistola ad Episcopos Galliarum: S. Leo Evangelia propria solemnium dierum, festorumque Martyribus Sacrorum: Vigilius capitula diebus apta. At præ omnibus decessoribus suis S. Gregorius Divino Officio allaboravit: quippe qui operam suam impenderit Libris Officiorum a Gelasio compositis, eosque in unicum volumen contraxerit, quod *Sacramentarium* suo nomine inscriptum fertur. Officium nempe a Gelasio plus æquo productum, ad breviorem formam redegit; Antiphonarium, omnesque Libros ad officium, & mysteriorum celebrationem spectantes instituit. Tandem S. Gregorius VII. Officio supremam manum imposuit; cum enim ipsius ævo multo prolixius esset Officio, quo nunc utimur (legebantur quippe per anni cursum omnes fere Novi, Veterisque Testamenti libri: Psalterium universum per hebdomadam recitabatur, idque Festorum occursu minime interturbabatur, horis singulis preces multæ addebantur, quæ hodie jejunii dumtaxat diebus, atque plurimum contractæ recitantur; adeo ut Breviarium Epitome tantum sit majoris illius Officii) ideo Summus ille Pontifex multa resecuit, expunxit, ac secundum Romani Breviarii contractionem præstitit. Verum seculo decimo tertio longe multo brevius confectum fuit. Qua ratione autem id contigerit, refert lib. de Canonum observantia Radulfus Tungrensis. Duplex videlicet olim in Urbe erat modus Divini Officii; alter brevior, quo Romana Curia, sive Capella Pontificia utebatur: alter prolixior pro ceteris Ecclesiis, qui proprie Ritus Romanus dicebatur; unde ortum est discrimen in antiquis Codicibus sæpe occurrens Officiorum ad usum Curiæ, & ad usum Ecclesiæ Romanæ. Officium autem Curiæ contractum erat, & mutationibus obnoxium ob varias, & continuas occupationes Summi Pontificis, & Cardinalium, aliorumque Prælatorum, qui ei in Sacello diu, noctuque interesse solebant. Cum vero S. Franciscus Assisiensis suis mandasset, ut Divinum Officium juxta Romanum Ritum peragerent secundum ordinem Ecclesiæ Romanæ; ii falso existimantes Ecclesiæ Romanæ morem illum esse, qui in Pontificis sacello servabatur, ac præterea Missionibus obeundis occupati; contractum Breviarium, quod in illo usurpabatur, suscepere; præcipue quod ab eo aliquid demere Apostolicis Missionariis concessum fuisset. Verum ubi istud Breviarium pessime digestum comperisset Naymo Franciscanorum Generalis, in id incubuit, Officiumque Romanum dictum ad eum ferme

me statum, qui hodienum viget; perduxit. Hanc Breviarii novam formam calculo suo confirmavit Gregorius IX. Nicolaus vero III. mandavit ut imposterum in singulis Romanæ Urbis Ecclesiis adhiberetur; eaque de causa antiqua omnia Antiphonaria, Lectionaria, Gradualia, aliosque cantus libros e medio tolli jussit. Sciendum est, prosequitur idem Radulfus, quod Nicolaus Papa III. fecit in Ecclesiis Urbis amoveri antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cetero Ecclesiæ Urbis uterentur libris, & Breviariis Fratrum Minorum: unde hodie in Roma omnes libri sunt novi, & Franciscani. Universæ nimirum Urbis Ecclesiæ Nicolai III. mandato paruere, atque ita Fratrum Minorum Breviarium, quo nomine a Radulfo appellatur, assumpsere. Sola tamen Ecclesia S. Petri ad hæc usque tempora aliquam saltem veteris Officii sui partem retinet, quod proinde ab Officio Romano multum differt. Quapropter haud facile intelligitur querelæ fundamentum, quam Abailardus multo ante hoc seculum ad S. Bernardum perferebat scribens epist. 5. *Antiquam Romanæ Sedis consuetudinem nec ipsa civitas tenet, sed sola Ecclesia Lateranensis, quæ mater est omnium, antiquum tenet Officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani Palatii Basilica.* Enim vero Sacellum Pontificium, sive, ut loquitur Abailardus, Palatii Basilicam Officium breviatum Curiæ Romanæ usurpasse, ex præmissis omnino liquet; at quæ fuerit Abailardi ævo in ceteris Urbis Ecclesiis diversitas a Lateranensi prorsus est incompertum. Missa itaque illa indagine, Breviarium resumimus, quod a Fratribus Minoribus contractum, brevius adhuc redditum fuit a Francisco Guignonio Cardinali S. Crucis, cui demandata fuit hæc provincia a Clemente VII. Pontifice Maximo. Inscripsit autem illud Breviarium Romanum ex Sacra potissimum Scriptura, & probatis Sanctorum historiis; Pauloque III. dicavit, qui id ipsum confirmavit. Perlegebantur in eo Psalterium singulis hebdomadis, singulis vero annis universa Scriptura: tres dumtaxat Psalmi singulis diei, nocti sque horis recitabantur; ad matutinum autem lectiones tres, quæ in dies mutabantur. Verum cum plurimi illud reciperent, atque ita Franciscanorum Breviarium penitus corrueret, Pius II. novum Romanum Breviarium elaborari curavit; Guignoniani vero usum interdixit. Nam in usu aliquando fuisse illud Breviarium, perperam negant, qui Pii II. verba in alienum detorquent sensum: *Plurimi*, inquit, *specie Officii commodioris allecti ad novitatem novi Breviarii a Francisco Guignonio Cardinali compositi confugerunt. Quare auctoritate præsentium tollimus, & abolemus Breviarium Romanum a prædicto Cardinali editum.* Asserit tamen idem Cardinalis, operam sibi a Clemente VII. fuisse delegatam Breviarium Romanum in ampliorem Sacrarum Scripturarum lectionem, ad veterem Sanctorum Patrum, & Conciliorum antiquorum formam revocandi. Ut vero ejusdem Breviarii hodienum fere impervii planius innotescat forma, haud incongrue animadvertendum, ipsum tam uno volumine conclusum, quam in quattuor distributum, fuisse typis multoties excusum, quale in celeberrimis Bibliothecis prostat: præterea horas separatim in lucem editas, cujus speciei unum, quod apud nos est deprehendere fuit concessum; ipsa autem Breviaria, atque diurnas Horas tritas fuisse, & in usum ad recitationem adhibiras evincunt marginibus impressæ abevolventibus digitis maculæ. Posterioribus tandem temporibus Pius IV. Patribus Tridentinis commisit, ut Breviarium reformarent; atque eadem esset in universa Ecclesia Officii peragendi ratio; & S. Pius V. tuncinstitutam reformationem præstitit, ac ratam esse jussit, inhibuitque, ne quidquam adderetur, vel immutaretur. Nihil in commutandum, addendum & detrahendum; *at cum*, ait Clemens VIII. *nulla jam reperiantur Breviaria, quæ a prima editione ejusdem Pii, Quinti videlicet, in multis non discrepent, neque dissentiant, & aliqua recognitione indigeant; mandavimus nonnullis piis, & eruditis viris, ut idem Breviarium, nova adhibita diligentia, accuratius inspicerent, atque examinarent, & ea, quæ depravata esse, & recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina, & pietate restituerent.* Urbanus VIII. subinde Breviarium denuo reformavit; Hymnos emendari curavit, facul-

facultatem tamen concedens veteres recitandi, unde duo veluti Breviarii genera constituit, novos videlicet, & veteres hymnos habentia: quartam Antiphonam in Laudibus Purificationis *Revertere* sustulit; ejusque loco *Lumen* substituit. In lectione S. Fabiani historia Novatianorum Apostatas ad Penitentiam non admittentium resecata fuit: quinta Dominica post Epiphaniam S. Ambrosii in Epistolas S. Pauli expositioni suffectus S. Augustini sermo: a feria vero quarta temporum S. Augustini, cum S. Ambrosii homilia commutata: Quadragesimæ plures lectiones communi Sanctorum additæ. Quo itaque hodie utimur, Breviarium trium Pontificum nomina præfert, Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII. Pii V. Pontif. Max. jussu editum, & Clementis VIII. primum, nunc denuo Urbani VIII. auctoritate recognitum.

II. Romani autem Psalterium per hebdomadam sic distribuunt: die Dominica ad Nocturnos duodeviginti concinunt psalmos, reliquis diebus duodecim. Ad Laudes semper dicunt quattuor psalmos, & unum canticum ex Veteri Testamento: ad Primam diebus festis, & Sabbato recitantur tres psalmi; ceteris diebus quartus adjungitur: ad Tertiam, Sextam, & Nonam semper iidem tres psalmi repeti solent: ad Vesperas quinque pro diei diversitate: ad Completorium quotidie iidem recurrunt psalmi numero quatuor, si trigesimus adsolveretur.

III. Series vero Officii hæc est: in Nocturnis dicitur secreto, *Pater*, *Ave*, & *Credo*, deim clara voce *Domine labia mea aperies .... Gloria Patri*. Sequitur Invitatorium cum Psalmo *Venite exultemus*, & repetito Invitatorio recitatur Hymnus. Diebus Dominicis in primo Nocturno duodecim Psalmos cum tribus Antiphonis psallunt Romani per ternas divisiones quattuor Psalmorum. Post Antiphonam ultimi psalmi dicunt versum, orationem Dominicam, tum absolutionem, & tres lectiones cum tribus Responsoriis, præmissa singulis lectionibus benedictione. In secundo, & tertio Nocturno recitant tres Psalmos cum suis Antiphonis, totidemque lectiones, ac Responsoria modo prædicto. Tertio cuique Responsorio addunt glorificationem Sanctissimæ Trinitatis. Post Nonam lectionem agunt solemnem gratiarum actionem per Canticum *Te Deum laudamus*. In Nocturno autem feriali duodecim psalmos cum sex Antiphonis persolvunt, post quos tres lectiones sequuntur ritu supra scripto, & si dicendum sit Canticum *Te Deum laudamus*, omittitur ultimum Responsorium. In Nocturnis Festivitatum eodem, quo in diei Dominicæ Nocturnis, procedunt modo, nisi quod in primo tres tantum psalmi cum suis Antiphonis recitantur, totidemque in secundo, & tertio.

IV. Laudes inchoantur a versu *Deus in adjutorium*, quem sequuntur Psalmi cum suis Antiphonis, Capitulum, Hymnus, Versus, Canticum cum Antiphona: deinde preces, ubi dicendæ sunt, Salutatio, Collecta, Commemorationes, si occurrant, ac demum Antiphona de Beata Virgine. Prima peragitur incipiendo a *Pater*, *Ave*, *Credo*, & *Deus in adjutorium*. Tunc veniunt Hymnus, & Psalmi cum unica Antiphona, quibus die Dominica additur symbolum S. Athanasii, Capitulum, Responsorium breve, versus, preces, confessio, oratio, ac denique lectio Martyrologii. Tertia, Sexta, & Nona eodem modo persolvuntur: Dominica videlicet oratione, & salutatione Angelica, Divini adjutorii imploratione, Hymno, Psalmis, Antiphona, Capitulo, Responsorio, Versu, & Collecta. Vesperæ cum laudibus conveniunt, Completorium autem a brevi lectione incipit, quam Oratio Dominica, Confessio, *Converte nos Deus*, *Deus in adjutorium*, Psalmi cum Antiphona, Hymnus, Capitulum, Responsorium, Versus, Canticum, Preces, Oratio, Benedictio, Antiphona B. Virginis cum oratione, ac tandem *Pater*, *Ave*, & *Credo* subsequuntur.

V. Hunc tamen ritum, licet a prima Sede ordinatum, haud quaquam sibi imposuere ipsiusmet Occidentis Ecclesiæ, quæ pleræque peculiarem sibi asserunt. Quare prius quam ex Italia pedem extrahamus, de Mediolanensi Breviario tractatio est instituenda. Mediolanensis autem Ecclesiæ Ritus a S. Ambrosio ejus Civitatis Archiepiscopo Ambrosiani dicuntur, non quod ipse institutor eorum fuerit, uti multorum opinio invaluit, sed quia illos auctoritate sua, & eximia sanctitate plurimum nobilitavit. Affirmat enim Vicecomes lib. 2.

de

de Ritibus Missæ cap. 12. eam Ecclesiam Missæ ordinem a S. Barnaba Apostolo; psallendi vero regulam a S. Miroclete Archiepiscopo accepisse; nec nisi paulo post S. Ambrosii decessum Ambrosianos dici cœpisse Ritus Mediolanenses. Negari tamen nequit S. Ambrosium officio ad optimam formam redigendo studuisse, cum in Ecclesia sua cantus per choros instituerit, Hymnosque in officium inserendos composuerit, qui subinde in universa Ecclesia Latina viguere. In Epistola ad Marcellam Sororem Lectionarii meminit, ubi descriptæ erant Lectiones in officio recitandæ: *Hodie librum Job legi, qui solemni more est decursus, & tempore*. Annua initiationis ejus die, quæ septima erat Decembris, Deuteronomium legebatur, ut ipse testatur lib. 7. in Lucam: *Pulchre mihi hodie legitur initium legis, quando mei Natalis est Sacerdotii*. Illud certum est, Mediolani constantem invaluisse opinionem, Officium eo modo, quo ad hæc tempora recitatur, a S. hoc Doctore fuisse distributum. Porro Ambrosiani Psalterium dividunt in duas partes: primam a Psalmo primo ad centesimum nonum nocturnis vigiliis, secundam usque ad finem diurnis horis assignant. In hujus secundæ partis distributione sequuntur omnino Romanam Ecclesiam. At prima pars in duas hebdomadas divisa decem continet decurias, ut vocant, singulisque noctibus una decuria persolvitur. Prima decuria pro Feria secunda septemdecim psalmos priores complectitur: Secunda pro Feria tertia, psalmos habet quatuordecim; reliquæ octo dumtaxat psalmis constant usque ad Feriam sextam, Sabbatis autem, & Dominicis diebus, & in solemnitatibus Domini Canticis nocturnas preces persolvunt. In Feriis vero, & quibuslibet aliis Sanctorum Festivitatibus descriptas decurias non mutant. Ab hac tamen regula excipiuntur sex Feriæ ante Nativitatem Domini, quas deexpectato appellant; & sex iterum Feriæ majoris hebdomadæ, in quibus psalmis utuntur peculiaribus. Ceterum Psalterii versionem propriam habent similem ei, qua Romæ utuntur Canonici S. Petri in Vaticano.

VI. Ad nocturnas preces, recitatis oratione Dominica, & Salutatione Angelica dicitur versus *Deus in adjutorium*, quem sequitur hymnus semper idem: mox additur Responsorium, deinde Canticum trium puerorum cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*; postea Psalmi, & Cantica pro temporis ratione; inde tres lectiones, cum suis benedictionibus fere semper propriis. Diebus Dominicis lectiones sunt de Homilia in Evangelium; in Feriis de Scriptura Sacra; in Festis tertia est de vita Sancti, vel de Sermone Festivitatis. Excipiuntur ab hoc Ordinario Nativitas Domini, & Epiphania, quibus diebus dicuntur tres nocturni, & novem lectiones. Feria item sexta in Parasceve leguntur sex lectiones, sed tres ultimæ sunt integræ passiones secundum tres posteriores Evangelistas; passio vero secundum Matthæum Missæ reservatur. Tandem post duas priores lectiones duo sequuntur Responsoria; post tertiam autem recitatur *Te Deum*, si tempus requirat, vel nihil additur.

VII. Laudes post versum Romanis communem habent Canticum Zachariæ, pro quo in Dominicis Adventus, in Nativitate Domini, Circumcisione, & Epiphania dicitur Canticum Mosis *Audite Cœli* cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*, atque Collecta. Tunc in Dominicis, & Sanctorum solemnitatibus quinquies, vel etiam septies repetitur Antiphona ad Sanctam Crucem, addita quadam Oratione secreta. Mox alterum Mosis Canticum *Cantemus Domino* cum sua Antiphona, & ter *Kyrie eleison*, aliaque oratione secreta. Deinceps Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera*: nam quod ad nocturnos recitatur, incipit *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum*. Loco autem prioris Cantici Sabbato dicitur psalmus *Confitemini*, & in aliis Feriis psalmus *Miserere* cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*: additur oratio clara voce, qua finita sub uno *Gloria Patri* quatuor recitantur Psalmi. Succedunt Capitulum, Antiphona, ter *Kyrie eleison*, *Dominus vobiscum*, & psalmus directus, qui simul ab utroque Choro cantatur. Postea Hymnus pro qualitate officii diversus; & duodecies *Kyrie eleison*, cum *Dominus vobiscum*: psallenda una in Festis Sanctorum, in Dominicis duplex. Est autem psallenda, Antiphona quædam repetita cum *Gloria Patri* additis quibusdam versibus, & ter *Kyrie eleison* cum oratione. In Feriis loco

psal-

psallendæ dicitur quoddam Responsorium, quod vocatur in Baptisterio. Si occurrat aliqua commemoratio, fieri solet per psallendam illius diei, vel Officii, de quo fit commemoratio. Quotidie vero, quando Officium non est solemne, fit commemoratio de B. Virgine, S. Ambrosio, & Patrono Ecclesiæ.

VIII. Ad primam non recitatur symbolum Apostolorum, neque ulla Antiphona, sed consuetos psalmos sequitur *Alleluja*, nisi in Quadragesima. Inde Epistolella, ut ajunt cum Responsorio brevi, cui statim quotidie subditur S. Athanasii Symbolum: postea Capitulum, preces quædam, quæ solemnibus diebus prætermittuntur; atque tres orationes, quæ nunquam mutantur. Tum legitur Martyrologium, post quod additur versus *Exultabunt Sancti in Gloria* cum brevi quadam oratione.

Tertia, Sexta, & Nona nihil proprii habent, nisi quod ad finem psalmorum loco Antiphonæ, uti ad Primam, addatur *Alleluja*: tempore autem Quadragesimæ *Laus tibi, Domine Rex æternæ Gloriæ*. Sequitur Epistolella cum Responsorio brevi, tum preces, si dicendæ sint, postea oratio. At Dominicis diebus, Festisque solemnibus cantatur Hymnus ad Tertiam, qui incipit: *Jam surgit hora tertia*.

IX. Vesperæ post *Pater*, & *Ave* inchoantur absolute a salutatione *Dominus vobiscum*: sequitur inde Responsorium, *Lucernarium* appellatum, ter repetitum, diversum juxta Officii diversitatem. Iterum dicitur, *Dominus vobiscum*, postea Antiphona, mox tertio *Dominus Vobiscum*: tum Hymnus conveniens; & quarto *Dominus vobiscum* cum Responsorio, quo finito adhuc repetitur *Dominus vobiscum*. Veniunt psalmi iidem, qui Romæ, majoribus Domini nostri solemnitatibus exceptis, quibus sub una Antiphona, & uno *Gloria Patri*, unus psalmus dicitur diversus pro diversitate Officii, cui semper adjungi solent psalmi *Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudate Dominum omnes gentes*. In Festis autem Sanctorum, post primam orationem, alter recitatur psalmus diversus pro varietate Officii; & psalmis absolutis cum Antiphonis dicitur, ter *Kyrie eleison*, *Dominus vobiscum*, Officioque conveniens oratio. Postea *Dominus vobiscum*, & *Magnificat*; præmissa Antiphona, quæ finito Cantico, & iterato primo ejus versu, repetitur cum ter *Kyrie eleison*, & alia oratione. Deinde psallenda, & alia, sicut in Laudibus, recitantur; & in feriis Quadragesimæ duodecies *Kyrie eleison* loco *Magnificat*. Habent insuper Ambrosiani quasdam Vesperas de Sanctis Patronis, & Titularibus Ecclesiarum, quæ celebrantur cum Vigiliis, in quibus post primam orationem dicitur primus psalmus, tum legitur una lectio de vita illius Sancti cum suo Responsorio; & post aliam orationem dicto secundo psalmo legitur alia Lectio cum suo item Responsorio. Denique dicto Cantico *Magnificat* cum psallendis, cantantur Litaniæ cum quibusdam orationibus.

X. Ad Completorium præmissis *Pater*, *Ave*, *Converte nos*, & *Deus in adjutorium*, in Quadragesima Hymno *Te lucis ante terminum* sufficitur hic *Christe, qui lux es, & dies*. Tum sine Antiphona consueti Romæ psalmi recitantur, & sub uno *Gloria Patri: Ecce quam bonum: Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudate Dominum omnes gentes*; quibus absolutis dicitur *Alleluja*, vel *Laus tibi, Domine Rex æternæ Gloriæ*. Tum in Quadragesima Hymnus *Te lucis ante terminum*; alio autem tempore statim subditur Epistolella cum suo Responsorio brevi; deinde Canticum, *Nunc dimittis* cum precibus, si dicendæ sint; Antiphona B. Virginis, & ejus oratio; ac tandem fit confessio communis.

XI. Ex Italia secedentes, in Hispanias convertamur necesse est, quippe quæ & patriæ nostræ finitimæ, & peculiarem in Officiis suis ritum cum antiquitate, tum sanctitate commendandum sibi semper vindicarint. Ubi enim in Hispanias illata est Religio Catholica, ordo præscriptus est, juxta quem Sacerdotes Divinum peragerent Officium, quod quidem, quoniam Gothis imperantibus fuit adhibitum, Gothicum dictum est: Toletanum etiam dicitur, quod Regni Caput esset Toletum. Hodie tamen Officii antiqui Hispanici nomine Mozarabicum intelligitur, quod eam denominationem sortitum est, Mauris Hispanias invadentibus. Enimvero cum eo ævo Christiani, qui sedes suas deserere abnuerunt, Mauris tributa penderent, Arabibusque mixti conviverent, Mixstarabes, Muzarabes, & Mo-

& Mozarabes fuere nuncupati. Petrus tamen de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. 3. cap. 1. in Marca Hispanica mordicus negat Christianos Mozarabes dictos, eo quod essent mixti Arabibus: *cum*, inquit, *huic originationi ipsa Scripturæ constans ratio refragetur, quæ Muzarabes illos perpetuo vocat; non autem Mistarabes*. Unde ut Mozarabum Etymon indaget, ad Muzam Arabum, qui Toletum cepere, Ducem confugit. Christiani siquidem Religionem profitendi libertatem Muzæ Arabis beneficio consecuti, ejus se nominis patrocinio contra sequentium Principum impotentiam tuebantur; ac deditionis suæ conditiones ea nomenclatura explicabant. Verum hanc etymologiam rejicit Pagius ad annum 714. n. 8. Fabulam, & commentum vocat Blasius Ortisius in descriptione Summi Templi Toletani, quæ quidem merito exploditur. Namque, uti observat Comes Mondexarensis in suo opere, quod inscribitur *Prædicatio S. Jacobi in Hispania* cap. 24. Arabes primos suæ provinciæ habitatores vocant Arabes Arabicos: qui autem origine Arabes non sunt, eos Arabes Arabizantes, & lingua propria Mustarabe nominant: unde Christianis, qui in Hispania manserunt inter Mauros, dum eos obligassent ad lingua sua loquendum suosque sequendos mores nomen dedere Mustarabum ipsimet Mauri, qui in ipsos dominabantur, ad significandum, quod non essent Arabes natura, tametsi leges Arabum sectarentur: hinc autem modica cum variatione nomen Mozarabum fuit corruptum, atque illud est verum nomen, propter quod Mozarabicum dictum sit officium Gothicum, quo utebantur Christiani Hispani, qui vivebant dominio Arabum subjecti. In eamdem concedit sententiam laudatus Pagius, qui vestigiis inhærens Arabicæ linguæ peritissimorum animadvertit, Arabes insititios, adeoque omnes externæ stirpis, gentis, & religionis inter Arabes viventes ab ipsis vocatos esse Mostarabes: ab Hispanis autem Litteram T de hac voce tollentibus, sicuti Saragosta, Saragosa pronunciantibus, Hispano-Arabes, moz-Arabes fuisse nominatos. Quocirca a vero etiam abludit Hieronymus Blancas, qui in suis de Aragonia Commentariis voce Muza Christianum Arabice dici; atque adeo Muzarabum nomine Christianos Arabibus mixtos intelligi autumat. Enimvero asserit in suo Vocabulario P. Alcala, Christum Arabibus Macih, unde Muza nequaquam derivari potest, appellari. Ceterum ex prælibatis palam fit, notione, quæ a Mondexarensi Comite Mustarabum voci subjicitur, nequidquam excludi expositionem, qua Hispani Arabibus mixti dicuntur; cum, si fuerint Arabes, ut ipse loquitur, inarabati, necesse sit, ut una, & simul cum Arabibus convixerint; ac proinde juxta interpretationem Roderici Archiepiscopi Toletani Mixtarabes, aut Mixti Arabibus nominari queant. Hic tamen non ausim dissimulare e sententia, qua idem Mondexarensis vocat Mustarabe Christianos cum Arabibus mixtos, recta consequi eos Muzarabes, nequaquam vero Mozarabes, esse dicendos. Verum ipsius placuit conjectura: & ita invaluit usus.

XII. Porro Mozarabici ritus institutores fuerunt Sancti Viri Leander, & Isidorus Hispalensis Episcopi, quamquam solius Isidori nomen retinuerit, quem proinde Baronius ad annum 633. n. 70. solum ejus auctorem agnoscit. Inscribi solet *Officium Gothicum, sive mixtum secundum regulam B. Isidori*. Decreto quarto Toletani Concilii omnes Hispaniarum Ecclesiæ hoc olim utebantur; verum regnante Alphonso VI. mutatum fuisse dicitur jussu S. Gregorii VII. Romani Pontificis, qui ob hanc caussam contentiones cum Regibus Hispaniarum subiit.

XIII. Opinatur autem Eminentissimus Bona lib. 1. cap. 2. num. 2. Hoc Officium, licet a Viris Sanctis, & Orthodoxis compositum fuerit, Hispania tamen ab Infidelibus devastata, ita erroribus refertum, ut Elipandus, Toletanus Episcopus, ex ipsis Officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam hæresim adstruendam. Rem elucidat Pinius lib. III. Tractat. historic. Chronolog. de Liturgia antiqua Hispanica: *Cum enim Elipandus, & Felix Urgelitanus Præsul, hæresim adoptivæ filiationis Jesu Christi, exeunte seculo octavo, tuerentur, orationes ex Missali Hispanico, in quo voces* adoptivus, & adoptio *applicabantur Jesu Christo in medium proferebant, easque a SS. Eugenio, Ildefonso, & Juliano recitatas, & approbatas fuisse asse-*

ferebant. *Quod quidem testatum faciunt Patres Concilii Francofordiensis in Epistola Synodica ad Hispaniæ Præsules missa, ut illos ab errore suo revocarent; his verbis objectionem e Missali Hispanico depromptam referentes: Sequitur in eodem libello vestro:* Item Prædecessores Nostri Eugenius, Ildefonsus, Julianus, Toletanæ sedis Antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna Domini: *qui per adoptivi hominis passionem dum suo non indulsit corpori*. Item in Missa de Ascensione Domini. *Hodie Salvator Noster post adoptionem carnis Sedem repetivit Dei atis*. Et cetera, *quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis*. Unde infert Pinius cum Bona, in quædam Officii Mozarabici exemplaria, vertente seculo octavo, sive ex inadvertentia, sive ex fraudulentia hæreticorum Episcoporum immanes irrepsisse errores. Verumtamen uterque revincitur ab Henrico Florez Augustiniano in Historia Sacra Ecclesiæ Hispanicæ tom. 3. p. 262. ubi nervos omnes intendit, ut evincat, Officium Mozarabicum ab omni omnino labe semper fuisse immune. Selectiora tantummodo hujus Auctoris argumenta expiscabimus, cetera ad Tractatum nostrum de Missa antiqua Hispanica, qui mox in lucem prodibit, revocantes. Ac primo quamlibet detrahit fidem nuperrimus hic Scriptor libello, quem confutat Synodica Epistola Patrum Francofordiensium, cum is ab Elipando fuisset exaratus. Namque testatur eadem Synodica Epistola libelli Auctorem SS. Patrum testimonia malæ perfidiæ veneno corrupta referre. Quis tamen dixerit Catholicorum Doctorum libros fuisse depravatos, interpolatos, & vitiatos; aut hæresim propinare, quam in iis deprehendere sibi videbatur Elipandus? Falsi itaque semel convictus libelli Scriptor, omnem omnino se in reliquis ablegat fidem; & sane si eo proruppit audaciæ, ut tot Patrum sententias universo orbi notas perfide immutaverit, multo liberius, quod unius Hispaniæ erat, officium adulterasse credibile est. Secundo vere Patribus Francofordiensibus turpiter imposuit Elipandus; cum in Missa de Ascensione Domini neutiquam legantur in Liturgia Mozarabica voces: *Post adoptionem carnis*. In Missa autem de Cæna Domini nullus reperitur codex manuscriptus, qui vocabuli *adoptionis* mentionem obtrudat. Nec majus facessit negotium altera Elipandi impostura mentientis in Missa S. Sperati Martyris recitari: *Adoptivi hominis non horruisti vestimentum sumere carnis:* jam quippe observavit ipse Alcuinus inconvenientem esse dictionem, *adoptivi hominis vestimentum carnis*. Tertio libelli fraudem, & subodoratus est, & acriter reprehendit idem Alcuinus lib. 7. contra Felicem Urgelitanum: *Asserunt*, sic in eum invehitur, *quidam ex illis Patribus, ubi tu dixisti, vel adoptionem, vel adoptivi hominis, eos dixisse pro assumptionem, & pro adoptivi assumpti: Et in hoc quoque tua malevola arguitur pertinacia. Si enim in tua sententia, quasi in veritate consideres, nequaquam ea, quæ ab aliis bene dicta sunt, in pravum sensum mutares. Veritas enim, ubicumque est, semetipsam defendit*. Mox in Ecclesiæ gremium reduce Felice, sic fraudulentas Elipandi artes describit; *Sententias vel perverso interpretari sensu, vel perfidum vos immutare temeritate agnovimus, veluti in aliquibus probavimus locis, dum ad nos per Felicem olim vestrum, nunc autem nostrum Commilitonem, plures vestri erroris pervenerunt litterulæ*. Quarto Decessores suos calumniose tradit erroris sui consortes Elipandus, Eugenium videlicet, Ildefonsum, & Julianum, uti differit Eminentissimus Baronius ad ann. 794. *Ut autem*, inquit, *ipsa veritas clarius elucescat, hic tibi reddenda putamus, quæ idem perfidus Elipandus in suo libello in Gallias misso de iisdem est mentitus prædecessoribus. Reperiuntur enim ista repetita in Litteris a Patribus ex Synodo ad eum redditis, his verbis:* sequitur in eodem libello vestro quemadmodum superius; *hæc suo inservit Elipandus libello fidei, non quod ita acceperit ex eorum, quos nominat, scriptis; sed quod scripta ea in Missali Toletane Ecclesiæ, ut ait, in sacris oblationibus recitari solerent; sed an fideliter, vel ut in aliis, fraudulenter, quod non adesset præ manibus, qui esset Codex inspiciendus; ex quo, ut in aliis, idem Elipandus imposturæ convinci posset, Patres hæc tunc respondere*. Baronio succinit Pagius ejus: *Nec dubitavit Elipandus S. Ildefonsum, aliosque qui præcesserant, Toletanos Antistites de hæresi per insignem calumniam sugillare*.

XIV. Verum facile propulsatur impacta sanctiss.mis Præsulibus calumnia ex definitione Concilii Toletani XI. quod ubi in præfatione n. 8. de Fide agens professum fuit, Dei Filium Patri esse *Homousion*, seu Consubstantialem; unum substantia cum Patre: Dei Patris substantia genitum, subdit: *Sempiternus ergo pater, sempiternus Filius. Hic etiam Dei Filius, natura est filius, non adoptione*. Quibus validiora excogitari nequeunt ad jugulandam Nestorii, & Elipandi hæresim; Fideique tesseram sartam, ac tectam asserendam. Porro huic Concilio præfuit Guiricius Archiepiscopus Toletanus, cujus Decessor S. Ildefonsus, Successor vere S. Julianus fuere. Quis autem eo dementiæ proruperit, ut sibi fingat Quiricium nemine reclamante, imo vero omnium Episcoporum conspirantibus suffragiis e diametro oppositam ei, quam Eugenius, & Ildefonsus Toletani Præsules tradiderant, totaque Ecclesia Gotho-Hispanica pro aris, & focis defendebat, doctrinam Concilii Decreto confirmatam obtrusisse? Corroborabitur animadversio, si attendamus Eugenium horum omnium Archiepiscoporum, maxime S. Juliani, in Disciplinis Theologicis magistrum fuisse; adeoque illos præconceptam aliam ab ejus Fide e nullo fonte venenato hausisse sententiam. Quin expressis, luculentissimisque verbis S. Ildefonsus errorem Elipandi convellit in libro exarato adversus eos, qui disputant de perpetua virginitate S. Mariæ: *Christus Deus*, inquit ibidem, *qui numquam non fuit, ex quo factus est homo, & assumptus in unitate personæ semper mansit, & permanet verus Deus homo, non duo quidem, ut esset alter Deus alter homo; sed unus, idemque Deus homo. Quamvis enim aliud, per quod Deus, aliud per quod homo, in utroque tamen unus Deus, & homo, quia non fuit aliquando sine Deo purus conceptus & natus homo. Sed qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Virginea carne* ... *mox ex ipsa Conceptione ineffabili Deus verus processit, & natus est homo*. Christus itaque ex S. Ildefonso nunquam non fuit; verus est Deus: Decretoria sunt hæc adversus Nestorianam, Elipandianamque dementiam. Verum hæreticos medullas pervadit ipse: in iisque eam præfocat: *Ergo non illum, ut ceteros, adoptio filios Dei, fecit Dei Filium; sed Divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit .... Ut totus Dei Filius homo, & verbum* ... Dein ... *& ideo non est ille adoptivus Filius, sed adoptator, ut ita dicam, ceterorum ....*, Et rursus: *ut vero Christus non adoptivus, sed proprius Dei Filius*. Quid ad hæc, obloqui potuisset Elipandus, si Francofordiensium Patrum oculis fuissent subjecta; vere autem ipsi reposuissent: *mentita est iniquitas sibi?* Impudentissimus siquidem erat Elipandus clarissimis Antistitibus, & Ecclesiæ Hispanicæ hæreticam affingens pravitatem, quam ipsa universa in Breviarii Gotho-Hispanici Hymno ad octavam Christi Nativitatis tunc temporis decantari solito diris devovebat:

Sacer octavarum Dies hodierna rutilat,
Quo secundum carnem Christus Circumcisus traditur.
Patri non adoptione, sed coæternus genere.

XV. Quinto debilis est Pinii conjectura, qua inducitur ut credat circa annum 736. sectæ asserentis Unigeniti Dei Filii adoptionem Asseclas in Missale Mozarabicum sacrilege grassatos fuisse. *Cum enim*, inquit, *eo tempore Theodiscus Natione Græcus, homo impostor, successorque S. Isidori, Pseudo-episcopus hæreticus, qui & depositus transiit in Mahometanam impietatem, primus in Hispania docuisset, Christum Dei Filium esse adoptivum Dei Patris Omnipotentis; hinc factum est, ut sensim sine sensu varii textus Sacri Liturgiæ Hispanicæ coacti sint aliud enuntiare, quam & enuntiare debebant, & antea enuntiarant*. Verum enim vero commentitius est ille Theodiscus; exploratumque est, eum nedum S. Isidori successorem non fuisse; verum etiam neminem hujus nominis Sedem Hispalensem tenuisse. Quin seculo septimo nulla per latissimam Hispaniam erroris Nestoriani mentio: nullum Theodisci dispositionis documentum. Sexto tandem, premi se negat Florez auctoritate S. Gregorii Septimi scribentis lib. 9. epist. 2. ad Alfonsum VI. Hispaniarum Regem, erroribus inspersum fuisse Ritum Hispanicum; adeoque ex Ecclesia eliminandum: *In illo, quem hactenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus Religiosis viris didicimus, quædam contra Catholicam Fidem inserta esse paulo convin-*

cun-

cuntur. Reponit siquidem S. Gregorium VII. Synodicæ Francofordiensi epistolæ inniti, quæ cum non evincat Missale Hispanicum revera fuisse depravatum, sicut oggerebat Elipandus; sed unam referat illius calumniam; S. Gregorii VII. querelæ nullum suppeditat fundamentum. Accedit Summum illum Pontificem neutiquam ex propria sententia; sed ex aliorum suggestione loqui: nam Joannes X. & Alexander II. itidem Summi Pontifices, qui S. Gregorii VII. ætatem paulo antecesserunt, Ritum Mozarabicum tamquam veritati Catholicæ consonum approbarunt, & confirmarunt. Perperam igitur adnotat Pagius ad annum 783. Hæresim de adoptione Filii Dei Elipandum, & Felicem hausisse ex malæ intellectis Missæ S. Isidori orationibus. Ipse enim Isidorus ne accersitur quidem in Patronum libello, quem refellunt Patres Francofordienses. Vetus autem Hispaniæ Ecclesiarum officium sic describit S. Isidorus Hispalensis lib. de officiis: *a cantu exordiebatur, qui iis temporibus non adeo simplex erat, ac in prisca Ecclesia; tunc enim preces simplici vocis inflexione ad pronuntiationem magis, quam ad cantum accedente recitabantur. In usu erant Hymni, Antiphonæ, atque Responsoria, quæ cum psalmis complectebatur officium. Horæ assignantur, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, Vigiliæ noctis, & Matutinum sub lucis ortum. Legebantur Scripturæ Sacræ libri juxta S. Hieronymi interpretationem*; Alleluja *per totum anni cursum dicebatur, Quadragesima, & jejunii diebus exceptis ob quamdam Ecclesiarum Hispaniæ traditionem.*

XVI. Subinde in meliorem formam redactum est jussu Cardinalis Ximenez Archiepiscopi Toletani, qui, explosis Gothicis characteribus, illud Latinis conscribi, ac typis mandari curavit. Quam provinciam illum cum summa diligentia, tum genuina, sincera, & accurata fidelitate nemini secundum explevisse, abunde testantur miræ prorsus cautelæ quibus usus est, ne Missalis Mozarabici suo & mandato, & cura Typis editi, a nobis autem novo prælo Romæ subjecti, adnotationibusque illustrati, vel ipsa verba consecratoria, quæ aliquantulum ab Evangelicis differunt, nullatenus immutarentur. Ea enim eodem quo in Missali prostant, tenore exscribit; monens ad marginem superposito papyri frusto se ad id adductum fuisse, ne antiquitas ignoraretur; ad calcem vero paginæ formam consecrationis consueto more adhibitam apponit, ut vel levissimum observetur discrimen. Qui autem tam studiosus antiquitatis inviolatæ amator fuit, ut nec contextum Sacramentalem ad normam Evangelici ausus sit corrigere, cur orationes ab Elipando objectas vel silentio præteriisset, vel immutationis non monito Lectore emendasset, si revera in Missale Mozarabicum illatæ fuissent? Nec infringitur vis conclusionis, si opponatur in illud idem Missale invecta fuisse Sanctorum Festa; ipsum vero potius fuisse Toletanum, quam Mozarabicum. Namque alterum nullam arguit immutationem; cum & in Missale Romanum itidem fuerint introducta Festa nova, quin vel interpolationis, vel emendationis accusationi subjaceat. Secundum autem a vero abludit; cum Mozarabico Missali plura accepta referat Cardinalis Ximenez, quam Toletano, quod ex Mozarabico ut plurimum fuit conflatum. Hunc autem fere in modum est distributum Officium Mozarabicum. Horæ omnes a *Kyrie eleison*, *Christe*, *Kyrie*, *Pater*, & *Ave* submissa voce recitandis incipiunt. Nocturno Officio additur *Ave Regina Cælorum* cum versiculo, & oratione; ac deinde alta voce dicitur: *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace*; & respondetur: *Deo gratias*. Solum Completorium aliter incipit. Horis vero absolutis dicitur *Pater noster* clara voce, singulisque petitionibus respondetur *Amen*; nisi cum ista profertur *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quæ hoc responsum habet: *Quia Deus es*. Illo eodem vocis tenore in Laudibus, & Vesperis longa subsequitur oratio. *Liberati a malo*. Post Laudes, & Vesperas oratio fit pro cujusque generis necessitatibus, atque benedictio datur, cui Diaconus præmittit: *Humiliate vos benedictioni*; inde Sacerdos tres orationes recitat, tandem, sicut omnes aliæ horæ, hac clausula Laudes, & Vesperæ terminantur: *In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace*: & respondent omnes: *Deo gratias*. Hic autem animadvertendum, antiquissimum Mozarabum

Officium duodecim constitisse horis, quarum rejectæ sunt quattuor, videlicet: In principio noctis, ante lectum, media nocte, & in Resurrectione lecti.

Nocturnæ preces hujus Officii brevissimæ sunt; recitatur enim *Miserere*, tres Antiphonæ cum Responsorio, & tres orationes. Dominicis vero diebus prioris antiphonæ loco hymnus *Æterne rerum conditor* dicitur cum oratione; tres psalmi cum Antiphonis, & tria Responsoria cum orationibus. At Dominicis post Pascha usque ad Pentecosten, Festisque solemnibus Psalmo *Miserere* sufficitur, *Domine quid multiplicati sunt*.

XVII. In Laudibus post recitatum *Dominus sit semper vobiscum*, Antiphona decantatur, atque Canticum vel novi, vel veteris Testamenti. In Festis B. Virginis, & in nocte Nativitatis Domini dicitur Canticum *Magnificat*; in Festo autem S. Joannis Baptistæ *Benedictus*; reliquis vero diebus varia adhibentur Cantica, quæ Benedictio, repetita Antiphona, sequitur. Post Salutationem *Dominus Vobiscum* dicitur alia Antiphona ante Canticum trium puerorum. Inde *sonus* similis nostris Responsoriis, & alia Antiphona ante psalmum *Laudate Dominum de cœlis*, quo decantato legitur prophetia, quam subsequitur hymnus, tum supplicatio Sacerdotis ad populum, qua eum hortatur, ut petat a Deo quæ necessaria sunt ad salutem, cui respondetur: *Præsta omnipotens æterne Deus*. Post hæc Capitulum per modum orationis, præmisso *Kyrie eleison*; tum *Pater noster*, & laus constans ex versibus quibusdam sæpius repetitis cum benedictione. Antiphonis autem, & Laudibus frequentius adjungitur Sanctissimæ Trinitatis Doxologia, *Gloria, & Honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in secula seculorum, Amen*; unde resecatur *sicut erat*.

XVIII. Porro inter Laudes, & Primam Officium speciale habent Mozarabes, quod vocatur Aurora, solisque Feriis recitatur, constans quatuor Psalmis, Antiphona, Laude, Hymno, Versu, Oratione Dominica, & quibusdam precibus. Psalmi autem hi assignantur: *Deus in adjutorium: Beati immaculati; In quo corrigit: Retribue*.

XIX. Initio Primæ dicitur Antiphona, & *Dominus sit semper vobiscum*, statimque septem recitantur psalmi; nimirum *Deus misereatur*, *Exaltabo te Deus meus Rex*, bipartitus in versu *Regnum tuum*: *Laudate pueri*: *Adhæsit*: *Legem pone*; & *veniat*: tum Antiphona iteratur, quam sequitur Responsorium, Prophetia, Epistola, Laus, Hymnus, & versus. Mox *Te Deum laudamus*, & *Gloria* extra Adventum, & Quadragesimam: deinde Symbolum Apostolorum, supplicatio, *Pater noster*, & Benedictio.

XX. Tertia, Sexta, & Nona, uti Prima incipiunt, Psalmosque quatuor habent, & varia Responsoria, quibus succedunt Prophetia, Epistola, Laus, Hymnus, & clamores, quibus petunt a Deo, ut non juxta scelera pœnas infligat. Sequuntur Supplicatio, Capitulum, Oratio Dominica, & Benedictio. Psalmi vero alii sunt ab iis, quos ad has horas recitare consuevimus.

XXI. Vesperæ nullos habent psalmos; unde post salutatum populum, Dominus sit semper vobiscum, versiculi dicuntur, quos Laudes appellant, Hymnus, Preces, Capitulum, Oratio Dominica, & Benedictio. Alia iterum laus recitatur, quæ dum peragitur, fit thurificatio per Ecclesiam; ac denique Oratione, sive Collecta diei finiuntur Vesperæ.

XXII. Completorium initium sumit a Psalmo *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, mox tria *Alleluia*; in Quadragesima vero: *Laus tibi Domine Rex æternæ Gloriæ*. Inde Psalmus, iterumque ter *Alleluia*, & alius Psalmus cum Hymno, & Versu: dein Psalmi duo cum altero Hymno; tum Versus, Supplicatio, *Pater Noster*, Benedictio, & Antiphona *Salve Regina* cum Versu, & Oratione.

XXIII. Cæterum in Officio Mozarabico ad cujusque horæ finem datur Benedictio, præterquam ad Matutinum, quod a Laudibus non sejungitur: In Lectionibus cum lectionis titulus legitur, respondetur *Deo gratias*, atque ad Lectionis finem *Amen*. Ante orationem non dicitur *Oremus*. Totum Officium in Dominicas, Ferias, & Festa distribuitur. In Sancti alicujus officio alterius non fit commemoratio.

XXIV. Ex Hispaniis ad Gallias, quæ priscis etiam temporibus Officii Divini studio haud segniter vacarunt, convertenda tracta-

tractatio. Et quidem de S. Hilario testatur S. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 10. ipsum Librum Hymnorum, & alium Mysteriorum conscripsisse. Gennadius quoque de Viris illustribus refert, Musæum Presbyterum Massiliensem lectiones ex scriptura sacra deprompras in dies singulos per annum distribuisse, & nonnullas Festorum proprias; certumque Psalmorum, & Lectionum ordinem pro variis anni diebus, medio jam seculo quinto instituisse. Excerpsit e sacris scripturis Lectiones totius anni, festivis aptas diebus, Responsoria Psalmorum, & Capitula, tempori, & Lectionibus congruentia. Testatur etiam idem Gennadius, Salvinianum, Massiliensem Presbyterum opus Musæano simile condidisse; & vita S. Cæsarei Arelatensis tradit collectionem ab eo institutam homiliarum e SS. Patribus excerptarum, quas dierum, & solemnitatum per annum proprias esse voluerat. Hinc Concilium Veneticum adulto jam seculo quinto habitum, in officio recitando magnam perspiciens varietatem, eandem, atque unicam per provinciam Turonensem Can. 15. servari præcipit rationem: Epaonense, & Agathense sequiori seculo celebrata conspirantem hunc postulant consensum.

XXV. Veteris autem Gallicani officii distributionem exponit Concilium Agathense jubens Psalmos per alternos choros decantari; eos per collectas absolvi; Hymnos officio Matutino, & Vespertino aptos interferi; atque ad finem cujusque officii post Hymnos, & Capitula e psalmis petita, orationem esse recitandam: populumque cum Episcopi benedictione dimittendum. Concilium vero Turonense III. circa medium sextum seculum, duodecim Psalmos cum sex Antiphonis præscribit, totoque Augusto mane esse surgendum, quod Sanctorum haberentur Festa, & Missæ: Septembri antiphonas septem ad duos psalmos: Octobri octo ad tres psalmos: Novembri viginti septem: ac reliquis mensibus eo plures, quo prolixiores essent noctes. Vetat autem ad Matutinum, & ad Nocturnum officium pauciores, quam duodecim psalmos recitari: *Quicumque minus, quam duodecim psalmos ad Matutinum dixerit, jejunet.*

XXVI. Verum particularium Ecclesiarum, quarum primas tenet Lugdunensis, consuetudines indagandæ sunt; cum plurimarum ritus vix a Romanis discrepent, cum in psalmorum distributione, tum in numero Lectionum, & ipsa officii methodo, ac ordinatione. Ecclesia itaque Lugdunensis Galliarum primatu insignis, ad Primam per hebdomadam non nisi tres psalmos recitat; diebus vero Dominicis novem, & symbolum S. Athanasii, quod Primæ Dominicali omnes Ecclesiæ adjungere consueverunt. Dominica autem Sexagesimæ, & sequentibus ad Pascha, duos priores Psalmos ad Laudes mutat pro Psalmo *Dominus regnavit*, legens Psalmum *Miserere*, pro Psalmo *Jubilate* Psalmum *Confitemini*; atque ideo eodem tempore ipsum *Confitemini* omittit ad Primam, illi substituens Psalmum *Dominus regnavit*.

XXVII. Nocturnis præmittitur oratio Dominica sola: deinde Versus dicitur: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*; tum *Domine labia mea aperies*; *Deus in adjutorium: Gloria Patri*, & Invitatorium, quod proxime sequuntur Psalmi; cum Hymnis careant omnia officia, excepto Completorio. Quæ ad Lectiones spectant, hæc tradit Gregorius Turonensis tom. 5. Spicileg. Nocturnum describens officium, quod Lugduni in Ecclesia S. Justi a Gundebaudo Burgundionum Rege convocati Episcopi ad officium die ejus Sancti Festo, recitandum celebrarunt. Noctem transegerunt super S. Justi monumento, prima Lectio e Scriptura Sacra fuit desumpta: Cum Lector secundum morem inciperet lectionem a Moyse; inde Psalmi decantati, post eos Isaias lectus: Mox alii Psalmi, & lectum Evangelium; post alios vero Psalmos, S. Pauli Epistolæ. Quæ quatuor Lectionum genera conficiunt; nec tamen, licet S. Justi Festum celebraretur in ejus Ecclesia, ac super ejusdem hæc agerentur tumulo, ejus vitæ Acta, aut Patrum Homiliæ fuere perlectæ. Quo circa non video, qua ratione Card. Bona de Divin. Psalmod. c. 18. §. 9. scripserit, Ecclesiam Lugdunensem, quam post S. Bernardum, Novitatis nesciam vocat, in Numero, & Ritu Lectionum a Romanis non discrepare. Hic nempe vetus erat Lugdunensis mos, qui ad Agobardi tempora viguit, nihil in Ecclesia recitandi, quod e Scriptura Sacra petitum non esset.

Qua-

Quare idem Agobardus affirmat, Concilia aliam ab hac officii peragendi rationem ratam habitura non fuisse: sed ut reverenda Concilia Patrum decreverant, numquam plebejos psalmos in Ecclesia decantandos; nihil poetice compositum in Divinis laudibus usurpandum. Quod quidem argumento ex ipsis Romanis Missalibus petito tuetur: *Sicut in diebus ad Missas non nisi Divina generaliter eloquia decantantur, ita & in noctibus ad Sacras Dei Vigilias exhibendas; ea procul dubio lex debet observari, . . . non ergo cuiuscumque figmentis, sed Spiritus Sancti eloquiis Majestas divina laudanda est*. Verumtamen, licet eadem Ecclesia Lugdunensis ad hæc tempora, nulla deaurata opera, nullum Musices, aut Organorum usum admiserit, jamdudum in Completorium Hymnum inseruit *Te lucis ante terminum*, officioque Lectiones Sanctorum proprias addidit. Nec immerito: quamquam enim Concilia Laodicenum, & Bracharense primum vetuerint, in officium inferri quæquam, præter excerpta e Sacris Codicibus, quartum tamen Toletanum, Agathense, & Turonense III. ratos habuere Hymnos a S. Ambrosio, aliisque Ecclesiæ Doctoribus compositos. Tandem Lugdunenses Canonici post ultimum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus* cum Antiphona, & *Gloria Patri* instar Psalmi: sequitur versus, quo dicto incipiunt Laudes.

XXVIII. Prima, Tertia, Sexta, & Nona inchoantur ab oratione Dominica solum: habent parva Responsoria post Capitulum, & post singulos Psalmos *De profundis* cum Collecta pro defunctis. Antiphona autem de B. Virgine, qua Romani horas terminant, nonnisi post Nonam, & Completorium, decantatur.

XXIX. Vesperarum idem, quod aliarum horarum initium: in quibusdam solemnitatibus Antiphona Cantici Deiparæ septies repetitur, & versibus ipsius Cantici intermiscetur. Completorio nulla præmittitur lectio, sed oratione Dominica, versibusque recitatis *Converte nos Deus*, & *Deus in adjutorium*, psalmi canuntur, quos sequitur hymnus singulis Feriis, & Festis mutandus. Post hymnum dicitur versus, omisso Capitulo, tum Canticum Simeonis: inde preces, oratio, & benedictio, denique Psalmus *De profundis*, & Antiphona conveniens de B. Virgine.

XXX. Altera est in Galliis insignis Ecclesia, Parisiensis videlicet, cujus officii mentio sæpius apud Gregorium Turonensem occurrit. Testatur enim de se ipso Lib. 4. hist. c. 6., quod cum Parisiis prope S. Juliani Ecclesiam degeret, singulis noctibus officio, quod ibi celebrabatur, adfuerit: *Nos media nocte surgentes, ad reddendas Domino gratias ingressi sumus explorare cursum*. Qui quidem mos Matutinum media nocte recitandi in Cathedrali Ecclesia dudum retentus est; cumque aliquandiu, bello Anglico sæviente, intermissus fuisset, Senatus Decreto mandatum est Capitulo, ut vetus ritus quam primum restitueretur. *Hodie conclusum est*, refert Tabularium Capituli ann. 1359. *quod matutinæ dicantur media nocte, & quod pulsentur minores, & mediocres Clochiæ, & sine Carillono; & quod hoc primo fiat die festo S. Dionysii, & quod proclametur per Urbem, quia ita vult Concilium Regium, & illi de Villa*.

XXXI. At post Pictaviensem pugnam, & Joannis Regis captivitatem, Senatus Præses jussit, ne Parisiis Campanæ noctu pulsarentur, turbarum, atque seditionis metu: unde Canonici occasionem arripuere Matutinum Vespere recitandi: *Tum Canonici*, ait Nangii Continuator, *post Completorium suas cantabant celeriter Matutinas, quas antea consueverant hora noctis mediæ, signis solemniter pulsatis devotius agere*. Quæ autem fuerit Ecclesiæ hujus distributio Officii, plane incompertum est, nullos tamen habuisse Hymnos, Versiculos, & Responsoria certum est; quippe quæ sequioribus tantum temporibus sensim sine sensu in illud inserta fuerint. Unde tale illud fuisse asserendum est, quale ad hæc tempora Feria IV. majoris hebdomadæ usque ad Dominicam *Quasi modo* recitatur: quæ est vetus hujus officii forma, nullam immutationem passa. Quocirca inter Ritus Parisiensis Ecclesiæ proprios censeri potest mos canendi Responsorium ad primas Festi Vesperas, & Invitatorium juxta Festa duplicia vel semiduplicia; Responsorium postremæ lectioni addendi; atque cum *Te deum* omittitur, idem novum Responsorium repetendi; Sacerdotalem versiculum pronuntiandi ad ve-

terem

rerem Matutini, & Laudum separationem denotandam; quinque Laudum Antiphonas, ad quinque sequentes horas dicendi; ad singulas horas Antiphonam, & quintam ad Vesperas, quando nullæ essent propriæ ex ipsis Psalmis etiam Vesperarum depromptæ, quemadmodum habentur singulis Dominicis, Christi Natali die, Apostolorum Festis, & Ferialibus diebus; Psalmos præterea currentis Feriæ ad primas Festorum Vesperas recitandi. Tempore procedente, quibusdam Festis diebus in cujusque Nocturni finem Prosæ, atque versiculi inserti fuere, ut diebus Assumptionis B. V. Sancti Pauli, S. Laurentii, S. Nicolai & aliorum; Natali quoque Domini nostri die post Responsorium *descendit* tres prosæ dicebantur; Purificationis vero die post novum Responsorium *Gaude inviolata* decantabatur.

XXXII. Verum anno 1583. & 1584. cum nonnulli Romanorum Breviarium in Parisiensem Ecclesiam invehere tentassent, Petrus de Gondy ejus Episcopus ea de re ad Capitulum verba fecit, & post exploratas omnium sententias, atque diligens rei examen, statutum fuit Breviarium Parisiense abjiciendum non esse, sed emendatum denuo esse typis edendum.„ Existimatum est Breviarium Parisiense convenientius retineri in ipsa Ecclesia Parisiensi, ac typis demandari prius recte expurgatum, ac restitutum per Dominos ad hoc jam deputatos ".

XXXIII. Illius autem formam si spectes, ex correctione ad Romanum Breviarium tam prope accessit, ut idem ferme dici possit in plerisque Lectionibus, Hymnis, Responsoriis, & Psalmis. Aliquo tamen pacto fuit immutatum, cum Francisci Harlæi Parisiensis Archiepiscopi jussu anno 1680. fuit denuo expurgatum; & tunc primum inter cetera Dominicæ Psalmi ad primas Festorum Vesperas dici cœpere, Ferialibus, qui constanter elapsis seculis recitati fuerant, omissis. In editione anni 1607. e Completorio decisa fuerat oratio, *Illumina*, quæ vetustissima est, extatque in Sacramentario S. Gregorii, ac ejus loco oratio *Visita*, fuit apposita, quam Monachi in Breviarium Romanum intruserant, ut ait Granc. pag. 31. & 32. In ultimis editionibus Parisiense Breviarium, quod dicebatur, *Ordinarium*, seu *Breviarium Parisiensis Ecclesiæ accommodatum*, dictum est *Breviarium insignis Ecclesiæ Parisiensis ad formam Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum*; licet Concilium illud nullam Breviarii formam instituerit, vel præscripserit, ut intelligeretur ipsum fuisse emendatum, sicut jusserat Concilium.

XXXIV. In Germaniam e Galliis migremus: at ibi diu non commorabimur; si quidem nullum unquam officium habuit, preter Romani illuc a Bonifacio Moguntino Episcopo, & Germaniæ Apostolo allatum, cum populos illos ad Christi fidem convertit; ita ut Germania Officium ipsissimum Romanum habeat, seque semper addictissimam Sanctæ Sedi fuisse glorietur.

XXXV. Anglicani autem officii nullum est monumentum, quo cognosci possit, ante S. Gregorii ævum, qui Evangelii præcones ad Christianam Religionem restituendam illuc misit. Hic autem S. Pontifex eisdem tradidit Officii Romani libros, atque in Dialogis Egberti Archiepiscopi Eboracensis ad annum 747. scriptum est; Pontificem Maximum ad eos deferri curasse Antiphonarium, & Missale, illud scilicet, quod S. Gregorius composuerat, & Augustino commendarat, ut iis in locis servaretur. Beda quoque lib. 4. Hist. cap. 18. ait, Romanum Pontificem Agathonem in Angliam Cantores proficisci jussisse, ut Officium Romani instar perageretur. Et S. Bernardus in vita S. Malachiæ refert, hunc Episcopum Hiberniæ populos docuisse Officii celebrationem, sicut Romæ persolvebatur. Quin Concilium Cloveshoviense ann. 747. celebratum mandat Can. 13. ut Ritus Romanus in Missa, & Officio servetur.

XXXVI. Immutationes igitur, quas cum in Germania, tum in Anglia sortitum est Officium Divinum, nonnisi post infandum schisma exortum, erupere. Eas tamen recensebimus, cum de Orientalibus Ritibus agentes, eos silentio non prætermiserimus, qui apud extorres a Fide Catholica sectas vigent. Lutherani itaque, & Angli Psalmorum librum semel per menses legunt, menses autem, cum æquales non sint, atque Januarius, & Martius diebus 31. Februarius vero 28. tantum constet, Psal-

mo-

morum liber, qui Februario recitandus esset, pridie Kalendas Februarias legi incipit, & Kalendis Martii absolvitur; mensium vero Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Decembris postrema die iidem psalmi recurrunt, qui præcedente perlecti fuerant. Psalmi vero hi non juxta vulgatam interpretationem, verum juxta Hebraicum textum leguntur: vetus quidem Testamentum in prima lectione precum Matutinarum, & Vespertinarum; novum autem in secunda. Porro illud semel per annum, istud vero ter percurritur. Habentur etiam lectiones singularum per annum Dominicarum propriæ; Ascensionis præterea, & Feriæ secundæ, & tertiæ Paschatis, & Pentecostes, atque ceterorum Festorum. Unde quamquam ex Romanis Ritibus multa sumpserint, ex septem tamen horis Canonicis Matutinas tantum, & Vespertinas preces, Collectas, Litanias, sed sine invocatione Sanctorum, distributionem Epistolarum, & Evangeliorum per anni cursum, preces, versiculos: *Te Deum laudamus, Benedictus, Magnificat, Pater, Kyrie eleison, Domine labia mea aperies, Gloria in Excelsis*, Præfationes, *Quicumque* servaverunt. Namque ex Collectis Sanctorum, quorum officia celebrant, eas dumtaxat retinuere, quæ mera constant historia, & in quibus nulla sit intercessionis, aut invocationis mentio. Hæc autem officia superpelliceo, pluviali, & casulis induti decantant, puerorum choros, Cantores, & Organa adhibentes.

XXXVII. Calvinistæ alium ineunt ordinem; centum quinquaginta psalmos intra duos dies decantant, quibus conventus habetur; Dominica videlicet, & Feria quinta: Dominica 100. Feria quinta 50. canunt. Dominica scilicet die 25. ante Matutinam Concionem, & post eam 25. rursus 25. ante Vespertinam Concionem, & 25. ea absoluta. Nam Feria V. semel tantum conveniunt, psalmosque 25. ante Concionem, & 25. ad ejus finem recitant.

XXXVIII. Tandem quædam de veteri, & hodierna apud Monachos officii recitandi ratione hanc claudent Exercitationem. Ægyptii Monachi noctu tantum, & vespere, atque bis per diem conveniebant; & tunc duodecim Psalmos recitabant, qui numerus in tota antiquitate conspicuus, nobis reliquus fuit Dominicis in primo Nocturno, & Ferialibus diebus. Cum Psalmi justo prolixiores erant, eos secabant; atque ad cujusque Psalmi finem non *Gloria Patri*, ut in Occidente dicebatur, sed mora aliqua fiebat, tacitaque oratio, sive in Psalmum decantatum meditatio; ad finem vero duodecimi psalmi *Alleluia* canebatur. Unicus Frater cantabat; ceteri vero omnes sedebant, ea quæ dicebantur, recogitantes. Dominica tantum, & Sabbato duodecim Psalmos sequebantur Lectiones duæ, ex veteri una, ex novo Testamento altera.

XL. Palæstinæ Monachi Ægyptiis concordabant; sed ad Tertiam, Sextam, & Nonam conveniebant, Ægyptiis eas horas persolventibus, dum opus facerent.

XLI. In Occidente S. Columbanus Luxoviensis Abbas instituit, ut noctu æque, ac die ter ad orandum fieret conventus: in Divino Officio singulis horis tres Psalmi, & nonnullæ preces recitandæ: Nocturnum autem Officium pro noctium ratione proferendum, aut contrahendum, ab Octobri ad Februarium in communi Officii per tria intervalla triginta tres Psalmi, & duodecim Antiphonæ decantandæ; reliquis vero anni temporibus viginti quatuor tantum Psalmi, & octo Antiphonæ; at Sabbato, & Dominica per hyemem septuaginta quinque Psalmi, & duodecim Antiphonæ, quibus addendum, vel detrahendum pro noctium incremento, aut imminutione.

XLII. S. Benedictus Psalmos in Officio ita distribuit, ut Psalterium per hebdomadam absolvatur. Cum vero Psalmi æquo prolixiores sunt, in duas partes secantur. Noctis officium semper duodecim psalmis constat, quibus tria Cantica e Veteri Testamento diebus Dominicis semper adduntur. Laudes incipiunt a Psalmo *Deus misereatur* sine Antiphona; inde Psalmus *Miserere*. Prima Dominicis diebus quatuor habet Psalmos. Feria tertia usque ad Sabbatum Graduales Psalmi recitantur, Vesperis quatuor tantum Psalmi assignantur. Porro officium nocturnum inchoatur a versu *Deus in adjutorium*, ter repetito, *Domine labia mea aperies*, & Psalmo *Domine quid multiplicati sunt*, qui integer reci-

recitatur sine antiphona. Inde Invitatorium, Hymnus: sex Psalmi, quatuor Lectiones cum Responsoriis ad primum Nocturnum, ad secundum sex Psalmi cum Lectionibus quatuor: ad tertium tria Cantica post unicam Antiphonam, quatuor Lectiones, seu Homiliæ in Evangelium; quatuor Responsoria, *Te Deum*. Denique Abbas Evangelium legit, quo finito respondetur, *Amen*, & canitur *Te decet laus, te decet Hymnus*; *Tibi Gloria Deo Patri, & Filio, cum Spiritu Sancto in secula seculorum*, *Amen*. Hic diei Collecta dicitur. At ferialibus diebus ad primum Nocturnum sex recitantur Psalmi cum tribus Lectionibus, & tribus Responsoriis; post Pascha vero ad Novembrem usque unica, & ea quidem brevissima cum Responsorio habetur Lectio, ad secundum Nocturnum sex psalmi, Capitulum, *Kyrie*, *Pater noster*, & diei oratio.

XLIII. Minores horæ post Capitulum, versiculum solummodo habent; inde *Kyrie*, Orationem Dominicam, & Collectam. Vesperarum hæc a Romanis differentia est, quod breviores uno psalmo sint, & post Capitulum semper recitetur Responsorium. In Completorio Psalmus *Nunc dimittis* non dicitur; sed post Psalmos versiculus est, *Kyrie*, & *Pater*, Oratio, & Benedictio. Porro S. Benedictus aliam non præscribit orationem ad officia claudenda, quam Dominicam quæ alta voce ad Laudes, & Vesperas est proferenda, ut si qua inter Fratres esset simultas, ad veniam dandam urgerentur illis verbis: *Dimitte nobis debita nostra*, *sicut*, *& nos dimittimus debitoribus nostris*. Si cui autem Psalmorum a se instituta distributio non probetur; alia ratione eos distribui non vetat; unde contigit, ut in suo ordine varia fuerint Breviaria condita. Nam Congregatio Cluniacensis in Gallia aliud habet, quam Congregatio S. Mauri; incassum statuente Concilio Ravennatensi ut Abbates omnes, atque Priores Ordinis S. Benedicti consonam recitent officium.

XLIV. Cistercienses, qui Regulam S. Benedicti pene combustam, ut verba Petri Cellensis conscribamus, sicut Esdras veterem Legem, instaurarunt, ritum proprium instituerunt Regulæ prorsus conformem, qui propterea a communi Monastico discrepat in nonnullis. Lectionibus, nec Orationem Dominicam, nec absolutiones præmittunt. Ad Primam, & Completorium, nec Confessionem, nec preces habent: ad Responsoria post Capitula non adjungunt *Gloria Patri*: æstivo tempore unicam perpetuo Lectionem in Nocturnis ferialibus legunt; quare nullum festum iis trium lectionum. Ad Tertiam, & Completorium hymnos variant pro varietate temporum, & Festorum: in Vesperis nunquam Psalmos feriales mutant. Festa, quæ non sunt duodecim lectionum, sola commemoratione in primis Vesperis, & Laudibus celebrant: Antiphonas nunquam duplicant, sed tantum post Psalmos, integras cantant: ad Laudes unam dumtaxat dicunt Antiphonam, demum omnes horas commemoratione Beatæ Virginis, & Dominicæ Incarnationis concludunt.

XLV. A Cisterciensibus vix discrepant Carthusiani, illis fere coævi. Ante Vigilias dicunt ter *Pater*, & *Ave*; post ultimam Antiphonam Nocturni semel *Pater*, & *Ave*, & absolutionem: post Canticum *Benedictus* novem vicibus Kyrie eleison, Christe eleison cum multis precibus, quibus Psalmum *Miserere* privatis diebus adjungunt. Ad finem autem Lectionum ex Prophetis addunt: *Hæc dicit Dominus*, *convertimini ad me*, *& salvi eritis*. Vespere Psalmos mutant pro diversitate Festorum. Quotidie Symbolum S. Athanasii recitant. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino*, nihil aliud addere consueverunt.

XLVI. Præmonstratenses contendunt, suum Breviarium antiquum esse Romanum, quod purum conservant, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformationibus. In paucis tamen differunt a Romanis; & primo quidem ante Vigilias nocturnas tres Psalmos recitant cum quibusdam precibus, & orationibus: deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt versum, & orationem Dominicam, sed non absolutiones; post nonum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus*; & Laudibus versum semper præmittunt, quem vocant Sacerdotalem. In primis Vesperis Solemnitatum magnum Responsorium cantant post Capitulum. Ad omnes horas diei, hymnos variant pro ratione temporum, & Festivitatum: Antiphonam Beatæ Virginis, qua terminantur horæ, nonnisi post Completorium

rium recitant. Tandem Psalmum *Confitemini* a Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis non ad Primam, sed ad Laudes dicunt loco Psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore ad Primam decantant.

XLVII. Prædicatorum Ordo ad Primam tres psalmos consuetos recitat; diebus vero Dominicis a Septuagesima usque ad Pascha novem: quo etiam tempore ad Laudes Psalmum dicit *Confitemini* loco Psalmi *Jubilate*. Martyrologium legit post Laudes; sed cum Matutinum Vespere diei præcedentis dicitur, tunc legitur post Primam. Hymnos Completorii variat pro ratione temporum, & absolutis horis semper decantat, sicut Cisterciensis, Antiphonam *Salve Regina*, cui adjungit alteram de S. Dominico cum quibusdam precibus. Extra Adventum, & Quadragesimam Officium feriale ter, vel quater in Hebdomada omittit, recitans de S. Dominico, de Sanctissimo Sacramento, de Beata Virgine, & de Sancto Titulari Provinciæ. A diebus Paschatis usque ad Trinitatem tribus Psalmis, totidemque Lectionibus nocturnas quotidie vigilias perficit; quod post Octavam Resurrectionis, nonnisi diebus Dominicis usque ad Ascensionem faciunt Præmonstratenses.

XLVIII. Agmen claudit Ordo Carmelitarum, qui Breviarium suum Hierosolymitanæ Ecclesiæ ipsissimum esse affirmant. Eorum tamen ritus non discrepat a Dominicanis, hoc dumtaxat excepto, quod diebus Dominicis per annum dicunt ad Primam Psalmum *Confitemini*; In Dominicis item Adventus quinque Psalmos ad Primam, aliis consuetis præmittunt; Paschatis rempore Antiphonæ *Salve Regina* substituunt *Regina Cæli*; diebus Resurrectionis initio Vesperarum omisso versu *Deus in adjutorium* cantant solemniter novem vicibus *Kyrie eleison*, sicut in Missa: quo ritu utebatur olim Ecclesia Romana; quare Carmelitanum Ritus, vel Dominicano simillimus, vel purus est Romanus, qualis vigebat Seculo XII.

XLIX. De Ritu Sacrosanctæ Ecclesiæ Bracharensis, ut & de aliis rebus ad nostræ Lusitaniæ Ecclesias attinentibus verba facere consulto omittimus. Siquidem dissertationem omnibus numeris absolutam ab eruditissimo viro illic nobis transmittendam expectamus.

AD CAPUT IX.

GABRIELIS ALBASPINÆI AURELIANENSIS EPISCOPI

Quæ Festorum dierum Solemnitas a Paschate ad Pentecosten interjecta fuerit.

DISSERTATIO XXII.

I. ADmirandam plane, & prope continuam primis illis temporibus, a Paschate ad Pentecosten usque, solennitatem fuisse comperimus, adeo ut *Tertullianus* confirmet dies omnes festos Paganorum, & numero & dignitate, & illustri hilaritatis omnis significatione, nullo negotio superari, si ejus temporis interpositi per se religio, celebritasque spectetur: *excerpe singulas solennitates nationum, & in ordinem retexe, Pentecosten implere non poterunt*. Ejus autem solennitatis non leve, aut contemnendum operæ pretium fuerit causas omnes pervestigare, quas ad solenne Missæ sacrificium, nisi me fallit animus, referendas esse censeo, quod scilicet pari cultu, religione ac cæremonia per totos illos quinquaginta dies, Dominicarum dierum celebritatem æquabat. In eo autem omnis opera actioque fidelium versabatur, ut

ut summa cum animi voluptate, Christi Domini laudes ac præconia fundendis concinendisque hymnis, ac canticis, in cælum efferrentur, crebroque per hos quinquaginta dies, ac quotidianæ sacræ synaxes viserentur, atque ut diebus dominicis, ita a Paschate ad Pentecosten jejunia Christiani intermitterent, neque in genua procumberent, ut ait *Tertull. nec de geniculis adorare*, eadem immunitate a die Paschæ ad Pentecosten gaudemus; Sed præcipua, ni fallor, ejus solennitatis & festivitatis ratio fuit quod toto illo tempore omnes Sacramento Eucharistiæ reficerentur, quam tanto cultu ac veneratione prosequebantur, incredibili gaudio colliquefacti, ut diem illum quo sacro pane vescebantur, festum solennemque ducerent. Quinquaginta autem illos dies sine ullo labore, ac servili opere, cum summa cessatione (ut apud nos hodieque festi dies agitantur) ab illis fuisse traductos, non est credibile, alioqui agnosci facile quis potuisset Christianus si tandiu operas intermisissent. Ad hæc non pauci Christiani quibus tenues fuissent opes, maximum ea operis intermissione detrimentum capere potuissent. Tertull. lib. de Baptismo, ait, hanc quinquaginta dierum solennitatem adeo necessariam fuisse, ut Christianis necesse fuerit, tanto dierum intervallo, profusæ illi lætitiæ, & hilaritati, sed sine scelere sese dedisse: cujus rei necessitas non aliunde quam ex Eucharistiæ perceptione oritur. Illud perinde accipiendum est, quod idem author asserit, Christianos Dominicis solere diebus lætari magnopere, diemque illum summa religione recolere, ob id maxime quod Sacræ Eucharistiæ participes omnes efficerentur. Nam quod ea causa afferri potest resurrectionis memoriam repræsentari, non id quidem rejicio, cum utraque ratio atque causa ad unam eandemque rem pertineant. Nam ut Dominicæ quinquaginta illi dies, continua quadam religione traducerentur, præscripta designataque eo tempore fuit communio, qua facta perceptaque Christiani omnes ad istos dies cum Dominico rite & intimo sensu pietatis concelebrandos incitabantur, vel eo magis, quod cum Eucharistia dici proprie possit resurrectionis nostræ pignus, sementisque certissima, ut memoria hujus rei infixa animis Christianorum hæreret, quinquaginta illis Dominicisque item diebus suavissime compellebantur, & cogebantur Christiani singuli Eucharistiam, quod ea, uti dixi, resurrectionis, seu æternæ vitæ spes explorata esset, sumere.

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De Canonizatione Sanctorum.

DISSERTATIO XXIII.

I. INter alia quæ sæculi decimi religionem probant, illud non prætermittendum, quod ad referenda in Sanctorum Classem nova piorum nomina postulata est Romani Pontificis auctoritas. Scio *Bellarminum* & alios viros doctos in ea fuisse persuasione, hujusce moris originem ad Sanctum *Suidbertum*, idest ad sæculum 8. esse revocandam. At cum eorum fundamentum falsis actis atque litteris innitatur; non ante sæculum decimum indubitata ejus rei exempla reperire licet. Sed quia hæc quæstio aliquanti momenti est, eam paullo latius explicare juvat, & quidem historico, non dogmatico illo modo, quo usi sunt *Bellarminus* & alii post eum in tractando hoc argumento.

II. Atque ut a vocabulo *Canonizationis*, quod jam in vulgarem, ac solennem usum venit, dicendi initium faciam, illud minus antiquum est, quam res ipsa, necante sæculum 12. inventum, postquam videlicet ad authenticam inter Sanctos relationem summi Pontificis suffragium requisitum est. Hoc quippe vocabulo usus est inter primos *Udalricus* Constantiensis

Episcopus in Epistola ad *Calixtum* II. pro canonizatione *Conradi* Episcopi, & aliquanto post *Alexander* III. in bulla de canonizatione *Eduardi* Angliæ Regis anno 1161. itemque Sancti *Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi post annos undecim: sed & eodem tempore Petrus Cellensis, & alii auctores, ut mox videbimus. Nominis ratio per se ipsa patet: neque enim aliud est canonizatio, quam in canonem seu in album Sanctorum relatio.

III. Est autem Canon duplex: alius personarum, alius librorum, qui etiam *canonizati* non raro leguntur, cum in librorum approbatorum seu authenticorum classem referuntur. Antiquior est hujus vocis usus apud Græcos. Nam apud *Athanasium* τὰ κανονιζόμενα βιβλία legitur, & apud alios. Hujus canonizationis veluti forma, seu quidam effectus erat, cum œcumenica Concilia inter Missarum solennia in ambone seu pulpito quondam prædicabantur; & in sacris diptychis perlegebantur ab Episcopo, vel ab alio, cui vices suas ipse delegasset: qua de re legesis Notas eximii viri *Henrici Valesii* in *Evagrium* (lib. 4. cap. 11.). Apud Latinos etiam hæc vox transiit, ubi de libris sacris vel canonica auctoritate approbatis actum est: quo modo *Litvvardus* Vercellensis Episcopus *Notkeri Balbuli sequentias canonizasse* traditur apud *Ekkehardum* Minimum in libro de *Notkeri* vita cap. 16. & *Gerlaci* Eremitæ *grandia volumina ab Eugenio* Papa *canonizata & inter scripturas sacras commemorata* leguntur in ejus vita cap. 8. ut eruditissimus *Cangius* adnotavit. In his libris, qui tam solenni modo approbati erant, quidnam detrahere aut addere nefas arbitrabantur. Unde Fratribus Minoribus, sub annum 1408. quamdam a regula sua relaxationem petentibus, Papa respondit Regulam Sancti *Francisci canonizatam se nolle sensu aliquo violare*.

IV. Canon personarum duplex: unus vivorum, alius mortuorum, iique bipartitus, nempe Sanctorum, & aliarum personarum illustrium. Canon Missæ seu sacra diptycha sanctos: aliis canon, seu alia diptycha, promiscua & minus sacra, ceteros complectebantur. Canonis etiam nomine censenda sunt, tum Kalendaria, tum Martyrologia, in quibus Sanctorum nomina descripta sunt publica auctoritate. Et hoc præcipue modo facta est ab annis sexcentis sanctorum canonizatio, cum scilicet eorum nomina in Sanctorum album relata sunt; facultate concessa ut publico cultu in Ecclesia honorarentur. Nulli enim ab eo tempore in Missæ canone adscribi meruerunt. Idem ergo est Sanctum canonizari, atque in Sanctorum numerum referri. Id patet ex epistola *Nicolai Anglicani* monachi ad *Petrum Cellensem* (lib. 9. epist. 9.) in hæc verba: *Sanctus ille* Bernardus, *quem dicis me debita exuere veneratione, & post eum verborum jacula emittere, quondam Sanctorum Catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano judicio exemptus*: quod iisdem fere verbis declarat *Alexander* Papa III. in litteris de canonizatione Sancti *Thomæ* Archiepiscopi Cantuariensis, quem *in capite jejunii*, inquit, *deliberato Fratrum nostrorum consilio canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum catalogo adscribendum* anno 1172. Biennio elapso idem *Alexander* in litteris ad Regem Franciæ pro Sancti *Bernardi* Abbatis canonizatione missis, ait se decrevisse eum *canonizandum*. Paullo post *Lucius* III. scribit *Petro* Abbati Cisterciensi aliisque, qui eum de *canonizando* piæ memoriæ *Petro* quondam Tarentasiensi Episcopo, sollicitaverant sub annum 118c. Id tandem præstitit *Cælestinus* III. qui jam dictum venerabilem virum de communi Fratrum consilio *canonizavit*, & *canonizatum universæ Ecclesiæ* per sua scripta denuntiavit anno 1191. statuens insuper, ut ejusdem Petri memoria quotannis tertio Idus Septembris, quo *gloriosum corpus ejus de sepulchro levatum* fuerat. Idem Pontifex Bernwardum Hildeneshemensem Episcopum anno 1193. *in catalogo Sanctorum ammodo numerandum* decrevit, & *sacratissimum corpus eius de terræ gremio erigendum, & inter Sanctorum memorias veneratione condigna collocandum*. Sicque *beatus Confessor in Sabbato ante natale Domini solenniter canonizatur*. Quadriennio ante *Clemens* III. *Ottonem* Babenbergensem Episcopum *canonizatum* declaravit. Deinceps canonizationis vocabulum in promiscuo usu fuit. Sed ante hos omnes *Fredericus* Ænobardus diploma edidit *pro elevatione & exaltatione* corporis *Caroli* M. *atque*

atque canonizatione. Hanc elevationem auctoritate *Paschalis* pseudo-pontificis ab Episcopis fieri curavit anno 1165. quo fere tempore Anonymus in prologo de vita Stephani Abbatis Obazinensis, ait, *Stephanum* nondum inter Sanctos *canonizatum fuisse*.

V. Nunc de personis quibus canonizandi potestas competit, agendum: sed prius distinguenda sunt tria tempora, unum ab exordio Ecclesiæ ad sæculum decimum: alterum a sæculo 10. ad *Alexandrum* tertium hujus nominis Pontificem: tertium ab *Alexandro* ad nostrum usque tempus. Primo intervallo hæc facultas maxime Episcopis in sua cuique diœcesi tributa est cum populi suffragio: deinde vero cum Synodi & Principis consensu. Secundo summi Pontificis auctoritas petita est, ita tamen, ut Episcopi etiam morem pristinum retinerent. Tertio soli Romano Pontifici canonizandi facultas reservata est seclusis Episcopis, sed non Concilio Generali. Istorum omnium probationes inferius venient.

VI. Præterea canonizatio illa generalis, alia particularis dici potest. Hæc ab aliquo Episcopo, seu ab Ecclesia, vel synodo particulari fiebat: illa ab œcumenico concilio aut a Summo Pontifice sanctum aliquem roti Ecclesiæ declarante. Generalis canonizationis nullum (quod quidem sciam) vestigium apparet ante sæculum 10. Particularis sola in usu erat, quæ tamen accedente totius Ecclesiæ consensu, & approbatione, generalis evadebat. At quædam generalis communi omnium ecclesiarum consensu canonizatio facta est sanctorum quorumdam maxime illustrium: qualis est beatissimæ Virginis Deiparæ, & Apostolorum. Quælibet porro Ecclesia particularis descriptum habebat Sanctorum suorum catalogum: donec confirmata Ecclesiæ pace, omnium collectio facta est, primo quidem per *Eusebium*, deinde per quemdam sub nomine Hieronymi, postea per *Bedam Vvandelbertum*, *Usuardum*, *Adonem*, *Notkerum*, & alios de quibus in sæculi superioris Præfatione prima diximus: ubi observavimus, Ecclesiam Romanam proprium Martyrologium ante sæculum octavum habuisse.

VII. In primis facta est Martyrum canonizatio; paullo serius Confessorum. Ad illam pertinet *Cypriani* epistola 97. qua Clerum Ecclesiæ suæ admonet ut dies eorum qui martyrio vitam finiissent, Ecclesiasticis tabulis sedulo adnotarentur, *quo commemorationes eorum*, inquit, *inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Non immoror congerendis de prisco Martyrum cultu testimoniis, quæ cuivis obvia esse possunt. Non tamen sine delectu quorumlibet Martyrum cultus inductus est, tum quia hæretici, in primis Montanistæ (Euseb. Lib. 5. c. 15.) & Donatistæ, Martyres suos & ipsi venditabant: tum quia erratum aliquando in falsis Martyribus subrepere poterat, ut apud *Severum Sulpicium* in libro de Vita S. *Martini*, ubi de illo latrone, in quo Deus non sivit Ecclesiam ludificari: tum quia Episcopi Martyres non satis notos aut probatos inter veros Martyres coli haud patiebantur. Cum enim vulgus quoslibet injuste cæsos pro martyribus aliquando haberet, ut alibi observavimus; maxime intererat vulgi judicium ad censuram Ecclesiæ revocare, ne error demum in superstitionem convalesceret. Quapropter maxime necessarius erat in his delectus. Unde in Romana Ecclesia instituti fuerant a *Clemente* primo septem Notarii, qui acta Martyrum scriptis exciperent. *Fabianus* vero totidem Subdiaconos instituisse fertur, qui res gestas Martyrum a septem illis Notariis scriptas, in ordinem redigerent. Memorabile hoc in argumento est quod de actis Sancti *Vigilii* Episcopi Tridentini, & Martyris legitur in veteri codice ms. quorum actorum exemplum ad Romanum admitteretur. Hæc verba sunt antiqui codicis, quem clarissimus *Obrechtus*, Argentoratensis urbis Advocatus generalis, nobis pro sua humanitate commodavit. *Gesta vero beatissimi Martyris*, UT MORIS ERAT, *urbis Romæ Episcopo transmissa sunt, ut sacris Martyrum memorialibus inderetur. Qua suscepta venerabilis Papa legens, cum omni veneratione suscepit*. In istorum fine actorum sic legimus. *Passus est autem Sanctus* Vigilius *Episcopus 6. Kal. Julias, qui egit episcopatum in urbe* Tridentina 12. *annos* Stilicone *consule*. Stilico anno 400. consulatum gerere cœpit. Quo tempore acta hæc, quæ bonæ notæ videntur, scripta sint, non omnino liquet. Codex membraneus

neus superat annos septingentos: ac proinde saeculo quinto, vel certe non multo post, acta Martyrum, saltem ex Italia, ad Romanum Pontificem ex more mittebantur, ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano scrinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romanae ecclesiae diptychis Martyres locum obtinerent. Primum colligimus ex superioribus verbis, ubi Papa S. *Virgilii* acta *legisse*, & *cum omni veneratione suscepisse* perhibetur. Alterum vero ex his quae subdit actorum scriptor, nempe eo tempore, quo *gens Alamannorum* Italiam *crudeli* gladio vastabat, Papam Imperatori auctorem fuisse, ut beati *Vigilii gestam* (ita loquebantur) vexillo impositam contra hostes praeferri curaret: quo facto, barbaris in fugam conjectis, postea Caesarem *gestam beatissimi Martyris* Romam retulisse, & cum Papa *arcae* recondidisse.

VIII. Etsi vero acta Martyrum cum tanto honore susciperet Ecclesia Romana, nihilominus ea publice legi, ex antiqua consuetudine vetat decretum Gelasii Papae in Concilio Romano, quod decretum codices quidam *Hormisdae* tribuunt. In illo Decreto Pontifex suscipit quidem *gesta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant*, sed mox haec subdit. *Quis ita esse Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei, & adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum* ANTIQUAM *consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia, & eorum qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta putantur*. Mirum videri posset, si passiones Martyrum quorumcumque in Ecclesia Romana lectae non fuerint: cum, etiamsi quaedam dubiae fidei essent, aliae tamen auctoritatem prae se ferrent, utpote ex actis publicis excerptae etsi incerto aliquando auctore. Verum fortasse suspecta erant Romanis etiam haec acta, quod ab *infidelibus* scripta essent. Hanc Romanae Ecclesiae consuetudinem, quae *antiqua* in *Gelasii* Decreto vocatur, impugnare videtur gravis & vetus auctor, qui passionem beatorum Cantianorum litteris mandavit, uti exstat in praedicto codice Obrechtino; sive is auctor Maximus Taurinensis Episcopus fuerit, seu quivis alius. Passio incipit ab his verbis. *Omnia quae a Sanctis gesta sunt, vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere & sibi & plurimis aedificationis exhibet fructum*. Et post pauca. *Scribimus ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti fuerint, quid passi sint Sancti. Ostenditis vos omnes esse Catholicos, qui victorias Christi libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos, qui ista inter apocryphas litras exulanda censetis: per quos constat Canon Scripturarum omnium divinarum? Numquid per eos qui pro ipso canone occidi magis optaverunt, quam vinci? Quid ergo tenuerunt Martyres? Fidem rectam, quae sacris voluminibus certo librorum numero continetur. Agunt illis gratias apices sacratissimi, qui per eorum perseverantiam perseverant. Et ideo volunt eorum gesta conscribi, ut in conspectu Dei & hominum semper laudentur Sancti, qui in conspectu incredulorum pro eorum defensione tormenta immania pertulerunt. Nihil praeter Scripturas canonicas recipientes, ista studiose conscripsimus, ostendentes dogma catholicum, per catholicos Martyres custoditum. Exemplum posteris damus, aedificationem credentibus tradimus; artem belli Christi militibus demonstramus. Constat eos nolle pugnare si necesse sit, qui nolunt legere pugnatores. Imperent silentium Infidelibus, spectent pugiles diabolicos, quia athletas Domini spectare contemnunt. Nos Divinas virtutes loquimur, scribimus, praedicamus*. Haec fuse retulimus, tum ut genius auctoris cognitus fiat, tum ut intelligatur, alium in aliis (V. Conc. Carthag. 3. c. 13.) ecclesiis, quam in Romana usum obtinuisse ut acta Martyrum publice legerentur, & praedicarentur: quorum tamen nomina, si non acta ipsa Ecclesiae Romanae ex *Adonis* Martyrologio discimus. Quicquid sit, negari non potest magnam fuisse in recipiendis Martyrum actis cautionem in Ecclesia Romana, ut ex dictis & ex *Gelasii* decreto manifestum est.

IX. Magnam etiam cautionem adhibebant Episcopi etiam aliarum regionum inter sese: immo etiam Fideles ipsi, aliquem pro Martyre coli vix ferebant, nisi acta martyrium indubitate contestarentur. Hinc est

est quod *Lucilla* matrona a *Cæciliano* tum archidiacono correpta est, *quæ ante spiritualem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris libare dicebatur: cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed* NECDUM VINDICATI, apud Optatum in libro 1. Et in collatione Carthaginensi *Mensurius* Carthaginensis antistes, cum Fideles nonnulli, persecutionibus sponte se offerentes, necati essent, *ab eis honorandis probibuit Christianos Vindicatos*, ergo volebant martyres, id est a Episcopis agnitos & approbatos. Quamquam apud *Cyprianum* in libro de lapsis, *vindicatus* Martyr idem est atque mortuus, & de sua jam corona securus. „ Memoratu dignum „ est, quod *Cyrillo* Jerosolymitano contigit „ occasione *Ammonii* monachi, quem cum „ seditionis in *Orestem* Præfectum apud „ Alexandriam a monachis ipsius *Cyrilli* „ causa excitatæ conscius, ob idque ad „ mortem usque suppliciis Præfecti jussu „ excruciatus esset; mutato nomine *Thaumasium*, immo & *Martyrem* vocari jus„ sit, corpore ejus in ecclesia deposito. „ Sed qui modestiores erat ex ipsis etiam „ Christianis, hoc *Cyrilli* studium in Am„ monium non probarunt, compertum ha„ bentes, hunc temeritatis suæ pœnas de„ disse. Quamobrem & *Cyrillus* ipse hujus rei memoriam paullatim silentio obliteravit. Hæc fusius apud *Socratem* (lib. 7. c. 14). *Martinus* Turonensis Episcopus (Vitæ c. 8.) suspectum habens cultum, qui falso cuidam Martyri impendebatur, *ab his qui majores natu erant Presbyteris vel clericis flagitabat nomen sibi martyris & tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoveri* testatus *quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset*. Itaque oratione adhibita, falsi martyris larvam detexit. Eadem ratione sancto *Patroclo* martyri Tricassino, tametsi miraculis coruscanti, *loci homines parvum exhibebant famulatum, quod historia passionis ejus non haberetur in promptu*, teste *Gregorio* (lib. 1. de glor. mart. c. 64. Vide etiam acta S. *Gerardi* Abb. Bromens. pag. 261.) Turonensi Episcopo. *Mos namque est hominum rusticorum*, addit ille, *ut Sanctos Dei, quorum agones relegunt*, attentius venerarentur. Et hæc quidem cautio nostro tempore quibusdam in locis fortasse necessaria esset, in quibus honorantur pro martyribus aut sanctis nonnulli, quorum vita penitus ignoratur, nec ab Ecclesia universa auctoritatem eorum cultus accepit. Observatione digna est hac in re *Gregorii* Lingonensis Episcopi diligentia & religio, qui cum videret sanctum *Benignum* (Ibid. cap. 51.) martyrem Divionensem *in magno sarcophago* conditum fuisse; putabat cum aliis, *ibi aliquem positum fuisse gentilem*. Eo tamen rustici convenientes *vota dissolvebant*, & multa beneficia impetrabant. His *nullo modo credebat* Gregorius, *sed magis ne ibidem adorarent, fortiter testabatur*: donec tandem veritatis revelatione factus est certior; & a quibusdam in Italiam abeuntibus *historiam adlatam beatus confessor accepit*. Lege factum quod in eadem urbe accidit, a nobis relatum in superioris tomi pag. 328. Huc spectat quod de sancto *Martiale* Lemovicensium Apostolo memoriæ proditum est in Concilio Lemovicensi anni 1031. nempe Anglos quosdam, cum sanctum *Martialem* in Litaniis & Martyrologiis cœnobii Cantuariensis Apostoli titulo donatum animadvertissent non reperto libro de ejus actis, hac de re apud Patrem monasterii expostulant nempe quod *Martialem* diceret Apostolum, cum ejus Acta penes se non haberet. Magna vero discretione prædita est *Gregorii* Magni (l. 12. epist. 31.) responsio ad *Augustinum* Anglorum Apostolum, quam hoc loco adscribere juvat. Petierat Augustinus ut reliquiæ Sancti *Sixti* martyris sibi transmitterentur, quæ in quadam ecclesia recondi possent, ubi corpus cujusdam sancti *Sixti*, non satis sibi noti, asservari dicebatur. Respondit in hunc modum *Gregorius* post interrogationem 9. *Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam sancti* Sixti *martyris corpus dixerunt venerari (quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter sanctum videtur) certa sanctissimi, & probatissimi Martyris beneficia suscipiens colere incerta martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat: & neque aliqui de antiquioribus exsistunt, qui se a parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur: ita reliquiæ quas petisti seorsim condendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum dese-*

deserere, *& incertum venerari*. Utinam hanc religionem, & prudentiam Episcopi in suis parochis semper observassent.

X. Præclara est in hanc rem Concilii Carthaginensis constitutio apud *Dionysium* Exiguum in cap. 80. *Item placuit*, *ut altaria*, *quæ passim per agros*, *& vias*, *tamquam memoriæ Martyrum*, *constituuntur*, *in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur*, *ab Episcopis*, *qui eisdem locis præsunt*, *si fieri potest evertantur*. *Si autem hoc per tumultus populares non finitur*; *plebes tamen admoneantur*, *ne illa loca frequentent*: *ut qui recte sapiunt*, *nulla ibi superstitione devincti teneantur*. *Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur*, *nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt*, *aut origo alicujus habitationis vel possessionis*, *vel passionis fidelissima origine traditur*. *Nam quæ per somnia*, *& per inanes revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria*, *omni modo reprobentur*. Adde Concilii Eliberitani canonem 60.

XI. Ex illis denique qui *innocenter* occisi sunt, quosdam *non humana conjectura*, *sed Divina ratio martyres consecravit*, ut loquitur *Willelmus* (l. 2. de Regib. c. 13. fol. 49.) Malmesburiensis. Hos inter merito censendi sunt *Leodegarius Æduensis*, & *Thomas* Cantuariensis Pontifices, aliique nonnulli. At merito explosum est ab Ecclesia Orientali *Nicephori Phocæ* decretum quo sancierat, ut milites, qui in bello occubuissent, eodem honore afficerentur ac martyres, testante *Curopalate* & post eum *Balsamone*. Sic quosdam (Idem lib. 2. de Pontif. cap. 5. fol. 145.) *irruentibus latrunculis cæsos in Martyres credula consecravit antiquitas*: cujus rei multa exempla (Sec. 4. *Bened.* T. 2. pag. 512. & seq.) suppetunt. Præclare ad hunc locum *Optatus* Milevitanus in lib. 3. *Quare debetis intendere*, *ne temerarium sit eos Martyres appellare*, *qui Christianorum nullum senserint bellum*.

XII. Ut Martyribus, sic etiam Confessoribus honos publico cultu delatus ab Ecclesia est. Id fieri cœptum sæculo quarto, quo tempore Sanctus *Antonius* sepulturam suam ignoto loco parari jussit, *ne* Pergamius (*Hieron.* in Vita S. *Hilarion.*) *qui in iis locis ditissimus erat*, *martyrium*, idest ædiculam sacram, super tumulum suum *fabricaret*. Ex quo intelligitur eum ritum jam occœpisse. *Hilarion* ejus discipulus, dum in Cypro versaretur, ait *Sozomenus* „ (lib. 3. cap. 13.) forte obiit mortem: „ a cujus insulæ indigenis tumulo conditus est, ac magno in honore ac veneratione habitus. Postea vero *Hesichas* ipsius „ discipulus reliquias illius clam abreptas „ deportavit in Palæstinam, inque suo „ monasterio sepelivit: quo ex tempore „ dies festus maxima hominum frequentia, „ & summo splendore quotannis ab indigenis celebratus est. Addit *Sozomenus*, „ Palæstinis id in more positum fuisse bonos ac pios viros, qui apud ipsos venerint, eo honoris genere afficere: quod „ quidem erga *Abrilium*, *Anthedonium*, „ *Alexionem*, & *Alaphionem* monachos, „ qui exemplis, & verbis suis gentem illam ad Christianam religionem adduxerant, declaraverint. Sub idem tempus *Nilammon* perfectæ vitæ monachus, cum „ a *Theophilo* Alexandrino Gerarum Episcopatum suscipere cogeretur, impetratis „ unius diei induciis, in oratione Spiritum „ Deo reddidit: cujus corpus involutum, „ ait *Socrates* (lib. 8. cap. 10.), quibus „ oportebat, publica sepultura dignati sunt „ ac templum super illius sepulchrum (quod „ *martyrium Hieronymus* in vita Sancti Hilarionis appellat) indigenæ construxerunt, & magna cum sollemnitate adhuc „ diem mortis ejus celebrant. Hæc quidem „ sæculo 4. at in sequenti magnopere auctus est confessorum cultus, auctore *Theodorito*, apud quem *Marcianus* (Hist. „ relig. cap. 3.), cui multi oratoria variis in locis ædificarunt; *Theodosius* Antiochenus (cap. 10.) itidem monachus „ in æde sanctorum martyrum depositus, „ eademque ipsa, qua divinus ac beatus „ *Aphraates*, arca conditus; *Macedonius* „ (cap. 13.) etiam, & *Maro* (Ibid.) „ monachi piissimi consimili honore affecti „ sunt. Ita res in Oriente sic habebant, dum Occidentales *Martinum*, & *Hilarium* Episcopos aliosque præcipue sanctitatis confessores venerabantur. In Africana tamen Ecclesia paucis admodum confessoribus is honos tribuebatur sæculo quinto ut colligitur ex Calendario Carthaginensis ecclesiæ, quod in tertio Analectorum tomo vulgatum

rum est. In Missali Mozarabum oblatio pro Missa fiebat pro *spiritibus pausantium* Confessorum, paullo secius quam pro Martyribus, quorum commemoratio fiebat. Eodem tamen modo ante annos octingentos Confessores quidam insigniores, *Martinus*, *Augustinus*, *Gregorius*, *Benedictus*, & alii similes celebrabantur; sed postea solis Martyribus hic honor relictus est, tametsi defunctis sua etiam servata commemoratio. Verum apud *Augustinum* (de virginitat. cap. 45.), *notum est quo loco Martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur*: nempe *eo loco recitantur ad altare Dei*, ut (idem serm. 17. de verbis Apost.) alibi dicit, *ubi* non pro ipsis oratur sicut pro ceteris defunctis. Alia enim erant diptycha sanctorum, alia Fidelium, de cælesti Hierarchia cap. 3. Merito itaque in synodo Atrebatensi (Spicil. to. 13. pag. 47.) damnati sunt quidam hæretici; asserentes solis Apostolis & Martyribus venerationem ab Ecclesia impendendam. Etsi enim Confessores *non senserint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digno martyrio non privantur: quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur: & ipsi gloria Martyrum non carent: quia & voto, & virtute, & potuerunt esse Martyres & voluerunt*.

XIII. Hunc honorem sive Martyribus, sive Confessoribus tribuere Episcopornm erat (ut *Bellarminus* ipse agnoscit) in sua cujusque Ecclesia. Id vero fieri tum communi populi consensu, tum erectione altaris, perspicua jam loca retulimus ex *Socrate*, *Sozomeno*, & *Theodorito*: quibus fidem facit *Ammianus Marcellinus* (lib. 22. cap. 11.), tametsi profanus. *Dilaniata*, inquit, *cadavera peremptorum camellis imposita vexit ad littus* gentilium multitudo, *iisdemque subdito igne crematis, cineres projecit in mare* nempe Draconitii & Diodori, *id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis ædes eis construerentur ut reliquis, quia deviare religione compulsi pertulere cruciabiles pœnas ad usque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc Martyres appellantur*. Hinc apud eumdem auctorem (ibid.) basilicæ Christianorum a gentilibus *sepulcra* dictæ sunt. Atque ob eam fortasse rationem cautum est (Greg. M. lib. 2. Epist. 9. Ind. 10.), ne iis in locis, in quibus dubium esset aliquos non sanctos fuisse sepultos, oratoria construerentur, ne videlicet inter sanctos ejusmodi homines colerentur: & *Gregorius* M. (lib. 1. epist. 52.) permittit Sanctæ *Agathæ* reliquias in Ecclesia quadam collocari *dummodo nullum corpus ibi constet humatum*. *Leo* Marsicanus in Chronico Cassinensi (lib. cap. 57.) testis est, oratorium fuisse constructum supra corpus Landenolfi Principis, qui innocens trucidatus fuerat, & miraculis coruscare dicebatur. At vero cum in una eademque Ecclesia diversa sanctorum corpora humata essent, singula singulis erecta sunt altaria, ut suus cuique honor competeret. Tredecim in una Ecclesia erant *Gregorii* Magni (lib. 5. epist. 50.) ætate. Denique falso illi martyri apud *Severum Sulpicium* in vita S. *Martini*, *altare a superioribus Episcopis constitutum habebatur*: quod sancto *Mayolo* Abbati Cluniacensi paullo post ejus mortem, atque Sancto *Romualdo post quinquennium ab ejus obitu* concessum est, testante *Petri Damiani*. Ritum describit *Prudentius* de sancto *Vincentio* ita canens:

Sed mox subactis hostibus
Jam pace cunctis reddita;
Altare quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam Sacrario,
Imamque ad aram condita
Cælestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.

Ejusmodi altarium seu oratoriorum erectionem consequebatur festivitas in honorem sanctorum ab Episcopis instituta, de quibus *Tertullianus* in libro de corona militis cap. 3. *Cyprianus* in epist. 34. & 37. *Eusebius* lib. 4. cap. 14. & alii. Confer Observationes hac de re nostras in Præfatione (Sæc. 2. n. 44 & seq.) ubi Martyres in cœmeteriis, priusquam oratoria condere liceret, sepultos & cultos fuisse demonstratur. Ibidem etiam animadvertere licet Sanctorum tumulos, ædiculis superstructis, quas *ciboria fredas* & *tepas* appellabant: quo in genere insignis fuit *Epiphanii* Ticinensis Episcopi tumulus, a vetusto auctore descriptus in hunc modum (*Brouver*. Sidera Germ. to. 2. p. 78.). *Primo Sancti Patris sepulcrum sollerti diligentia usque*

usquequaque perlustrantes, vident quod hypogeo specu ad quinque pedes sarcophagus, ut post claruit, infossus, desuper marmore fulciebatur, quadrato insuper adhuc muro extructo. Columna quoque nihilominus marmorea, altaris vice ejus honori dicata simul & nomini, caput versus stabat erecta, basis parte sarcophagum occupans, ut geminam praestaret gratiam, decorem scilicet, & munimen. Ita Sancti *Epiphanii* sepulchrum saeculo decimo se habebat Ticini, quo tempore ejus corpus Hildenesheimum translatum memoratur, *Ottone* Magno imperante.

XIV. Ad elevationem corporum quod attinet, non tam antiqua est ejus institutio ad canonizationem, quin & ritus diversus. Sanctorum tumulos ornari primum mos erat. Cum vero ad elevationes ventum est non in summum locum, sed super pavimentum erecti sunt loculi sanctorum. Id de Sanctis *Agricola* & *Vitale* apud Bononiam Italiae urbem crucifixis tradit *Gregorius* Turonensis Episcopus, *quorum sepulcra super terram sunt collocata*.

Ita etiam Lindiffarnenses corpus Sancti *Cuthberti* Episcopi e tumulo efferre volentes, rem ad *Eadbertum* Antistitem referunt, isque annuit eo pacto, ut sacra ejus ossa in novo recondita loculo, in eodem quidem loco, sed supra pavimentum dignae venerationis gratia locarent, teste *Beda* (lib. 4. cap. 30.). Huc spectant quae ad vitam Sancti *Othmari* (Saec. 3. par. 2. pag. 161.) adnotavimus in Praefatione Saeculi 3. ubi hoc argumentum fuse tractatum est. Aliorum corpora extra ecclesiam sepulta, novis induta vestibus in ecclesiam inserebant, & novo tumulo ad eum modum recondebant, ut de sancta *Ethildrita* idem auctor (lib. 4. cap. 19.) memorat. Alia exempla retulimus alias. Translationibus de loco in locum, ne causa nundinationis id fieri contingeret, occurrit *Carolus* Magnus condito Capitulari ad annum 801. de sanctis noviter inventis, ut *nisi Episcopo probante* minime colerentur salva de hoc & de omnibus ecclesiis canonica auctoritate. Et Concilium Moguntinum anni 813. in canone 51. *Deinceps vero corpora sanctorum de loco ad locum nullus praesumat transferre sine consilio Principis vel Episcoporum & sanctae Synodi licentia*. Id observatum in translatione corporis sancti *Hucberti*, ex urbe Leodico in monasterium Andaginense translati (Saec. 4. part. 1. pag. 296.) *Adalbaldi* Coloniensis Archiepiscopi permissu, annuente *Ludovico* Augusto, qui rem ad Patres Aquisgrani tunc congregatos retulit. Haec anno 825. contigere. Ante biennium sancti *Ursmari* Abbatis Laubiensis *elevatio facta est jussu & permissu ejus, qui tum erat Cameracensis Episcopus*, scilicet Halitgarii: *expletaque elevatione, diem illum festivum duxere*, ait *Folquinus* in Chronico Laubiensi (Spicil. to. 6. pag. 554.), *& posteris celebrem esse sanxere*. Eodem fere tempore, idest anno 828. *consulto* Stephano *reverentissimo Tarvennensis Ecclesiae Episcopo*, elatum est corpus Sancti *Folquini* (Saec. 4. parte 1. p. 629.) ejusdem sedis Antistitis; *elevatisque sancti corporis membris, in loco tumuli altare constructo diem illam omnibus cantibus, & gaudiis duxere festivam*. Et anno 865. Sancti *Othmari* Abbatis elevatio, annuente *Salomone* (Saec. 3. par. 2. pag. 164.) Episcopo Constantiensi & Synodo facta est. Denique sub annum 950. referente *Balderico* (lib. 1. cap. 35.) in Chronico Cameracensi, cum *Hadulfi* Episcopi sanctitas multis portentis ostensa esset, aedituus *Engrammo* Episcopo rem propalavit: *qui testem idoneum animadvertentes, sanctum corpus levavit, & verbo facto ad populum beati* Hadulfi *in numero Sanctorum notificavit*.

XV. Ab eo tempore Romani Pontificis auctoritas ad religiosa ejusmodi facta requiri coepit a nonnullis; sed ita tamen, ut Episcopi, praesertim metropolitani, aliis in locis antiquam hac in re facultatem retinerent. Scio *Bellarminum* & alios id altius referre, nempe ad Pontificatum *Leonis* III. qui Sanctum *Suidbertum* Episcopum regnante *Carolo* Magno sanctorum catalogo adscripsisse fertur. Editae sunt apud *Surium* Litterae tum Rixfridi Trajectensis ad Rhenum Episcopi ad *Ludgerum* Monasteriensem, petentis, *ut modum & ordinem elevationis & Canonizationis* istius scriptis mandaret: tum ipsius *Ludgeri* id ipsum exsequentis. Verum has litteras fictitias esse demonstravimus in saeculo 3. (part. 1. pag. 243.). Non majoris mo-

menti

menti esse videtur Sancti *Albani* martyris canonizatio, quæ ab *Hadriano* Papa anno 794. per *Offam* Merciorum Regem obtenta dicitur apud *Spelmannum* (to. 1. Conc. pag. 309.): tum quia longe ante istud tempus *Albanus* pro sancto martyre habebatur, teste *Beda*: tum quia hæc narratio nullo legitimo innititur testimonio, immo (ut quidem videtur) falso. Nam in libro de vita *Offæ* secundi apud *Matthæum* (pag. 18. col. 2.) Parisium, *Offa* dicitur convenisse Pontificem, non ad sanctum *Albanum* inter sanctos referendum; sed ad *canonizandum* & privilegiandum ejus monasterium *auctoritate Romani* Pontificis. Vero propius accedit id, quod *Ekkehardus* de beato *Othmaro* Abbate scribit, eum auctoritate Romani Pontificis *in sanctum levatum* fuisse. Quamquam hunc auctorem habita ratione sui temporis, nimirum sæculi 11. quo Romani Pontificis suffragium in levandis sanctorum corporibus requiri solebat, locutum fuisse inde colligitur, quod *Iso* monachus, hujus elevationis oculatus, & accuratus scriptor, eam a Salomone Constantiensi Episcopo factam memoret, nulla Romani Pontificis mentione facta, ut suo loco (Sæc. 3. part. 2. pag. 153. & 164.) monuimus. Nec refero istuc testimonium *Egilwardi* (ibid. pag. 117.) monachi de translatione sancti *Burchardi* Episcopi Herbipolensis cum consensu *Benedicti* VI. & Imperatoris ab *Ugone* Episcopo facta, quoniam non ad canonizationem, sed ad translationem proprie pertinet.

XVI. Primum itaque indubitatæ fidei monumentum de solemni per Romanum Pontificem canonizatione invenimus diploma *Joannis* XV. qui in frequenti Episcoporum conventu, ad preces *Liutolfi* Episcopi Augustani, Udalricum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum album retulit anno 995. Has Joannis litteras damus integras in fine vitæ Sancti Udalrici sed fragmentum hic adducere juvat ad probandam canonizationis formam: *Cum conventus esset factus in palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias residente* Joanne *Sanctissimo Papa cum Episcopis, & Presbyteris adstantibus Diaconibus & cuncto Clero, surgens reverendissimus* Liutolfus Augustæ *Episcopus inquit: Domine sanctissime Præsul, si vobis placet in omnibus Episcopis & Presbyteris hic residentibus libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis* Udalrici, *sanctæ Ecclesiæ dudum Episcopi; & quid libitum fuerit vobis decernatur*. Iis perlectis sanxit Pontifex, *quatenus memoria* Udalrici *jam præfati Venerabilis Episcopi, divino cultui dicata exsistat & in laudibus Dei diutissime persolvendis semper valeat proficere*. Id vero a *Luitolfo* ea ratione factum existimamus ut Sancti *Udalrici* cultus, quem ipse in sola Augustensi ecclesia instituere poterat, latius propagaretur auctoritate Romani Pontificis: quod alii postea in religionem verterunt.

XVII. In Gallia quidem *Richardus* Corbejæ Abbas, *missis ad* Joannem XX. legatis, ut scribit *Gerardus*, *Adalhardi* Abbatis elevationem fieri impetravit anno 1020. quod etiam de *Paschasio Radberto* concessum est anno 1073. In Alamannia vero *Nortpertus* Abbas ad sanctum *Gallum*, *adminiculante* Henrico *Imperatore & conjuge ejus* Agnete, *hoc obtinuit apud dominum Apostolicum*, Clementem *secundum*, *recitata vita beatæ* Wiboradæ *ejusque miraculis, de tandiu neglecta re ab ipso Papa redargutus, quatenus ipsam, præeunte* Theodorico *Constantiensi Episcopo canonizaret; & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diem sollemnizandum institueret*, ut scribit *Burchardus* monachus in cap. 6. Sub hæc *Leo* IX. anno 1053. *Gerardum* Tulli Leucorum Episcopum Sanctis adnumerari præcepit *annuente ac laudante synodo Lateranensi*, decernens, ut ex hoc sanctus haberetur, colereturque 9. Kalendas Majas tam Tulli Leucorum, quam ubique terrarum, sicut ceteri Sancti. Litteras pontificias habes ad calcem hujus libri. *Wolfangum* item Ratisponensem Antistitem eodem honore decoravit idem Pontifex; cujus item permissu elevatum est corpus sancti *Bertini*, tametsi inter sanctos jam honorati ut in sæculo tertio Benedictino (part. 1. pag. 147.) legitur.

XVIII. Successit canonizatio *Petri* Anagniensis Episcopi per *Paschalem* II. qui compertis ejus pie factis atque miraculis per Brunonem Signiensem, ejusdem (*Baron.*

ron. ad ann. 1705.) *natalem tertio nonas Augusti Sanctorum Catalogo congrue celebrem* recoli mandavit anno 1105. Post quindecim annos *Udalricus* Constantiensis Episcopus vitam cum miraculis Sancti *Conradi* ejusdem sedis Episcopi litteris mandavit præmissa epistola ad *Callixtum* II. in qua dicit se pro ejusdem Conradi *Gloria, ut moris est ecclesiarum, canonizanda*, sedem Apostolicam crebris interpellasse litteris, idque tandem responsi accepisse: Vitam *ejus in Concilio generali recitandam : testes insuper signorum quæ per eum fiebant seu facta sunt, adhibendos :* quod ipse hoc libro præstiterit. Ubi observandum quod dicit de more jam recepto consulendi sedem Apostolicam super Sanctorum canonizatione, & de examine quod hac de re in Conciliis generalibus fieri deberet: quod totidem verbis repetit *Eugenius* III. infra. Postea *Innocentius* II. anno 1134. *Hugonem* Gratianopolitanum (Bolland. to. I. April. pag. 35.) *cognita vita ejus & auditis quæ* per eum *fiebant miraculis, Archiepiscoporum, Episcoporum & Cardinalium atque aliorum communicato consilio inter sanctos & electos honorari præcepit, & diem assumptionis ejus solemniter celebrari*. Idem Pontifex *audita vita laudabili beati* Sturmii (sæc. 3. Bened. parte 2. p. 285.) *Abbatis Fuldensis, cognitis etiam ex parte miraculis* ejus, *attestatione episcoporum, qui de partibus Teutonicis advenerant in plenaria synodo apud* Lateranum *congregata, communicato Consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Abbatum, eumdem beatum virum inter sanctos & electos honorari præcepit, & diem depositionis ejus cum gaudio sollemniter celebrari* anno 1139. De *Henrico* I. Imperatore exstant apud *Gretserum Eugenii* III. litteræ qui Canonicorum Bambergensium (de divis Bamberg. pag. 63.) petitionibus (*tametsi hujusmodi petitio nisi* IN GENERALIBUS CONCILIIS *admitti non soleret) auctoritate tamen* S. R. E. *acquiescens, Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio*, Henrici *memoriam inter sanctos fieri & anniversarium ipsius diem sollemniter celebrari constituit* anno 1152. Hæ sunt insigniores canonizationes a Romanis Pontificibus factæ ante *Alexandrum* III. qui earum potestatem sibi suisque successoribus reservavit primus, & post eum *Innocentius* III. quo ex tempore ab Episcopis nulla celebrata legitur.

XIX. Per illud autem intervallum temporis nempe a sæculo 10. quo Pontifices Romani suam in sanctis canonizandis auctoritatem interposuere ad *Alexandrum* III. nihilominus Metropolitani antiquum morem quodammodo retinuerunt, tum annuendo simul cum Papa sanctorum elevationi & canonizationi, tum etiam sola sua auctoritate utrumque pro sua ecclesia præstando. Unde invento corpore Sancti *Bertini*, cum Bovo (Sæc. 3. parte 1. pag. 154.) Abbas Sithiensis consulto proprio Episcopo, de hac inventione, & de scribendo super ea libello certiorem fecisset Widonem Remensem Antistitem, is mandavit, ut cum hæc descripta essent, sibi referrentur; iisque relatis præcepit, ut (ibid. pag. 163.) sancti *Bertini* corpus levaretur, ubi *Leo* IX. annuerat. Idem contigisse puto erga Sanctum *Angilbertum*, cujus vita & miracula (Sæc. 4. parte 1. pag. 123. & 130.) ab *Anschero* Abbate ad *Radulfum* Remorum Antistitem directa sunt. Quid actum sit in elevatione corporis Sancti *Quidberti* fundatoris Gemblacensis docet relatio a nobis edita (hic pag. 311.) suo loco, nempe anno 1099. *Sigebertus* monachus, obtenta Abbatis sui facultate, rem ad Otbertum Leodicensem Episcopum refert. Deinde ab Henrico *Archidiacono causa defertur Friderico Coloniensium Archiepiscopo, qui in Synodo generali* negotio discusso, tandem postulatis annuit: ubi *Synodi Generalis* nomine intelligitur conventus præcipuorum Ecclesiæ Coloniensis Sacerdotum, aut ejus suffraganeorum. Insignes vero præ ceteris sunt litteræ *Ugonis* Archiepiscopi Rothomagensis de elevatione Sancti *Gualterii* Abbatis Pontisarensis anno 1153. datæ, in quibus Archiepiscopus commemorat, *invitantibus immo & cogentibus miraculis missa super hoc legatione, & assensu magnifici Remorum Archiepiscopi Samsonis, & aliquorum Galliæ Pontificum, Theobaldo* Episcopo Parisiensi ejusque æquivoco Silvanectensi præsentibus, sancti *Gualterii* reliquias a se levatas & translatas fuisse, concessis insuper indulgentiis in eorum gratiam, *Qui ipsius beati* Gualterii *beneficia implorarent*. Apposite ad hunc locum

Ge-

Gerardus Episcopus Cameracensis in Synodo Atrebatensi ad Annum 1025. cap. 2. ubi relato *Martini* facto in falsum martyrem hæc subdit: *In talibus igitur locis, si quid huic simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicant sanctificationes, ne ritu* (sic legendus hic locus mendosus in editis) *gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur; neve sepultis temere divina solvantur nisi per provincialem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium Christi fuit.*

XX. Itaque a sæculo 10. inquisitio de piorum meritis & miraculis facta est tum per Romanos Pontifices, tum per Episcopos, & Archiepiscopos, & visis scriptis datum diploma pontificium vel episcopale ad eorum sanctitatem sollemni modo declarandam. Jam vero *Alexander* III. id tamquam unam ex majoribus causis ad Romanum Pontificem pertinere edixit. Is pios complures vita functos hoc honoris titulo affecit, *Eduardum* Angliæ Regem anno 1161. itemque Theobaldum eremitam *Vincentium*; *Thomam* Cantuariensem Episcopum anno 1172. & post biennium Bernardum Abbatem Clarævallensem, qui primus Cisterciensium sollemni hoc more in Sanctorum album relatus est.

Ab eo tempore certi ritus ad eam celebritatem adhibiti sunt: quorum specimen in Canonizatione *Bernwardi* Episcopi Hildenesheimensis (*Browver*, Sidera German. pag. 57. & seqq.) legere licet. Alia formula recentior exstat apud *Spelmannum* in tomo 2. Angliæ Conciliorum (pag. 713. & apud *Jacob.* de Graffiis Decis. aur. parte 2. l. 2. cap. 13.) Varias varii postea tradiderunt Auctores, *Jacobus* Castellanus, *Angelus* Rocca, & alii, quos omnes uno volumine majori *Carolus Felix* de Matha suo modo complexus est anno 1678. Gravissime *Gregorius* IX. in bulla pro canonizatione sancti *Antonii* de Padua. *Ad hoc ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum & veritas signorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa sibi invicem contestentur: cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.* Sed hæc præter nostrum institutum.

JOHANNIS FILESACI
THEOLOGI PARISIENSIS

De Sanctorum Festis diebus.

DISSERTATIO XXIV.

I. THeodoreti elegans illa est pro Christianis Apologia adversus Gentilium criminationes: cum enim Christiani communi Religionis suæ sensu, sacrificia Paganorum penitus totoque animo aversarentur, subinferebant Gentiles: At Deus quem vos profitemini, etiam Judæis olim Sacrificia Sacrificiorumque leges præscripsit. Respondet *Theodoretus* lib. 7. de Curatione Græcarum affectionum, quod ex B. *Chrysostomi* Oratione 1. adversus Judæos aliqua ex parte desumptum videtur, Deum lenitate quadam paterna & indulgentia id Judæis concessisse; non quod Dei Majestas summa iis indigeret; sed cum Judæi sæculis aliquot inter Ægyptios versati, illorum moribus, si non omnino, magna saltem parte imbuti, portentosos ac plane prodigiosos illorum Deos, impuris aut ridiculis sacrificiis coli quotidie conspexissent; ac Festorum dierum qui tum in honorem ipsorum Deorum agebantur, communisque ac popularis lætitiæ participes (ut credere par est) exstitissent, iis incredibili bonitate prospectum iverit sapientissimus omnium rerum opifex. Verum ut non unus est, & repentinus ad valetudinem ex diuturno morbo gradus, ita sensim & paulatim ab illo veluti contracto apud Ægyptios impietatis habitu, clementissimus Deus, Judæos avocare voluit. Itaque sacrificare quidem illis permisit, non tamen

quæ

quæ Ægyptii immolare solebant, neque falsis Ægyptiorum Diis, sed sibi soli ac vero Deo. Quod itidem differit B. *Cyrillus* Alexandrinus lib. 9. in *Julianum*: de cibis non aliter cavit, nam ea quæ prius colebant, in Sacrificium jussit offerri, quod de Ariete, Deorum Ægyptiorum uno in Paschate immolari jusso præsertim explicant Judæorum Doctores, ut dum hoc facerent, scirent Deos non esse, quos tamquam victimas, ipsi Domino Deo mactarent, iisdemque vescerentur: cujus rei meminit *Juvenalis*, Satyra 15. Ideoque suillis carnibus jussit eos abstinere, quibus nimirum Ægyptii vesci solebant. Neque etiam publicis illis oblectationibus & musicis instrumentis interdixit: tam blande sapienterque illorum imbecillitati consultum esse cupiens ut iis veluti moderatis & religiosis illecebris, populus ille jamdudum pravis ritibus assuefactus, mentem cogitationemque a pristina illa Idololatria abduceret. Alioquin si leges perfectissimas (cujusmodi futura erant Evangelica unius Messiæ imperio, instituenda & promulganda) tulisset, cervicosus ille populus eas plane repudiasset & quod non semel postea tentavit in pristinam impietatem facile relapsus fuisset. Generatim id quidem a *Theodoreto* illud pronunciatum, sed Deus cujus notitiam uniuscujusque nostrum animis inditam esse persentimus, nisi plane stipites simus aut rupices, sibi suos, servasse dies videtur, quibus speciatim & publico conventu, sacrisque publicis a nobis coleretur. Quod ut benignus præstaret, cum quæ nos aut egigimus aut professi fuimus, vehementius nos ipsos afficiant, nobis ob oculos posuit, quæ ab eo maxima accepimus beneficia, aut quæ nostri gratia penitus stupenda ediderit miracula, ut eorum dum singularem testamur recordationem, in Dei Optimi Maximi amorem cultumque longe religiosiorem exardescamus. Venuste istud expressit B. *Paulinus* Natali 9. S. *Felicis*:

> *Firmat etiam ratio ista fidem, quæ tempora certis*
> *Distinguit titulis, sacrosque per annua signat*
> *Festa dies, quibus aut Domini miracula quondam*
> *Antiqui tenuere Patres, horrenda sinistris,*
> *Et semper celebranda piis, quia Commoda Sanctis,*
> *Dura fuere malis, testis Memphitica tellus*
> *Et mare tunc factum Sanctis humus, æquor iniquis.*
> *Cæteraque his paria Ægypto, multasque per eras*
> *Gesta Deo, memori nobis recoluntur amore.*

Est autem nobis Christianis communis illa ratio cum populo Hebræo, ut secretos a reliquis, distinctosque dies habeamus, quibus singulari quodam affectu, & devotione nostram erga Deum beneficentissimum tum religionem, cum grati animi specialem significationem testemur. *S. Paulinus* nostras illud tacite innuit, Sancti *Felicis* natali nono:

> *Ergo velut Cælum stellis, & floribus arva*
> *Temporibusque annos Dominus, sic ipse diebus*
> *Tempora distinxit Festis, ut pigra diurnis*
> *Ingenia obsequiis saltem discrimine facto*
> *Post intervallum reduci solemnia voto*
> *Sancta libenter agant, residesque per annua mentes*
> *Festa parent Domino.*

Festos illos insuper dies, unoquoque anno repeti voluit, idcirco ne divini cultus tam eximia argumenta, & singularem tantorum beneficiorum recordationem ex memoria nostra elabi sineremus ut docet B. *Joannes Chrysostomus* Oratione in S. *Theclam*. Eodem pacto *Petrus Chrysologus*, serm. 129. in S. Cyprianum Martyrem loquens de festis Martyrum. *Celebrantur annua, ne dicas oblitus sum*. Mitto in Sanctorum Festis præstantissimum, & illustrissimum ad omnem pietatem virtutemque consectandam nobis esse propositum exemplar. Sed eam præterire non possum rationem, quam etiam ex Platonicis libris de Legibus (forte ex Sexto, ubi de sacris agitur) refert *Clemens* Alexandrinus, lib. 5. Stromatum; Deum generis humani miseritum, cum ad laborem natum productumque videretur ut tantisper a laboribus quiesceret, Dies Festos instituisse, quibus feriaretur. *Seneca* hominum instituto id tribuit, forsan Deo in-

inspirante, vel ratione ipsa naturali. Sic lib. de Tranquillitate animi, scribit c. 15. *Legum conditores Festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Verum cum Deus Festis instituendis apud prædilectum populum Hebræum, incredibilem erga eum indulgentiam testatus sit, cum, si *Theodoreto* credimus, etiam multa quæ oblectent, concesserit: Illud idem in Christianorum Festis Pastores Patresque Ecclesiæ præstitisse legimus. Et quamquam plurima ejus generis a Gentilibus, in suorum Deorum festis celebrandis actitari solebant, nihilominus paterna quadam facilitate aliquid de summo illo perfectissimæ legis Christianæ jure ac rigore remittere maluerunt, quam illius austeritatem sine ulla moderationis spe ostentare. Primo loco occurrunt convivia olim a Christianis, diebus Festis, agitari solita, de quibus mox dicemus. At quis nescit Gentilibus illa Festis diebus usitata? Et quamquam hæc omnibus nota, liceat tamen pauca admodum delibare. *Juvenalis*, Satyra, XI.

Moris erat quondam Festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.

Aureum vere Romanæ Reipublicæ sæculum nobis, ob oculos ponit, in ista admirabili veterum Romanorum temperantia, quam etiam descripsit ex *Possidonio*, Athenæus, lib. 6. c. ultimo. Variatum deinde ac longissime a prisca illa togatorum frugalitate discessum, seu post Asiaticam victoriam *Lucii Scipionis*, sive luxu Asiatico per *Lucullum*, post devictum *Mithridatem*, in urbem invecto, ut refert *Athenæus* loco adducto. Quam lepide *Athenæus* ipse lib. 4. c. 10. ex *Xenophonte* scribit omnes homines cupidissime Festorum celebritates expectare, quibus paulo liberius genio indulgeant: at istud de tyrannis dici non posse, cum quotidianus mensarum cujusque illorum apparatus, adeo instructus sit, ut Festorum lautitiis auctior esse nequeat. Crapulæ & compotationibus Gentiles olim Festis Deorum suorum maxime addictos fuisse, quam plurimi testantur auctores; qui in fœdissimam illam suorum luxuriam gravissime invecti sunt. Videndus *Philemonis* Comici locus, de ea re, apud *Clementem* Alexandrinum, lib. 7. Stromatum. Totum hunc Festorum apud Gentiles agendorum ritum, describit *Tertullianus*, Apologetici cap. 35. ubi de natalitio, ac proinde Festo die Imperatoris agit, nec ab eo ceterorum Festorum celebritas plurimum differre videbatur. *Grande* inquit, *officium, focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras*; Christianis etiam initio præmissa fuerunt convivia Festis & solemnioribus diebus. *Theodoretus* ad finem lib. 8. de curatione Græcarum affectionum, scribit SS. Martyribus solemnitates populari epulo peragi apud Christianos; Et pro illa veteri Gentilium pompa, pro turpi obscœnitate, ac impudentia fieri molestas, castas, ac temperantiæ plenas Festivitates; non illas quidem mero delibutas, non comessationibus leves, non cachinnis solutas, sed divinis canticis personantes sacrisque sermonibus audiendis intentas. Etiam *B. Hieronymo* Epistola ad *Eustachium*: *Festus est Dies & Natalis B.* Petri: *Festivius est solito condiendus*: At sub finem Epistolæ: *Unde nobis sollicitius providendum est ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam Spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis*: Sic B. *Ambrosius*, Epistola 4. Christianos nonnullos carpit, qui cum Christianam temperantiam in Festis celebrandis plus æquo restrictiorem viderent, Gentilium Festis sese etiam oblectarent. *Vides*, inquit, *quemadmodum convivia Gentiles adorent, Festa annuntient, sed ea piis mentibus infestiora sunt, quia iis plerique decipiuntur, dulcibus capiuntur epulis, capiuntur saltantium choris dum jejunia nostra fugiunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia, & molesta arbitrantur*. Graviter istud opponit *Petrus Chrysologus* Sermone 129. in S. *Cyprianum* Martyrem. *Cum hujusmodi Festivitas* (S. Cypriani) *agitur, noli æstimare, charissime, quod in solis prandiis & profusioribus epulis natales Martyrum celebrentur, sed imitandum tibi proponitur quod in me-*

mo-

moria Martyris celebras. Ista est *Synesii* cohortatio ad unumquemque. Christianum, Oratione Panegyrica. Ut sis celebris Festi cultor Deo dignus, ne appetas mensam a sacra jejunaque ebriam ac tumulentam. Craterem sobriæ dilutæque potionis Deo præpotenti sac corones, Deus noster Sapientia & Sermo est. Gentiles recens Christi fidem amplexos non confestim ad perfectam Christianę Religionis normam adduci potuisse crediderunt, qui tum erant Populi Christiani Pastores, itaque aliqua indulgentia initio usi sunt ut inveteratam illam superstitionem paulatim ex eorum mentibus extirparent. Quod vel ipsius circuncisionis exemplo licet expendere, quam damnabat Apostolus, & tamen in *Timotheo* illam observari voluit, utens dissimulatione. Vide *Clementem Alexan*. l. 7. Strom. Narrat B. *Gregorius* Nyssenus in vita B. *Gregorii* Neocæsariensis Episcopi qui Taumaturgus ab operum mirandorum effectione agnominatus est, cum Episcopus hic Sanctitate insignis quamplures tam Urbis Neocæsareæ cum regionis ipsius homines ad Christi fidem convertisset atque animadvertisset quod propter corporeas delectationes ac voluptates simplex & imperitum vulgus in simulachrorum cultus errore perseveraret, ut interim in eo quod est præcipuum, nempe in Deum, se recte gereret, pro inanibus illis superstitionis ritibus, permisit eis ut in memoriam ac recordationem Sanctorum Martyrum sese oblectarent, & in lætitiam effunderentur. Quoniam successu temporis aliquando futurum esset ut sua sponte ad honestiorem, & accuratiorem vitæ rationem transirent; præsertim cum etiam fides eos ad illam rem deduceret, quod quidem jam etiam in plerisque recte successit, omni delectatione ac voluptate a corporis oblectamentis ad spiritalem lætitiæ formam traducta. Persimile illud est quod exstat apud B. Gregorium, lib. 9. Epistola 71. ad Mellitum Abbatem, qui earum rerum monuerat Augustinum Anglorum Apostolum. *Qui boves*, inquit, *solent in sacrificio Dæmonum multos occidere debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitio Sanctorum Martyrum, quorum hic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent. Nec Diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & Donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est*. Perarduum sane & perdifficile sensuum corporisque oblectamenta, toto vitæ anteacto spatio, & inveterata Majorum consuetudine percepta penitus removere & repudiare. Antiochenos totius Orientis religiosissimos, & in Christi fidem optime animatos fuisse produnt historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, nec dissimulat *Julianus* Apostata, in Misopogone. Verum in ista Festorum celebratione a temperantia Christiana non parum deflexisse etiam illis exprobrat *Julianus* ipse, eo loci, cum scribit Antiochenos præsertim adolescentes libere comessari didicisse semper quidem effuse ac licenter, sed in Festis ac Feriis liberius, S. *Chrysostomi* homilia in S. *Julianum* Martyrem, adversus eosdem Antiochenos, insignis ista querela est. Nonnulli, inquit, eorum qui hic hodie (in Natali S. *Juliani* Martyris) congregati sunt (absit enim ut totam Ecclesiam crimine tali condemnem) præ socordia quadam nimia, ac simplicitate, die crastino, de relictis nobis, Daphnem properent, ut quæ colligimus hodie cras effundant, & quæ ædificavimus destruant. Quid quæso, properas ad suburbium Civitatis? Ecce suburbium Hierusalem illius, quæ sursum est; ecce Daphne spiritualis. Postea. Quod si nunc etiam placeat voluptate perfundi, quid jucundius hoc conventu, quid Theatro spirituali gratius, membris tuis, tuorum fratrum congressu? At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps, hic soluto conventu licet juxta Martyrium (Ecclesiam in honorem Martyris constructam) sub ficu vel vite, diverianti etiam corpori, recreationem indulgere, & condemnatione conscientiam liberare. Quam elegantia sunt hujus oris aurei quæ sequuntur! In hunc intemperantiæ scopulum dum Sanctorum Festa peraguntur, etiam religiosiores, & qui mundo se renunciare profitentur, nonnumquam impegisse video. Auctor est *Procopius*.

pius lib. 1. de bello Persico dum narrat Amydam urbem a *Cababe* Persarum Rege captam, & ea quidem parte qua turris exstabat a Monachis custodita; sed ipsi cum pridie, celebrato Festo lautioribus epulis excepti, gravius stertерent, Persæ civitatem ingressi, primum occupata turri, Monachos illos omnes obtruncarunt. S. *Augustinus*, lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. Afrorum nonnullorum ritum in deferendis ad Martyrum (horum Festis diebus & natalitiis) tumulos epulis, & reprehendit & excusat aliquo pacto. *Quæcumque adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum non sacra vel sacrificia mortuorum tamquam Deorum. Quicumque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit & in plerisque terrarum locis nulla talis est consuetudo: tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint orant & auferunt ut vescantur, vel ex eis indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum*; *S. Gregorius* Nazianzenus, Oratione 39. alludens ad versiculum Psalmi 41. secundum vulgatam nostram, *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis*. Secundum Septuaginta & Aquilæ versionem legisse videtur, ἑορτάζοντος, Festum agentis, seu epulantis, ut exponit *Nicetas* in hunc B. *Gregorii* locum, numero 33. ac si cum Festo epulum conjungendum sit. Quo pacto convivia illa apud Veteres Christianos agitarentur, & quibus locis utpote nonnumquam in Ecclesiis ipsis, quia hæc non a paucis pertractata sunt nunc non commemoro. Omitto Agapas, Festis diebus, celebratas; de quibus Tertullianus, sed pro tum Ecclesiæ Catholicæ desertor, & in Montani hæresim lapsus, lib. de Jejunio, adversus Psychicos. *Apud te* (Christianum Catholicum,) *Agape in cacabis fervet, & fides in culinis calet; spes in ferculis jacet*. Immodeste nimium ista evomuit Tertullianus, sed pro studio partium. At ejusdem verum illud esse existimo, *Ad pendices gulæ lascivia & luxuria est*. Antea istud demonstravit S. Scripturæ auctoritate, Exod. 32. *Surgentesque mane* (Filii Israel) *obtulerunt holocausta & hostias pacificas* (Vitulo conflatili, velut alteri Api Ægyptio) *& sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Intellige*, inquit Tertullianus, *Sanctæ Scripturæ verecundiam, lusum nisi impudicum non denotasset*. Sic illud Genesis, c. 26. de *Isaac* ludente cum *Rebecca*, S. *Augustinus* lib. contra *Faustum* Manichæum explicat. In obscœno carmine tum Martiale ac similibus, ejus vocis innumera exstant exempla. Quintilianus Declamatione 260. concessos adolescentiæ lusus dixit; *Seneca* Pater, controversia 2. lib. 1. ad finem. Sic in *Sardanapali* Regis tumulo, apud *Athenæum*, lib. 12. c. 7. παίζειν, summus Orator *Ludere* vertit, Græca vox non aliud indicat quam voluptatum genus omne quod ex lautioribus epulis consequi solet. Ut Christiani veteres, ex prisca illa sua Idolomania, in Festis diebus conviviorum morem retinuerunt, sic & cetera ejusdem luxus, cujusmodi erant choreæ. Meminit S. *Chrysostomus* homilia in S. *Julianum* Martyrem, dum ait, in Festo Sancti illius saltantium virorum choros suburbium Daphnes apud Antiochiam occupaturos. At ejusmodi hominum conspectus sæpenumero, illum etiam qui temperanter gerere se voluerit sensim ad ejusdem turpitudinis imitationem impellit, ac tum maxime cum in medio illorum Diabolus adfuerit. Hanc S. *Chrysostomi* postremam sententiam imitari visus est *Guillelmus* Parisiensis, cum dixit Choream esse circulum, cujus centrum sit Diabolus. Episcopi omnem operam studiumque adhibuerunt in fœdissimis illis Ethnicismi observationibus funditus rescindendis Concilio Toletano, 3. c. 23. *Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent officia divina attendere, saltationibus* (Ballemanthiæ vocantur, inscriptione capitis) *& turpibus invigilent canticis non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes, hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur Sacerdotum, & Judicum a Concilio sancto curæ committitur*. Habitum Concilium *Recaredo* 1. Rege anno Christi 589. Concilio Cabilonensi 1. c. 19. Rege Clodoveo secundo anno Christi, 698: *Multa quidem eveniunt, quædam leviter corriguntur, sæpius majora consurgunt. Valde enim omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes Basilicarum aut Festivitates Martyrum ad ipsa sole-*

solemnia confluentes, cum choris fœmineis turpia quidem & obscæna cantica decantare videntur dum aut orare debeant, aut Clericos psallentes audire. Unde convenit ut Sacerdotes loci talia a septis Basilicarum, vel porticibus ipsarum, ac etiam ab ipsis atriis vetare debeant, & arcere. Et si voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeum sustinere. Ad id alludit Capitularium lib. 6. c. 193. quod ex Concilii Moguntini 1. c. 48. depromptum est: Ethnicum hunc Festis diebus choreas ducendi, & saltandi morem quam pertinacissime retinuerunt Græci, ut prodit Canon 62. Concilii Trull. Calendas, & quæ dicuntur vota, & brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit, conventum ex fidelium civitate omnino tolli volumus, sed & publicas mulierum saltationes multam noxam exitiumque afferentes, quin etiam eas quæ nomine eorum, qui falso apud Gentiles Dii nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt, saltationes ac mysteria more antiquo (Gentili) & a vita Christianorum alieno, amandamus, & expellimus. S. *Chrysostomus* in c. 16. *Lucæ*, Concione 1. de Lazaro, & post eum *Balsamo*, & ad hunc Canonem & c. 20. Concilii Gangrensis, & c. 63. Concilii Carthaginensis Græcæ collectionis, has molestissime fert saltationes, a suis non recte usurpatas. Quod de Calendis dicit Canon ille Trullanus, Judaicam imitationem aliquam subindicare videtur, cum Judæorum mulieres in Neomeniis saltare solerent teste B. *Augustino*, tractatu 3. in *Joannem*, & Gentiles novæ lunæ Festum egisse testis est B. *Gregorius* Nazianzenus, oratione 2. in *Julianum*. Lepidam habes de choreis illis in Festis Sanctorum narrationem apud *Nicephorum* Gregoram, lib. 8. Historiæ Romanæ, capite de coronatione Imperatoris Andronici Junioris. Ac quoniam SS. *Ambrosii* & *Augustini* sæculo, quamplurimi adhuc supererant, qui Ethnicismum profitebantur, Christianorum & Gentilium permixtio illa, magna erat Christianis nostris peccandi illecebra, & eo magis cum pro naturæ corruptæ statu, quæ sensibus externis gratiora sunt ea nos magis ac magis afficiant, & illa multo vehementius atque acrius consectemur. Itaque Gentiles, tunc temporis, ut Christianos ad sua ridicula Festa magis pellicerent, nihil eorum quæ ad voluptatem quantumcumque facerent, solebant omittere. Istud Gentilium merum illicium memorat S. *Ambrosius*, Epistola 4. loco a nobis antea citato. Sed qui Gentilium in locis aliquot Summates erant & viri Principes, vel adeo Magistratus, etiam Christianos, quibus præerant, ad ista suorum Deorum Festa celebranda non tam invitabant, quam cogebant. Istud indicat Caput 27. Concilii Africani, quod est, 63., seu 60. Concilii Carthaginensis Græcorum. Episcopi siquidem statuunt, adversus potentiorum injuriam ejusmodi. *Ab Imperatoribus petendum ut quæ contra præcepta divina, convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentili attracta sunt, ita ut nunc a Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur, vetari talia jubeant, & de Civitatibus, & de possessionibus imposita pœna prohiberi; Maxime cum etiam in Natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam (quod pudoris est dicere) saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exercent, ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor*, devote venientium ad sacratissimum *diem, injuriis lascivientibus appetatur, ut etiam ipsius sanctæ Religionis pene fugiatur accessus*. Africanorum Episcoporum querela videtur originem dedisse legi *Theodosii* Junioris *Augusti*, & *Valentiniani Cæsaris* ad *Asclepiodotum* Præfectum Prætorio (Codicis Theodos. lib. 15. tit. 5. de spectaculis l. 5.) qua *Dominicis diebus, & Festis solemnioribus statuunt, ut omni theatrorum atque Circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata, totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam nunc vel Judaicæ impietatis amentia vel solidæ Paganitatis errore atque insania detinentur, aliud esse supplicationum noverint tempus, aliud voluptatum*. Ludorum nomen quodlibet oblectamenti genus comprehendi nemini dubium esse potest, ac proinde Imperator cum *Cæsare* vim illam potentiorum tacite repressisse videtur. De spectaculis Festis diebus exhibitis non ago, in quæ tot SS. Patres tot leges etiam me-

nito

rito exarserunt. S. Augustinus quam argute illa Gentilium carnalia spectacula ad spiritalia Christianorum transfert, tractatu 7. in *Joannem*. *Ne putetis fratres, quod sine spectaculis nos dimisit Dominus Deus noster. Nam si nulla sint spectacula, cur hodie (Festo Die) convenistis? Ecce quod diximus vidistis, & exclamastis, non exclamaretis nisi vidissetis. Et magnum est hoc spectare per totum orbem terrarum victum Leonem sanguine Agni deducta de dentibus Leonum membra Christi & adjuncta Corpori Christi*. Scio jam olim Episcopos aut indulsisse aut dissimulasse nescio quæ spectacula, sed intra modestiæ Christianæ terminos comprehensa. Juris Græco-Romani, lib. 3. in *Luca* Patriarcha Constantinopoli mos inoleverat, ut pueri, qui in Scholis erudiebantur, in Festo SS. Notariorum, τῶν ἁγίων Νοταρίων, forum circumirent vario variarum personarum habitu, etiam scenico induti. Persimile apud nos quidpiam agi consuevit in Festo S. Nicolai. Sancti illi Notarii & Martyres sunt in Horologio, & Menologio Græcorum, Μαρκιανὸς καὶ Μαρτύριος, die 25. Octobris. Sancti illi Martyres vocantur Notarii, hoc est elementarii, qui pueros cum vocabula integra compingere non possent initio, singulares litteras dictionum significativas pingere edocebant: Veteres ejuscemodi litteras *Notas* appellabant. Postmodum *Lucas* Patriarcha, istius generis spectacula sustulit cum ista histrionice, & mimice magis quam Christiane repræsentarentur. Hinc non una ratione a Conciliis, & SS. Patribus damnatæ Calendæ Januariæ. Reliquis omnibus omissis, hanc urgeo, quod illo die etiam Christiani, Gentilium more, varias scenico habitu personas referrent. De gentilibus vulgare istud est, & eo alludit *Julianus* Apostata, in Misopognone, cum scribit se nonnisi Calendis Januariis, scenam admisisse. *Petrus Chrysologus*, sermone 155. Hodie sc. Calendis Januariis *Gentiles Deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt*. B. *Asterius*, Amaseæ Episcopus, homilia in Festum Calendarum, narrat, Januariis ipsis Calendis, milites Romanos qui in alicujus urbis præsidio erant, currum, ut in scena, conscendere, satellitia ficta creare, publice & palam, quæ propria sunt mimorum, & histrionum agere, in habitum formamque muliebrem sese transformare. An vero Christiani essent hi milites non exprimit S. Episcopus. Sed ipse *Chrysologus* Christianos imitatos fuisse Gentiles prodit, qui licet, ut Gentiles, Deorum falsorum personas non repræsentarent, at larvati conspiciebantur. Hinc illa nonnullorum excusatio. *Non sunt hæc sacrilegiorum studia, vota sunt hæc jocorum. Et hoc esse novitatis lætitiam, non vetustatis errorem esse hoc anni principium, non Gentilitatis offensam. Erras homo, non sunt hæc ludicra, sunt crimina. Quis de impietate ludit? de sacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit risum? Qui se Deum facit Deo vero contradictor existit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli voluerit portare personam: qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo*. Tartari quantumvis barbari, longe modestiores, & sapientiores dignoscuntur in sui anni Festivitate celebranda, ut refert M. Paulus Venetus lib. 2. de Orientalibus regionibus c. 15. his verbis. *In die Calendarum Februarii, qui initium est anni Tartarici, magnus Cham & omnes Tartari ubicunque sunt, maximum & solemne celebrant Festum, omnesque unanimiter tam viri quam mulieres student albis indui vestibus vocantes diem illum*, Festivitatem Alborum; *nam credunt vestem albam bonum habere fatum: ideo ut toto anno fortuna illis sit propitia, in anni initio albis induuntur*. Cetera vetita persequamur. Eadem mente vetandi conditus est Canon septuagesimus sextus Trullanus, qui ista habet, quod non oportet intra sanctos ambitus (Zonaras & post eum *Balsamo* Ecclesiæ & loci sacri ambitum, quæque sacris Templis adjuncta sunt, ut areæ & vestibula, interpretantur) cauponariam officinam, vel quæ fiunt per aromata species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes. Et prostant apud nos in Festis SS. ad fores Ecclesiarum aromaticæ placentæ venales. Veruntamen longo ac diuturno usu apud Christianos illud observatum est, ut solemnioribus Festis mutuo sibi, seu panes, seu placentas missitarent; has *Eulogias* nominabant, ut videre est apud S. *Augustinum* Epistola 30. nec non aliis locis, S. *Paulinum*, Epistola 1. ut ceteros omittam. Quod in eam rem

 pec-

peccaretur emendavit Concilium Laodicenum, c. 14. *Ne Sancta instar benedictionum in Festo Paschatis in alias Parochias transmittantur*. Nugatur hic *Balsamo*: at melius *Zonaras* sic explicat, quoniam antiqui moris fuit ut Sancta (Corporis videlicet ac Sanguinis Domini particulæ) Paschæ tempore ab una Parœcia in aliam, benedictionis, iis ad quos destinata fuerant, impertiendæ causa, transmitterentur. Quod quidem in posterum ne liceat hujus Canonis Decreto sancitum est. Divina enim mysteria longis itineribus circumferri, quæque omni veneratione digna sunt, sine honore traduci a ratione & honestate alienum esse merito ac pie existimatum est. Retentus tamen legitimus Eulogiarum mittendarum usus. Ita cum priscis Ecclesiæ temporibus, diebus sacris & festivis convivia, *Agapas* vocabant, publica haberent, cum nescio quid Paganismum redolens, in iis deprehensum fuisset, illico Ethnicam illam corruptelam radicitus evellendam censuerunt Episcopi. De qua re sic cautum est, Concilii Laodiceni c. 27. *Quod non oportet Sacerdotes vel* Clericos, vel Laicos ad Agapas vocatos, partes tollere, eo quod Ecclesiastico ordini ignominia inuratur. Solebant Gentiles, in epulo sacrificali, ad quod invitati erant, partem sibi appositam servare & domum asportare; istud fieri in publicis illis conviviis Christianorum Festis diebus exhibitis, vetat Canon, servatis tamen, adhibita moderatione Christiana, conviviis. Erat nihilominus nonnihil discriminis, hac in re, inter Gentiles & Christianos; quod Gentiles in suis Festis prius sacrificabant; deinde epulum quod sacrificale vocaretur, instruebant, quod vel unus Juvenalis, ut cæteros omnes profanos scriptores omittam, commemorat Satyra XI. quem locum supra adduximus, tum Satyra 5. *Positis ad templa & compita mensis*. Concilii Ancyrani Can. 4. de his, qui per vim sacrificaverunt, & præterea ad Idola pransi sunt. Zonaras ibi cum sacrificio epulum conjungit. Interim Zonaras ἐν τοῖς εἰδωλείοις εὐώχηνται, habet, convivantes in Idolis, quin si legamus, ἐν τοῖς εἰδωλίοις, in Idoliis, & vocem hanc retinet ipse Zonaras, in Can. 7. ejusdem Concilii. Ab Apostolo usurpatur 1. Corinth. 8. *Siquis viderit eum qui habet scientiam in Idolio recumbentem*. Vox eadem reperitur 1. Machabæorum c. 1. & c. 10. Item apud *Prudentium*, in Apotheosi, contra Unionitas, idest Sabellianos.

> *Et quis in Idolio recubans inter sacra mille.*

Idem lib. 1. adversus *Symmachum*:

> *Turpis ab Idolii vasto emersisse profundo,*

Iso Magister, doctissimus Monachus San-Gallensis, ante annos septingentos, in Glossario suo, Idolium exponit locum Idolorum seu templum Idoli. Et quidem in eodem templo, nonnumquam, ut Festo die sacrificabant, ita ibidem epulabantur: Aliquando vero extra templum, ut in lucis vicinis eorum templis. De iis intelligendus Canon 7. ejusdem Concilii Ancyrani. De his qui in Festo Gentilium in loco Gentilibus deputato convivati sunt, Græca lectio ἐν τόπῳ ἀφωρισμένῳ. *Dionysii* Exigui versio ita concepta est, *in locis eorum remotis*. Erant autem luci vicini ipsis. Sed de epulo sacrificali in Festis Deorum, S. *Cyprianus* sermone de lapsis: *A Diaboli aris revertentes ad Sanctum Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt; Mortiferos Idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt*. D. lib. 17. tit. pro socio. l. *cum societas ad emendum coiret, & conveniret ut unus reliquis nundinas*, idest epulas, *præstaret*, Jurisconsultorum Princeps *Cujacius* emendat, *Nundinarias epulas præstaret*, & addo non alias, quam sacras illas epulas videri posse, cum Nundinæ Jovis feriæ veteri Jure Pontificio Romanorum appellarentur, ut refert *Macrobius*, lib. 1. Saturnalium c. 16. etsi lege Hortensia postea id mutatum. At Christiani nec sacrificabant ut Gentiles, nec de immolatis victimis epulabantur. Sed ut ad nostras Eulogias redeam, video Judæos, & Hæreticos suas quodammodo habuisse Eulogias quas etiam Christianis Catholicis mitterent. De quibus idem Concilium Laodicenum, c. 37. *Quod non oportet quæ a Judæis vel hæreticis mittuntur festiva accipere, neque una cum eis Festum agere*. Huic Canoni, velut explicationis gratia duo sequentes 38., & 39. adjuncti sunt Canones, *Quod non oportet a Judæis azyma accipere*;

re; *vel eorum impietatibus communicare. Item quod non oportet cum Gentilibus Festum agere, & eorum impietati communicare*. Quod repetitum Concil. African. c. 27. Concilii Carthaginensis Græca collectione, c. 6. Ita monentur Christiani Catholici, ut omnino a Festis, seu Judæorum seu Hæreticorum, abstinerent, adeo ut nequidquam, quod Festi causa ab ipsis paratum esset acciperent. Ε'ορτικὰ, quæ dicit Canon Laodicenus 37. non alia sunt intelligenda, quam quæ ad Festi celebritatem apparata erant, seu ornatus seu voluptatis, sive esus gratia. Ac de postremo isto genere potissimum agi hac voce Ε'ορτικὰ facile adducor ut credam. Siquidem illa festiva imprimis accipienda sunt quæ ab Apostolo, 1. Corinth. 10. & a veteribus Ecclesiæ Patribus Idolothyta nominantur, seu Idolis immolata, de quibus ista nos docet *Scholiastes* Aristophanis in Plautum, ex legis præscripto licitum fuisse (apud Gentiles iis) qui ex Sacrificio domum redibant, portiunculam aliquam victimæ sacrificatæ afferre domesticis. Addo etiam, nonnunquam ex illo sacrificio vel epulo, quæ aut sepositæ, vel reliquæ erant carnes, in macellum Gentiles vendendas mittebant, & ex iis collecta pecunia in lucrum Sacerdotum redibat. Horum meminit S. Augustinus, lib. expositionis quarundam propositionum, ex Epistola ad Romanos, expositione 78. *Omnis tunc immolatitia caro in macello venundabatur, & de primitiis vini libabant tunc Gentiles simulacris suis, & quædam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant*. Petitus autem hic Canon Laodicenus e Canone 70. Apostolorum, numeratione Græca, ubi pro voce ἑορτικὰ, habet Canon Apostolicus, τὰ ξένια τῆς ἑορτῆς, Festi Xenia, quæ Apostoli ipsi interpretantur ἄζυμα Azyma; aut quid simile. Hæc omnia *Zonaras* nominat μοίρας τινὰς ἑορτῆς, Partes Festi, quæ cum iis de quibus mox dicebamus ex Aristophanis scholiaste aptissime congruunt. Ista facile capi non possunt nisi omnem Festorum quæ apud Gentiles agerentur rationem teneamus; quam tamen describere non est animus, ne in immensum excrescat oratio, quæ ista adpendice, aliquantum molesta, & tædii plena videri posset. B. *Ephrem*, velut incompendium totam illam superstitiosam Festorum Gentilium celebritatem describit, sermone de Festis diebus: item sermone in pretiosam, & vivificam crucem Domini. *Festivitates*, inquit, *Dominicas, honoremus, non panegyrice, sed divine; non mundane, sed spiritualiter, non more Gentilium, sed Christianorum, non vestibula ac januas ædium nostrarum coronemus ac choreas ducamus, non tibiis, & citharis auditum effeminemus, non mollibus vestibus induamur, non cingulis undique auro radiantibus cingamur, non comessationibus, & ebrietatibus dediti simus*. Eadem plene habes apud B. *Gregorium* Nazianzenum Oratione 38. tum Oratione 2. in *Julianum*. At cum populus suis voluptatibus fraudari se ægre patiatur, nonnulla ei concessa sunt, adhibita moderatione. Hoc nos docent Imperatores *Arcadius*, & *Honorius*, Cod. Theod. lib. 15. tit. 6. l. 2. *Ludricas artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur. Illud vero quod sibi nomen procax licentia vindicavit*, Majumam *fœdum atque indecorum spectaculum denegamus*. Verum cum id permoleste ferret populus, restituta est Majuma (de qua Suidas) ea lege, *ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret*, quemadmodum ejusdem tituli lex prima loquitur. Sed ut habet *Cassiodorus*, lib. 1. variarum, Epistola 27. *mores graves in spectaculis quis requirat? Ad* Circum *nesciunt convenire* Catones. *Quidquid illic gaudenti populo dicitur, injuria non putatur. Locus est qui defendit excessum*. Idem nobis dicendum de omni lascivia condito illo Majumæ ludicro; quo incondita, insolens & procacissima plebecula oblectabatur. Verum enimvero quoniam de Majumæ feriis sermonem instituimus, ferias duplicis generis fuisse imprimis observandum est; quasdam solemnes, alias repentinas. Et quidem solemnium nonnullæ erant sacræ & perpetuæ, quæ Christianæ pietatis & Religionis propriæ, cujusmodi Festa in memoriam Christi, aut dies natalitii Martyrum; ceteræ minime perpetuæ, ut dies, qui ipsis Imperatoribus *vel lucis auspicia, vel ortus Imperii protulerunt*, ut exprimunt Imperatores, Cod. de feriis l. *omnes dies*. Cod. Theodos. lib. 2. tit. 8. l. 2. Iis solemnibus, ut & repentinis, publicæ alicujus lætitiæ, vel boni eventus gratia imperatis publica vo-

voluntate populum voluerunt Imperatores. De quibus, ni fallor, intelligenda lex 17. Cod. Theodos. l. 16. tit. 10. ea ab Imperatoribus *Arcadio* & *Honorio* lata, ad Apollodorum Proconsulem Africæ missa. *Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus: ita Festos conventus civium, & communem omnium licentiam non patimur submoveri, unde absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili, exhibere populo voluptates, secundum veterem consuetudinem, inire etiam festa convivia, si quando exigunt publica vota, decernimus*. Postrema hæc verba repentinas illas ferias boni alicujus eventus causa innuere videntur, quamquam & de natalitiis Imperatorum intelligi posse non negem: Legis vero prior sententia, Festa & sacra Gentilium plane interdicta denotat, at publicas oblectationes minime. Inveteratum morbum vix arte medica, aut nonnisi cum ægri periculo vel fortuito aliquo casu curari dictitant: Istam populi diebus Festis paulo liberiorem, jamque a tot sæculis receptam vivendi licentiam, qui penitus cohibere potest? Qui Christianorum Catholicorum melius sunt edocti non ita sentiunt: dicam cum *Seneca* lib. de vita beata, c. 2. *quærimus quid optime factum sit, non quod usitatissimum. Argumentum pessimi turba est*. Et quod idem prodit, Epistola 18. de se suoque *Lucilio*, idem de nostris Christianis paulo modestioribus, lubens usurpabo; *Ut Festis diebus per omnia similes esse pollutæ turbæ nolint, nec per omnia dissimiles. Iis sacris diebus præsertim animo imperandum est, ut nunc voluptatibus meliores abstineant, cum in illas omnis turba prorunt. Quæ quidem non aliud temperantiæ suæ certissimum dat argumentum quam cum ad blanda, & in luxuriam trahentia, nec it, nec difficile abducitur*. Tantum non Christiane ab ipso Stoico Romano eo loci pronunciatum illud est. *Licet sine luxuria agere Festum diem*. Et certe quædam media, & ut vocant adiaphora, quamquam ab Ethnicis in suorum Deorum Festis fieri solerent, citra noxam etiam a nobis peragi possunt, ut vestis mutatio, & honestior habitus post sacrum & divinum epulum, cibus aliquantum lautior, Sacrorum carminum aut similium musicus concentus, sed gravis, nam chromaticum musicæ genus, utpote effeminatum & elumbe a Christianorum cœtu procul amandat *Clemens* Alexandrinus, lib. 2. Pædagogi, c. 4. non autem diatonicum & harmonicum, quorum priori phrygium, posteriori doricum modum attribuit *Clemens* idem, lib. 6. Stromatum. Forsan de chromatico illud dici posset non alia mente vetitum, nisi quod severitatem templi mollicula modulatione frangeret, ut loquitur *Seneca* pater, Controversia 8. lib. 6. Publicam etiam populi Christiani lætitiam in Festis agendis, arguebant, usitatæ olim in veteri Ecclesia acclamationes & plausus, qui fiebant in celebrandis iis sacris, velut S. Augustinus non uno loco, & præsertim tract. 7. in *Joannem*, tum S. *Gregorius* Nazianzenus variis orationibus, & quidem diserte oratione secunda in *Julianum* Apostatam. Ac tandem ex collatione, quo pacto a Christianis Festi dies peragendi sint, sic edisserit B. ipse *Gregorius*, oratione 6. ad *Gregorium* Nyssenum, tum oratione in Sanctam Pentecostem, quæ est 44. *Festos dies Judæus agitat, verum secundum litteram, festos item dies Gentilis, verum ut dæmonibus placeat. At nobis* (Christianis) *quemadmodum omnia sunt spiritualia, actio, motus, voluntas, sermo, incessus denique, & vestis atque adeo ipsi oculorum nutus ratione scilicet ad omnia pertingente atque hominem eum qui secundum Deum est componente ac moderante, sic etiam spiritualis est Festorum celebrandorum animarumque oblectandorum ratio. Non enim animi relaxationem interdictam volo sed petulantiam coerceo*. Legendus est *Theodorus* Studita, variis quidem de ea re Orationibus catechisticis. Et quod ad epulas Festo die celebratas spectat, vel ipsi sanctissimi Episcopi in veteri Ecclesia illud suo quin etiam exemplo docuerunt, ut in *Alexandro* Alexandrino Episcopo discimus apud *Photium* Bibliothecæ numero 258. cum Festo die in honorem B. *Petri* Alexandrini, Episcopi & Martyris, sacra liturgia celebrata primores Cleri convivio excepit. Quo tempore conspectus est ex eo loco ubi erant convivæ B. *Athanasius* tum puer cum suis coevis ludens, ab iisque per jocum creatus Episcopus quosdam simulatis sacris mysteriis in littore maris baptizasse. Cujus rei etiam meminit *Sozomenus* lib. 2. Historiæ Ecclesiast.

cr 16. sed ut institutam absolvamus festorum dierum rite celebrandorum rationem, hanc nobis oculis subjicit *Severus* Sulpicius, ex Epistola S. *Paulini*, ad eundem *Severum* scripta, quæ prima est inter Severianas. *Jam & domestica mihi post osculum sanctum gaudia mente, & cogitatione propono eum inebrietate spiritu charitatis, sobriam misceamus per pocula casta lætitiam, ne in fermento nequitiæ, sed in azymis sinceritatis pia Festa celebremus, psallentes Domino in hymnis, & canticis spiritualibus cantantes linguis & cordibus Deo.*

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De Sanctorum Martyrum Natalibus

AD CLARIS. VIRUM

ANTONIUM FELICEM MARSILIUM

BONONIENSIS CATHEDRALIS ARCHIDIACONUM.

DISSERTATIO XXV.

I. Jampridem, Marsili Clarissime, una cum Eminentissimo Annalium parente Baronio, aliisque multis credideram, quotquot in Ecclesiasticis Fastis sanctorum Natales proponuntur, eosdem si non perpetuo, at sæpissime diem eorumdem emortualem designare. In hanc autem sententiam eo facilius ibam, quo accuratius animadverteram ab ipsa nos nonnumquam moneri Ecclesia, quum in alium, quam in obitus diem, Sanctorum solemnia caderent; tunc etiam Hymnis precibusve paulum mutatis sibi ab antiqua consuetudine declinatum omnium Ecclesiarum magistra prodebat. Verum celeberrimi Scriptores P. Papebrochius primum, deinde P. Pagius me diutius in errore versatum præteritis annis commonuere: ille enim in Conatu Chronico-Hist. ad Catalogum Roman. Pontif. pag. 25. ait: *Itaque in hodiernum tempus, exceptis paucis, veteres fere omnes Romani Episcopi alio coluntur die, quam dicendi sunt obiisse:* Pagius vero in Critica Baroniana ad Ann. Ch. 67. num. 18. hæc habet Papebrochii vestigiis inhærens: *Dies quibus Sancti Pontifices coluntur, aut quos eorum mortis vel Sepulturæ Martyrologii, aliique attribuunt, nihil plerumque cum die obitus aut sepulturæ commune habent.* Quin longius procedit num. sequ., dum reliquos Sanctos eidem regulæ subesse pronunciat; inquit enim: *Sancti itaque plerumque aliis diebus, quam quibus ad cælestem patriam migrarint culti.* Et infra: *Hinc pauci Sancti, quibus obierunt diebus coluntur.* Vix vero novam hanc & ego opinionem indueram, tantosque viros omnino sequebar, quum antiquam a Paulino magis firmari animadverti, neque ad examen revocata, infirmis nuperam hanc niti fundamentis intellexi. Quæ igitur super hisce per otium differere licuit, en oculis tuis subjecta prodeunt obsequii potius meritum, quam eruditionis laudem mihi allatura. Primum vero de Sanctorum Festis diebus quædam adnotabo, ut eorum institutionem continuo nobis favere perspicuum fiat. Quæcumque enim antiquitus in Ecclesiam Dei inducebantur solemnia, eum ipsum diem respiciebant, quo SS. Martyres vitæ suæ consummarant cursum, cæloque redditi tolerata mortis fructum primo perceperant. Celebris est S. Cypriani locus in Epist. 37. ad Presb. & Diac., ubi sedulo illos hortatur, ut dies, quibus Martyrum quilibet e vivis excesserat, adnotent. *Denique*, ait, *& dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter Memorias Martyrum celebrare possimus; quamquam Tertullus scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalem vitam gloriosæ mortis*

tis

tis exitu transeunt, *& celebrentur hic a nobis oblationes*, *& sacrificia ob commemorationes eorum*, *quæ cito vobiscum Deo protegente celebravimus &c. Epist.* quoque 34. idem Cyprianus: *Sacrificia pro eis semper*, *ut meministis*, *offerimus*, *quoties Martyrum passiones*, *& dies anniversaria commemoratione celebramus*. Antiquius enim hac de re testimonium proferamus, nempe Epistolam Smyrnesis Ecclesiæ de S. Polycarpi Martyrio, quæ inter sacros fœtus antiquitatis ad nostra usque tempora pervenit. Inquiunt autem piissimi viri: *Sancti Martyris ossa gemmis auroque pretiosiora tumulo mandavimus* ὅθι ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελῶν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον *&c. ubi sane nobis in unum aliquando coactis Dominus præstabit*, *ut cum exultatione*, & gaudio ejus Martyrii diem instar *Natalis festum celebremus*. Igitur Apostolicis etiam temporibus Natalis appellabatur hic dies Martyrum commemorationi dicatus, illudque vocabulum apud veteres diem tantummodo Sanctorum emortualem designabat. Primum audiamus Paulinum Nat. XIII. ita loquentem.

Et merito sanctis iste Natalis dies
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis
Et in superna Regna nascuntur Deo.

Quia tum Cœlo SS. Martyres nascebantur, Natalis nomen eorum obitus diei inditum. S. Petrus Chrysol. Serm. 129. *Natalem*, ait, *Sanctorum cum auditis*, *charissimi*, *nolite putare illum diei*, *quo nascuntur in terram de carne*, *sed de terra in Cælum*, *de labore ad requiem &c.* Euseb. Gallicanus sive Cæsarius Homil. 50. de S. Ginesio: *Beatorum Martyrum passiones Natales vocamus dies*, *quando eos Martyrii vita*, *& gloriæ fides dum ingerit morti*, *genuit æternitati*. Eadem in sententia sunt S. August. Serm. 1. de Sanct. Nicolaus PP. in Resp. ad consulta Bulgar. cap. 5. Rhaban. lib. 2. de Instit. Cler. cap. 43. Radulphus Flavi. lib. 7. cap. 2. in Levit. Amalar. lib. 4. de Eccles. Offic. cap. 35. Belet. de Div. Off. cap. 4. & alii. Ex horum autem Auctorum consensu patet eos tantum antiquis temporibus dies solemni honore fuisse insignitos, Sanctorumque memoriis sacratos, quibus iidem toleratæ mortis beneficio supernæ redditi fuerant quieti. In hanc rem testis luculentissimus accedit Paulinus, siquidem Nat. XIII. inquit:

Hinc ergo Sanctis, sive Confessoribus
Dies sacratas, in quibus functi diem
Mortalis ævi morte vitali suum
De labe mundi transierunt ad Deum,
Populi fideles gaudiis solemnibus
Honore Christi gratulantes excolunt.

Quoties igitur seu in vetustis Martyrologiis, seu apud Christianos Patres *Natalis* vocem comperimus, continuo Festum diem intelligamus oportet, quo Sancti alicujus obitus, seu sepultura annuis recolitur votis. Hinc Martyrologia originem, hinc Fasti Ecclesiastici primordia sua cognoscunt. Et profecto constanter affirmandum reor, non nisi seris Ecclesiæ seculis factum, ut alius dies Sanctorum commemorationi dicatus haberetur, quam qui eorum obitus memoriam quotannis renovaret. Auctor est Gregorius Turon. lib. 2. de Mir. Martyr. cap. 29. S. Germani temporibus, hoc est seculo Christi quinto, institutum fuisse S. Juliani Martyris solemnem diem. Ignorabatur quo die decessisset B. Martyr; hinc populus anxius, incertusque dies piis eorum votis obstabat. Divinitus tandem subsidium ignaris præstitum, & quæsitus dies cælo ipso revelante innotuit. Inquit laudatus Auctor: *Hujus festivitatis temporis ignara plebs mæsta pendebat*, *nesciens diem*, *in quo Martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari*, *& hæc ignorantia usque ad B. Germanum Antisiodorensem Antistitem est protracta &c. Tunc ille*, *Omerus*; *inquit*, *& fortasse nobis hæc Domini potentia revelabit*. *Quod cum fecissent*, *mane orto ait*, *V. Kal. mensis septimi celebrandam esse festivitatem*. Si liberum olim fuisset, quoto magis placeret die Sanctorum commemorationem celebrare, utique non adeo segnes in S. Juliani solemniis instituendis ii fuissent populi, neque tanto studio tempus, quo recolenda quotquot Scriptores Martyrologia publicis consignavere tabulis id potissimum præ oculis habuisse, ut emortuales Sanctorum dies quanto certius posset exprimerentur. S. Greg. M. ad Eulogium Alexandr. Epist. 29. lib. 7. *Nos autem*, inquit, *pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno Codice nomina habemus*, *atque quotidia-*

tidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen locus, & dies passionis ponitur. In hanc rem Ado Vienn. Archiep. scribit in Præf. ad suum Martyrologium: *Huic operi ut dies Martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendis inveniri solent, adjuvit Martyrologium ab Urbe Roma Aquileiam transmissum.* Beda quoque Adone antiquior in suorum operum Catalogo: *Martyrologium*, ait, *de Natalitiis SS. Martyrum diebus, in quo quos invenire potui non solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo Judice mundum vicerint, diligenter annotare studui.* Eo autem hæc omnia spectant, ut unum Pagii fundamentum dejiciamus; inquit enim: *Sanctos plerumque aliis diebus, quam quibus ad cælestem patriam migrarint, cultos, sive quia persecutionis tempore minus exquisite notatio haberi potuerit dierum, quibus passi sunt &c.* Quantopere vero in hisce diebus notandis seduli Christicolæ forent ex relatis Scriptorum suffragiis patebit. Audiatur prætere Chrysost. Hom. 26. in Epist. 2. ad Corinth. *At vero*, ait, *servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quæ regiam, & dominam omnium Civitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti sunt omnibus qui festi per totum orbem aguntur.* Quapropter hoc pro certo habeamus nullos olim festos dies in Ecclesia Dei fuisse institutos, nisi eos quibus Sanctorum e vita decessio quotannis recolebatur. Sed jam quærentes audio, cur nonnumquam vetusta inter se Martyrologia dissideant, nec cum ipsis Martyrologiis Sanctorum Acta non raro conveniant? Si unum tantum obitus diem sacri repræsentarent Fasti, aut Acta illa fidem non haberent, aut ipsa inter se Martyrologia de veritate certarent. Ego primum varias edisseram hujusce discrepantiæ causas, deinde ne ipsam quidem tantam esse demonstrare pergam ut (quod Pagius sentit) nullus ferme Sanctorum emortualis dies nunc observetur. Neque enim inficias imus quorumdam Festa non ipsis Martyrii diebus coli, sed id solummodo præstamus, ut ea raro contingere, & fere semper Martyrologio monente ostendamus. Hæc quoque, & non alia est Florentinii sententia in Adnot. XI. ad Martyrol. Hieronymianum, & Petri Damiani in Opusc. cui tit. *Dominus vobiscum*. Itaque primam rationem, cur quorumdam Sanctorum alio die, quam quo obierint, memoria celebretur, eam assignari posse puto, quod olim Quadragesimali tempore aut nullæ, aut paucæ Feriæ Sanctorum commemorationem admittebant, eorumque propterea honores in alios extra Quadragesimam protrahere necesse erat. Sic Festum Annunciationis e die 25. Martii in 18. Decemb. a Concilio Toletano X. Can. 1. rejectum est, neque alia intercessit causa. Synodus Laodicena Can. 51. statuit, *Quod non oporteat in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed eorum in Sabbato, & Dominica tantum memoriam fieri.* Idem habetur in Capitulis Martini Bracarens. cap. 48. *Non liceat in Quadragesima Natales Martyrum celebrare, sed tantum Sabbato & Dominico die pro commemoratione eorum oblationes offerri.* Si igitur in Sabbatum, Dominicumve diem Sanctorum Natales Quadragesimali tempore incidebant, eorum commemoratio utique permittebatur, aliis vero diebus id interdictum. Hinc diversis diebus, quam quibus e vivis excessere, quidam coluntur Beati, quod nempe annus illorum obitus Quadragesimæ causa coli non posset. Sane ubique locorum hujusmodi consuetudinem invaluisse minime crediderim; in Ecclesia tamen Ambrosiana adeo constans fuit, ut nullius Sancti Festum durante Adventus, aut Quadragesimæ jejunio, etiam nunc celebretur & in alios referantur dies, quæ alioqui iisdem temporibus celebranda forent. De hoc idem legit Carolus Guyet. e Soc. Jesu in Neortolog. lib. 2. cap. 2. 3. Secundo quia Sancti alicujus Natalis dies a digniore Festo occupabatur. Sic S. Basilii Festum e die prima Janu. in 14. Jun. & S. Remigii e die 15. ejusdem mensis in primum Octobr. conjecta fuere. Sanctorum deinde Translatio efficere potuit, ut diversus ab emortuali dies ipsorum commemorationi fuerit dicatus. Nonnulla quæso quæ ad id, quo de agimus, pertinent, consideremus. Sacras Martyrum Reliquias sub Constantino tantum transferri cœpisse Paulinus Auctor est disertissimus. Natali XI. inquit ille:

Ut Constantino primum sub Cæsare factum est
Tunc famulis retegente suis, ut sede priori
Martyres accitos transferrent in nova terræ
Hospitia &c.

Quod tam sero pretiosæ Sanctorum exuviæ in varias transferri partes cæperint, Ethnicorum Imperium in causa fuisse videtur; Constat enim antiquo Romanorum jure extinctorum corporum translationem fuisse interdictam ut l. 39. ff. de Religios., & Plinius Epist. 73. lib. 10. docent. Vix autem sub Constantino Christi Fides extulit caput, quum hinc inde triumphales Martyrum Reliquiæ ad populorum opem transvehi cæpere. Iterum Paulinus ait:

Ex illo sacri cineres quasi semina vitæ
Diversis sunt sparsa locis, quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

Em. Baronius ad diem 15. Jun. in Martyrolog. & Azor. tom. 1. Instit. Mor. lib. 9. cap. 8. quæst. 11. ex eo tantum tempore in Gallias, & per Occidentem cæpisse Beatorum corpora transferri censet, quo Franci Romana Ecclesia a Longobardis, aliisque tyrannis vindicata liberum fecere piorum commercium. Sed multis ante seculis hunc obtinuisse morem cum Paulinus tum innumera suadere possunt exempla, ut mirum sit viros doctissimos in hanc opinionem concessisse. Unus legatur Gregorius Turonensis, & res palam fiet. *Translationis* vero nomen non ad quamcumque Reliquiarum transvectionem refertur, sed eam solummodo respicit, quando ab aliquo justæ sepulturæ loco ad alium sacra pignora asportantur. Nam quod S. Ignatii Martyris statim post ejus cædem corpus Antiochiam Syrorum hominum studio delatum fuerit Anno Ch. ut Baronius arbitratur 110. ejus reliquiæ translatæ minus apte dici potuere. Tam celebres dein hujusmodi translationes sunt factæ, ut earum quotannis memoria solemniter recoli in Ecclesia cæperit, earumque mentio nonnumquam in Martyrologiis sit obvia. Quocirca post Florentinium doctissimus Pagius suspicatus est pro diebus Sanctorum emortualibus substitutos quandoque Translationum dies fuisse. Mihi hujusmodi rem examini subjicere non vacat; ea tamen non prætenbo, quæ erudit. Guyetus in eamdem quæstionem lib. 2. cap. 2. quæst. 3. Heortolog. ait: *Verum quantum fas est conjicere, ideo fortasse celebritas major præfatis diebus indicta est, quod Natalis Sanctorum illorum Quadragesimæ tempore eveniat, quo tempore a celebratione Festorum fuisse olim abstentum observavimus*. Sed jam ad controversiæ caput aggrediamur, & in ejus arcem invadamus. Et quæso, Marsili sapientissime, confestimne Pagium veritatis unius rationem habuisse arbitraberis, quum in severam illam, absolutamque sententiam discessit, qua nullorum pene Sanctorum Natales, seu obitus dies nunc observari pronunciavit? Ego nequaquam reor. Hanc ideo opinionem sequutus est ille, ut in Romanorum Pontificum Chronologia calculis suis robur pararetur. Quandoquidem quænam adeo graves celebresque causæ intercedere poterunt, ob quas priorum seculorum usus in Sanctorum Natalibus colendis ab Ecclesia Romana penitus eliminaretur, & Martyrologii fides passim turbara jaceret? Jam vero ipsius Pagii calculos in examen vocemus. S. Linus An. Ch. 67. duobus videlicet post Petri Paulique obitum annis, e vivis sublatus est, ejusque mors cum in Romano aliisque Martyrologiis, tum in Chronico veterum Pontificum ad diem 23. Septembr. refertur. Quid ad hæc Pagius? *Sed non existimandum*, ait, *Linum eo die ad superos transiisse cum dies quibus Martyrologiis veteres Pontifices coluntur, & in auctiori Chronico veterum Pontificum dicuntur sepulti, ad aliquam eorum Translationem ut plurimum pertineant*. Coluntur præterea S. Cletus die 26. Apr. S. Anacletus die 13. Jul. S. Evaristus die 26. Octobr., S. Telesphorus die 5. Januar., S. Soter die 22. Apr., & in hoc die assignando Martyrologia omnia cum veteri Pontificum Chronico consentiunt, & eamdem nihilo secius cantilenam Pagius repetit, videli-

delicet iis diebus non credendum horum Sanctorum mortem, sed aliquam potius Translationem contigisse. Sed parcat vir Clar., si expresso lubentius Ecclesiæ Romanæ aliorumque scriptorum testimonio, quam nudæ illius opinioni fidem habendam esse aperte pronunciamus. Enim vero cui nam magis dum emortualem summorum Pontificum diem perquirimus, quam Ecclesiæ Romanæ auscultandum est, quæ præsens olim eorum agones inspexit, adnotavit, atque ad posteros in Martyrologiis relata transmisit? Placet sane Philosophis, pluris esse unius, non modo multorum, assertionem, quam unius tantum, & quidem fine aliquo argumento inficiantis opinionem. Ecquid enim ille vincet, qui id ipsum quod in quæstione versatur pro ratione argumentoque profert? Reliqua videamus. SS. Petrus, ac Paulus die 29. Junii, S. Clemens 23. Novembr., S. Alexander die 3. Maii, Hyginus die 11. Januar., S. Pius die 11. Jul. S. Anicetus die 17. Apr. S. Callistus die 14. Octob., S. Urbanus die 25. Maii, S. Fabianus 20. Januar., S. Lucius 4. Martii, S. Stephanus die 2. Augusti, S. Sixtus II. die 6. ejusdem mensis, S. Dionysius 26. Decembr., S. Eutychianus 8. ejusdem mensis, & S. Cajus die 22. April. in publicis tabulis coluntur, istisque diebus eorum Martyrium, sepulturamve contigisse non Romanum modo Martyrologium, sed Hieronymianum ut vocant, Addo, Beda, Norkerus, Vuandelbertus, Chronicon veterum Pontificum, Anastasius, & alii explorate testantur. Quare tot antiquorum consensui in horum Pontificum Natali die assignando victas manus dare coactus est Pagius. Qua igitur fronte in illam sententiam ire vir doctissimus potuit, ut adeo paucos Beatos ipso obitus die solenniter coli assereret, si ex ipsis tantum Romanis Pontificibus, ut si de aliquibus diebus Festis non temere dubitari posse sibi videbatur eos potius ex comperto Martyrologii more, non levi ductus opinione explicaret. Sed & attingere non pigebit, quæ ipsi plane difficultatem peperere. S. Sixti obitus in Martyrologiis Romano, Hieronymiano, Usuardi, Adonis, Rosweydi, Vandelberti, aliorumque multorum ad diem 6. Aprilis refertur; ab Anastasio tamen, a Floro, aliisque paucis infimæ notæ scriptoribus die 3. ejusdem mensis memoratur. Pagius vero neutrum diem ad Sixti mortem spectare ait, quippe in diem 3. Julii, si annos Pontificatus numeraveris, ejus Martyrium cadere animadvertit. Sed quam lubricis ille nitatur fundamentis, quantumve ejus regulæ in Pontificum Chronologia nutent, mei non est instituti perpendere. Pauca tamen, ut quod ad Sixtum pertinet absolvatur, producam. Chronicon, ut vocant, Damasi hæc de illo habet: *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Adriani a Consulatu Nigri, & Aproniani usque Vero III. & Ambibulo.* Ad hæc Pagius: *Sed error irrepsit in numeros legendumque* mensibus duobus die uno *ut habetur in auctiori Chronico veterum Pontificum, in Catalogo Palatino*, & in duobus Catalogis Corbejensibus. Quum vero teste eodem Damasi Chronico die 3. Maii Anno Ch. 116. hinc Pagius ad diem 3. Julii Anni 126. trahendum Sixti obitum censet. Sed primum in producendis veterum testimoniis major in Pagio diligentia desideratur; nam Catalogi Corbejenses, quos ille pro sua collectione citat, quique apud Papebrochium in Conatu Chronico historico post S. Felicis IV. vitam inveniuntur, aliter se habent, Sixtumque his produnt verbis: *Sixtus An. X. m. 3. d. 22. VIII. Id. Apr.* En ut ii etiam in assignando emortuali die S. Sixti Romano Martyrologio consentiunt. Deinde an inter S. Alexandri mortem, Sixtique electionem nullum (ut vocant) Interpontificium fuit? Sane Anastasio aliisque testibus 27. dies intercessere. Et cur hos quoque in censum Pagius non refert? Si demum A. Ch. 116. ipso die 3. Maii, quo S. Alexander ad Superos evolavit, Sixtus Pontificatu est auctus, cur in Damasi Chronico non ab A. 116. sed a Consulatu Nigri & Aproniani, qui in Annum Ch. 117. cadit, ejus numerantur anni? Dicam confidenter quæ sentio: Chronicon Damasi omnium consensu Auctorem incertum habet, pluribusque erroribus scatet, quos ipse Pagius aliique identidem emendent oportet, ut inde quid referant emolumenti. Quænam igitur toties peccanti fides habenda? Oleum facile operamque perdere arbitror, quoscumque huic uni fidere Scriptori in Pontificia Chronologia conspicio. Ipsius etiam

Z 2 Pa-

Pagii confessione ad A. Ch. 130. num. 3. patet, Interpontificiorum tempus omnino nobis ignotum. *Annotatur quidem*, *ut ait* idem, *illud tam in libro Pontificali quam in Chronico auctiori veterum Pontificum*, *sed præterquam quod inter horum librorum Auctores non convenit*, *vacatio Sedis non ex certis monumentis*, *sed ex proprio calculo ab illis descripta*. Cur ergo tantum Pagio laboratur ut electionum obitusque dies ex ipsis Auctoribus hauriantur? Cur tam prompte adversus Romani Martyrologii fidem fertur? Itaque S. Sixtum die 6. Apr. aut obiisse aut sepulturæ traditum mihi suadeo, & ab hujusmodi die S. Pontificis tempora sunt retro numeranda. Ad Eleutherum Papam transeo. Hunc Pagius die 26. Maii, quo a Romana Ecclesia colitur, sepultum non negat, licet quorumdam testimonia in aliam sententiam vergant. Quod ad S. Victorem Pagius eum obiisse diem non diffitetur die 28. Jul. quo eodem die Martyrologium Romanum, Chronicon auctius veterum Pontificum, antiqui Catalogi, Anastasius, alia Martyrologia, & Henschenius eum coli testantur. Non audiatur ergo Hieronymianum Martyrologium, Papebrochius in Conatu Chronico-hist., & nonnulli pauci, qui in alium diem referunt Sancti hujus obitum. Zephyrinus ejus successor Martyrii palmam invenisse die 26. Aug. in Martyrologiis præter Pseudohieronymianum universis, & reliquorum Scriptorum documentis dicitur. Verum ex fluxis incertisque Pontificatus annis illum die 12. Jul. vita defunctum Pagius arbitratur. Nil tamen vir doctissimus contra tot monumentorum consensum evincet, ni prius certum aliquem proferat Auctorem, qui tum Pontificatum, tum Interpontificiorum tempora securus erroris signet. Certe hoc ab illo præstari non poterit, dum interim certi, ac ii quidem numero & auctoritate præcipui scriptores pro nobis pugnent. Quum in Sardinia exul obierit S. Pontianus, mirum non est, si ejus obitus ad varios dies hinc inde trahatur. S. Cornelium una cum S. Cypriano die 14. septemb. inter vivos esse desiisse, quo eodem die in singulis Martyrologiis mortem oppetiisse dicuntur, Pagius quoque contra Papebrochium erudite probat. S. Felix die 29. Maii ab omnibus pene refertur, sed suorum calculorum, ac Hieronymiani Martyrologii testimonio fretus die 22. Dec. extinctum affirmat. Quum nihilominus inter se Chronica & Catalogi longe in assignanda Pontificatus continuatione dissideant, nescio quam multum fidei sibi queat conciliare. Hucusque igitur, Marsili doctissime, per tria Epochæ nostræ priora secula quamplurimos vidimus SS. Pontifices ex Pagii consensu ipsis diebus quibus coluntur, Martyrii corona donatos; dum vero paucorum admodum, qui supersunt, mortem aliis contigisse diebus, quam quibus coluntur, nullis probare solidis argumentis queat, proximum est ut nos omnem Romano potius Martyrologio, quam levissimis aliorum rationibus fidem habeamus. Quamobrem tactam ante querelam nunc repeto: cur Papebrochius & Pagius adeo paucos Beatos die eorum emortuali nunc in Ecclesia Dei honorari pronunciarunt, si tot ex ipsis dumtaxat Pontificibus contra horum opinionem ita recoluntur? Quamquam & hanc nuperam sententiam exemplis pluribus profligare arduum non foret, si per otium liceret. Nunc unum animadvertisse sufficiat, nempe Eusebium in lib. de Martyr. Palæstinæ, qui libro 8. Hist. subjici solet, plurium Martyria, diemque etiam Martyrii memoriæ tradidisse. Hi autem prorsus cum Romani Martyrologii fide conveniunt. Coluntur die 17. Nov. SS. Alphæus, & Zachæus. Eusebius vero hæc, de illis habet: Δίου μηνὸς ἕκτῃ, καὶ δεκάτῃ αὐτῇ παρὰ Ῥωμαίοις πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Δεκεμβρίων τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνονται. *17. die mensis*, *qui vocatur Dius*, *hoc est apud Romanos 15. Kal. Decemb. capite privantur*. S. Procopii memoria in diem 8. Julii cadit, quo sepulturam B. Martyr esse nactus, apposite videlicet ad ea, quæ tradit Eusebius, dum Δαισίου μηνὸς ὀγδόῃ πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰουλίων *Desii mensis octava die*, *quæ est apud Romanos VII. id. Julii* illum asserit e vivis excessisse. Sic Sanctorum Dionysii, Timolai, Agapii, Apphiani, Theodosiæ, Silvanii, Hadriani, Euboli, aliorumque plurium emortuales dies ab Eusebio traditi cum hodiernis eorum Festis concordant, uti Romanum docet Martyrologium. Quod si germana etiamnum extarent Martyrum Acta, eamque fidem, quam Eusebius Scriptor celeberrimus, mererentur, utique in Martyrologio

logio Sanctorum Natales recte consignatos fere semper legeremus; nam quis ignorat eadem Martyrum Acta seculorum sæpe posteriorum fœtus fide non raro infirma esse, atque iccirco cum Martyrologiis certissimis minime componenda? At vereor ne plus æquo auribus tuis, Marsili Clarissime, molestiam creaverim, quum ea ad te pertulerim documenta, quæ tibi eximiæ eruditionis viro levia videri possunt, aut quod summum est, ignota non erunt. Scilicet ad hoc unum doctissimam in ædibus tuis Academiam instituisti, ut Ecclesiasticæ Historiæ, Sacrorumque Canonum, & rituum secretiora illustrares, illudque opus adeo feliciter sapienterque a te præstitum fuit, ut te Felsina nostra venerari, tota vero literatorum Respublica demirari nequeat satis. Et utinam aliquando nobis liceret publicis typis commendatas intueri præstantissimas istas dissertationes, quibus præcipue per te dirimuntur Ecclesiasticæ controversiæ; tunc enim non tam sibi de lucro suo gauderet Ecclesia, quam tibi de tanta doctrinarum ubertate gratularetur. Et quamdiu quæso eruditorum desideria mora tua patiere torqueri? Modestiæ tuæ consiliis ut tandem renuncies votis poscimus iteratis, & ego interim, ut humanitate, qua soles, hanc dissertationem excipias, te sedulo rogare non desinam.

JOHANNIS FILESACI
THEOLOGI PARISIENSIS

Domini Sancti.

DISSERTATIO XXVI.

DOmini appellatio priscis Romanis odiosa, nec non & Christianis, prioribus Ecclesiæ sæculis: De Romanis nemo in eorum historia versatus illud ignorat. Unus *Tertullianus* supra ceteros testis exstat Apologetici c. 34. *Augustus Imperii formator ne Dominum quidem dici se volebat*. De qua re elegantissime *Philo* Alexandrinus lib. de legatione ad *Cajum:* Pro maledicto & opprobrio istud habet ut auctor est *Tranquill.* in August. c. 53. *Tiberius* Dominum contumeliæ causa a quodam nominatum se professus est. Quæ aut cujusmodi ista contumelia fuerit non explicat *Tranquillus* in *Tiberio*, c. 27. At satis declarat *Sextus Aurelius* victor, in *Caligula*, Dominum dici, atque insigne regni capiti nectere tentaverat. Siquidem regium diadema sibi impositum quid significaret illa Domini vox, satis aperte monstravit. Regium vero nomen & auctoritatem quantum exhorruerint Romani, jam non obscure qui Republica C. Julio Cæsare Dictatore eversa, omnia agnoverunt in unius potestatem cessisse, testati sunt. Domini itaque agnominatio Regem indicavit aliquando Romanis: Christianis vero minime ferenda visa est olim, quod Dominus cognomen Dei esse videretur, ut eodem loco testatur *Tertullianus*, nec non *Lactantius*, lib. 4. Divinar. Institution. c. 3. tum c. 4. *Solus Dominus nuncupandus, qui regit, qui habet vitæ ac necis veram, & perpetuam potestatem*. Forte an profectum istud a *Caligula*, qui Domini sibi usurpato nomine cum statim diadema sumere vellet, admonitus & Principum, & Regum se excessisse fastigium divinam ex eo Majestatem afferere sibi cœpit, *Tranquillus* in *Caligula*, c. 22. *Philo* Alexandrinus lib. de legatione ad *Cajum* & quidem fuse ac copiose. Aut a *Domitiano*, qui cum in Epistolis suorum procuratorum nomine dictatis uteretur formula, *Dominus & Deus noster sic fieri jubet*. Institutum posthac ut ne scripto quidem ac sermone cujusdam appellaretur aliter. *Tranquillus* in *Domitiano*, c. 13. *Victor* in *Domitiano*. *Plusquam superbe utens Patribus, quippe qui se Dominum Deumque dici coegerit, quod confestim ab insequentibus remotum, validius multo posthac deincaps retulere*. A Commodo ductum initium,

tium, ni fallor, cui ludos ſpectanti, & nonnumquam depugnanti a Senatoribus acclamatum *Κύριός εἶ Dominus es*. Ipſe, *Hercules* haberi voluit, tamquam Deus aliquis, Dio Xiphilini in Commodo. In Nummis veteribus Commodianis hæc habetur inſcriptio, *Herculi Romano Aug.* S. C. In Grçcis ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙϹ. Μ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟϹ. ΑΝΤ. ϹΕΒ. ΕΥϹΕΒ. ΡΩΜΑΙΟϹ. ΗΡΑϹΛΗϹ. Ita *Lampridius* in *Commodo*, *ſe ipſum Commodianum vocavit* Commodum *Deum*, & Herculem *appellans*. Idem poſtea; Lues hæc impietatis ceteros ſequentes pene omnes invaſit: nil mirum igitur ſi Chriſtiani Veteres *Domini* vocem non ſecus ac Dei, cum ſæpe copularentur ambæ iſtæ, exhorrerent. Addo quin etiam Ethnicos Deos ſuos appellaſſe *Dominos*, ut poſtea videbimus. Neque vero penitus *Domini* appellationem Chriſtiani olim repudiarunt adhibita *Tertulliani* correctione, loco adducto: *Dicam plane Imperatorem Dominum ſed more communi, ſed quando non cogor ut Dominum Dei vice dicam*. Communi igitur & uſitato, ac vulgari ſignificato Imperatores dicti ſunt *Domini* citra vel aſſentationem vel impietatis notam. Apud *Plinium*, in Epiſtolis ad *Trajanum* moderatiſſimum Imperatorem, paſſim iſtud legere eſt, ita in *Dione Xiphilini* in Avito ſeu in Heliogabalo. *Socrates* id firmat præfatione lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Quamquam ſcrupulum moveat ipſe quod profiteatur ſe in Hiſtoria Imperatores aut diviniſſimos aut *Dominos* minime appellare velle, *Domini* enim vocabulum hac in parte ſupra vulgatam loquendi rationem uſurpari tacite indicat, ac ſi forte Sacrilegam adulationem redoleat. De qua re nos plura diximus in Commentario de Idololatria politica. Regibus poſtmodum *Domini* nomen paſſim attributum legimus, cujus rei exempla occurrunt apud *Caſſiodorum* lib. 9. Variarum, & *Ennodium* Ticinenſ. tum in Conciliis & priſcis hiſtoriæ ſcriptoribus, quæ alio properans prætermitto. Novimus præterea *Domini* appellationem Patribus, aut iis qui loco Patris haberentur, tributam fuiſſe, ut videre eſt apud *Tranquillum* in Auguſta, c. 53. *Martialis* etiam, lib. 1. ad *Soſibianum*,

E ſervo ſcis te genitum, blandeque fateris

Cum dicis Dominum Soſibiane Patrem.

Apud *Lampridium*, *Antoninus* Diadumenus ad Matrem ita ſcribit, *Dominus noſter & Auguſtus nec te amat, nec ipſum ſe, qui inimicos ſuos ſervat*. Opilium Macrinum Imperatorem Patrem ſic indigitat B. Gregorius Nazianzenus, Epiſtola 4. & 17. Matrem ſuam *κυρίαν Dominam* appellat. Tota eſt mollicula & ſuaviſſima Salviani & cet. Epiſtola ad *Hypatium & Quietam* parentes, in qua iſta leguntur, *Vos natura parentes, fide Chriſtiana fratres, honore Dominos habemus*. Paulo poſt. *Quid tantum mali commeruimus, vel affectus dilectiſſimi vel Domini reverentiſſimi ut nobis nec tanquam filiis reddatur gratia, nec tanquam famulis remittatur offenſa*; Iſtud lex indicat D. de verbor. ſignificat. l. 195. §. 2. familiæ: *Paterfamilias vocatur qui in domo dominium habet*; quod non tam ad perſonam quam ad jus referendum eſſe lex docet; hinc iſtud *Lactantii*, lib. 4. Divinar. Inſtitut. c. 3. *Dominum vero eſſe qui ſit Pater etiam Juris civilis ratio demonſtrat*. Quoties illæ voces *Dominus*, *Pater meus*, in legibus Imperatorum occurrunt; Novella Theodoſii, tit. de pretio ſolidi & cet. l. unica, ſeu edicto ad Pop. Urb. Rom. Novell. Valentinian. tit. 8. tit. 13. Novell. Anthemii. tit. 2. *Domini*; duplex iſtud ſignificatum nobilius, qua Regibus, qua Parentibus, adſignant; idcirco paulo longiori oratione expoſuimus, ut non immerito Sanctis apud nos *Domini* appellationem aptatam eſſe intelligamus. Illos enim Sanctitatis commendatione, & appellatione, ac quidem judicio & auctoritate Eccleſiæ Catholicæ, honoratos & cultos, non alia ratione, quam quod aut veluti Reges, aut veluti Parentes agnoſcimus. Iſtud enim nos docet Scriptura: Sic enim Apocalypſ. c. 5. viginti quatuor ſeniores, qui univerſum cœleſtem Hieruſalem, & beatorum ſocietatem repræſentant communi quodam elogio, agno occiſo, Chriſto ſervatori pæana hymnumque victoriæ occinunt: *Feciſti nos Deo noſtro Regum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram*. B. *Hieronymus* in Eſajæ c. 51. in illo verſu. *Attendite ad me populus meus, & tribus mea me audite*. Pro tribu, ut vertit *Hieronymus*, Septuaginta verterunt,

terunt, Βασιλεῖς *Reges*. *Merito*, inquit, Sanctus ille vir, *quia Sancti Reges exsistant*. Hinc illud Psalmi 104. *Nolite tangere Christos meos*, quod generatim ad omnes sanctos vult pertinere; ut & illud Job. c. 36. *Non aufert a Justo oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum & illic eriguntur*. Quod de Sanctis explicat B. *Gregor.* lib. 26. comment. in Job. c. 21. Parentes etiam nostros quis non dixerit? Scitum illud Psal. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*. Quod de Apostolis, Sancti Ecclesiæ tractatores explicant: at nequis Patres posthac Ecclesiæ defuisse suspicetur, etiam ipsi filii, qui in patrum locum successerunt, postea Patres habiti sunt. Ita enim judicare oportet ut cum Apostolus 1. Corint. 4. dixit. *Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*: Illi ipsi ab Apostolo in Christo geniti, similiter & alios per Evangelii annuntiationem in Christo generarunt. B. *August.* lib. 17. de Civitate Dei, c. 16. & in comm. Psal. 44. *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi. Constituti sunt Episcopi, hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum*. Neque vero soli Episcopi quin & Martyres Patres dicendi sunt, cum seu mirandorum operum ad hominum salutem effectione, seu in tormentis & acerbissimis quibusque suppliciis pro fide Christi fortiter tolerandis constantia, innumeros in Christo genuerint homines, quos simili exemplo alios Christo acquisiisse verissime testantur historiæ Ecclesiasticæ. Eodem pacto qui a Mundo feliciſsime & aperto divortio secesserunt, eos non minorem prolem Christianam reliquisse, paucorum videlicet SS. *Antonii*, *Hilarionis*, *Macarii* utriusque apud nos *Martini*, *Benedicti*, & ceterorum exempla satis superque comprobant. Jure igitur optimo qui sanctitatis fama claruissent, apud nostros præsertim Gallos non Sancti, aut Beati solum, sed augustiori vocabulo, *Domini* seu Reges, seu Patres interpreteris, nominati sunt. Concilio Turonensi 1. Præfatione, Episcopi Gallicani ajunt se convenisse ad sacratissimam festivitatem, qua *Domini* Martini receptio celebratur, c. 13. ejusdem Concilii ipsius Decretorum vi & robore, humilitatis nostræ constitutio ut adjuvante Domini Misericordia valeat custodiri, Sancti ac Beatissimi Sacerdotis *Domini* Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit intercessio. Ita Concil. Turonens. 2. c. 19. Pro reverentia, cultu ac virtute *Domini* Martini. Concil. Antissiodorensi, c. 5. omnino & inter supradictas conditiones vigilias, quas in honore *Domini* Martini observant omnimodis prohibere. *Odo* Cluniacensis, lib. de translatione Corporis S. *Martini*, *Dominum* Martinum vocat, præfatione. Is fuit, docet quispiam, Gallorum erga B. *Martinum*, singularis affectus & veneratio. Nec inmerito, cum Sanctissimum hunc Turonensem Episcopum, Apostolis parem, non sine ratione universa prædicavit Gallia de qua re *Odo* ipse Cluniacensis dissertationem instituit, & *Notkerus Balbulus*, in Martyrologio, 5. Idus Junii. *Mirabilem* Martinum *in prophetiæ doctrina & miraculorum ostensione atque angelica frequentatione, etiam post Apostolos primum ac præcipuum* prædicat. Hinc ad ejus tumulum frequentes peregrinationes non secus atque ad limina Apost. *Petri & Pauli* Romæ, quemadmodum testatur Concilium Cabilonense secundum, ca. 44. cap. 45. S. *Paulinus* Epist. 13. commemorat peregrinationes Turonenses ad B. *Martinum*. *Fortunatus* Pictaviensis Episcopus, lib. 3. præfatione, *Dominum* Martinum pronunciat. *Petrus* Venerabilis Cluniacensis, Epistola 4. l. 3. veteris editionis, *Dominum* Martinum enuntiari scribit. Longe ante *Gregorius* Turonensis ea voce utitur historiæ Francor. lib. 5. c. 14. Et depositio *Domini* Martini memoratur lib. 10. historiarum Franc. c. 30. Episcopi Gallicani qui adstant Concilio Cabilonensi 1. in Epistola ad *Theodosium* Episcopum, *Domini* Vincentii voce usi sunt, pro *Sancti*. Concilii Turonens. 2. ca. 23. Episcopi iidem Gallicani, festivitatem Cathedræ *Domini* Petri *Apostoli* dixerunt. Annis aliquot antea, Episcopis Italiæ & ceteris in Synodo Romana, sub *Symmacho*, *Dominus* Petrus enunciatur. Idem factitatum ab Episcopis Hispanis, Tarraconensis Provinciæ, Epistola ad *Hilarium* Papam. Episcopi Gallicani, Concilio Suessionensi apud S. *Medardum*, *Domini* Gregorii librum Episto-

pistolarum ex Registro recitant. *Gregorius* Turonensis, Histor. Francor. lib. 9. c. 41. ex persona Episcoporum Gallicanorum *Dominum* Paulum, pro Sancto, aut Beato dixit. Sic Sancto *Paulino* Gallo Aquitano, Epistola 1. & 12. nec non 13. *Dominus meus* Felix pro Sancto nominatur. *Ennodio* Ticinensi, lib. 8. Epistola 24. *Dominus* Victor, qui alioquin Sanctus habitus est. Idem Epistola 27. ejus libri *Dominum meum Apostolum* quem vocat non alium quam B. *Petrum* intelligit, & persimili locutione, l. 9. Epistola 26. Dominos Apostolos memorat. Syri Christiani non aliter afferunt, *Mar. Phetras*, *Mar. Phaulos*, *Dominus Petrus*, *Dominus* Paulus. Neque vero propterea quispiam existimet, ista *Domini* appellatione aliquantum de Sanctorum vel existimatione, vel veneratione detrahi, imo Sanctitatem cultumque illorum, multo magis hoc pacto augeri existimare licet. Nec enim vel Reges vel parentes hac voce dumtaxat intelligimus, verum etiam divinam quamdam pro statu Beatitudinis suæ conditionem consecutos esse, ex eo vocabulo licet advertere. Dicam cum B. Augustino, lib. 22. de civit. Dei, c. 10. & lib. 2. contra *Faustum* Manichæum, multa nos Christianos cultus & venerationis argumenta erga Deum exhibere, quæ Gentiles falsis suis Diis & Dæmonibus adtribuerunt, quos idcirco reprehendendos censet vir Sanctissimus, non quod ejusmodi pietatis ac religionis officiis uterentur; generatim dico: nec enim cruenta illa aut flagitiosissima atque adeo plane obscœna & pudenda sacra speciatim intelligi velim, sed quod iis illa tribuerent quibus ipsi prorsus indigni erant, & ab eorum conditione penitus aliena. Quod si pervicaces homines tam præfracte nobiscum agere velint, ut nihil omnino quod in sacris suis superstitiose usurparunt Ethnici Christiano uti, id est legitimo accommodari possit, cur igitur Deum vocabimus *Dominum*? Nam de vocibus tantum hoc loco agimus. Apud *Senecam* patrem Suasoria 1. Atheniensis cujusdam M. *Antonium* Triumvirum irridentis vox κύριε ὦ Ζεῦ Domine Juppiter, &c. *Julianus* Augustus in Cesaribus, δεσπότην Δία, *Dominum* Jovem & δεσπότην Ἥλιον *Dominum* Solem nominavit. Sic *Aristides* oratione in *Æsculapium* Ἀσκληπιὸν δεσπότην *Dominum* Æsculapium. Et apud eundem oratione 4. Sacrorum Sermonum δέσποινα Ἀθηνᾶ *Domina* Minerva. Eodem pacto apud *Maximum* Tyrium, dissertatione 38. Persæ Igni Deo sua alimenta, id est ligna, subministrantes inquiunt πῦρ δέσποτα ἔσθιε *Domine* Ignis comede. *Martianus* Capella lib. 2. de nuptiis Philologiæ, loquens de Mercurio, *quin in fanis omnibus soliditate cubica Dominus adoratur*. Poetis istud est familiare. Addo etiam Gentiles, Deos suos honoris ergo, *Sanctos* nuncupasse. *Lucilio*, *Sanctus* Serapis. *Ennio* apud *Varronem* lib. 6. de ling. Latina, *Sancte* Apollo. Eidem *Ennio*, lib. 1. Annalium, *Sancta* Venus. In fragmentis ejusdem *Ennii*, apud Servium, in 1. Aeneidos *Sancte* Jupiter. *Apulejo* lib. 9. Milesiarum, *Sancta* Ceres; Eidem *Apuleio*, lib. 8. Milesiarum, *Sanctus* Sabadius. *Varroni* lib. 4. de ling. lat. & *Arnob.* lib. 5. adversus Gentes, *Sanctus* Hercules. Ita vocitatur a *Phædro*, lib. 5. Fabularum *Æsopi* Fabul. 85.; *Sancta* Mnemosyne. In nummis *Heliogabali*, *Sanctus Deus*. Sol. Apud *Catullum* libro de *Diana*; *Sancta* Diana; *Julianus* Apostata, Epistola ad *Jamblicum* Ἑρμῆ ἅγιε *Sancte* Mercuri. In antiquis Inscriptionibus, Herculi *Sanctissimo* Silvano *Sancto*, *Sanctæ* Sironæ Ista ex innumeris sufficient, quæ si idcirco damnanda censeamus quod a Gentilibus adeo frequenter usurpata legantur, ecquid igitur persimilem Scripturæ veterumque Christianorum loquendi consuetudinem usurpabimus? Quod nemo qui tantillum in rectæ fidei rebus sapiat probabit. Scio nonnullas voces, quæ ad religionem pertineant apud Gentiles usitatas, nulla omnino ratione apud Christianos ferendas esse, cum nec in utriusque & veteris & novi fœderis libris reperiantur, nec unquam apud Christianos veteres, vel ad Patrum usque sæculum, in usu fuerunt. Ejus generis sunt *Divus*, & *Diva*, quæ apud Ethnicos nihil aliud plane significant quam *Deus* & *Dea*. Nolim testes adducere Poetas, quibus pene omnia licent, & qui universim quibuslibet Diis suis voces illas aptare solent. Scriptores ceteri discrimen aliquod adsignare videntur, ut quamvis omnes quotquot sunt Deorum nomine & numero comprehendantur, nihilominus aliis simpliciter *Dii* vocentur, qui majorum sunt gentium, alii minorum

sub-

subselliorum, qui proprie *Divi*. Distinctionem illam tacite subindicat *Tertullianus*, lib. de Anima c. 1. *Plerosque auctores etiam* Deos *existimavit antiquitas nedum* Divos: *Divos* appellans qui in communi hominum cœtu & aspectu vixerunt, quos post mortem tamquam Deos consecravit antiquitas. *Servius* in 12. Æneidos, *Divos dicimus qui ex hominibus fiunt*. Ita *Divos* proprie vocavit Poeta iste lib. 5. Æneidos, Deos marinos, qui hominum superstitione, pro Diis habiti sunt. Sic *Ausonius* in ordine nobilium Urbium, *Divum domus aurea Roma*: antea *Ovidius* lib. 1. Tristium, Elegia 4. *Imperii Roma Deûmque locus*, tacite Imperatores innuens, qui post mortem pro Diis consecrari solebant, quod omnes norunt. At *Martiano* Capellæ, lib. 2. de Nuptiis Philologiæ, & Mercurii, Tripes *Divorum*, id est postremi & levissimi quique Deorum dicuntur. *Isidori* Glossarium, *Divus Imperator* qui post mortem, Dei nomen accepit. Meminit *Ennodius* Ticinensis in Panegyrico ad *Theodoricum* Regem. Apud *Tacitum*, lib. 16. *Diva* Poppæa. In numis veteribus, *Diva* Faustina, &c. *Suetonius* lib. de illustribus Grammaticis, ex *Aurelio* Opilio, *Divas Musas* dixit. Apud *Arnobium*, lib. 5. adversus Gentes, Ocrisiam *Divos inservisse genitali*, lares sunt qui interpretentur. *Caio* non aliter de re rustica, c. 14. & si nonnumquam, omnes quicumque sint, *Divos* vocent pro *Diis*; probi auctores. *Arnobius* ita lib. 7. adversus Gentes, *Esto concedatur felicissimas pecudes non sine aliquo religionis officio Divorum apud templa mactari*. Procul a Christiana & recta scriptione atque locutione *Divi* nomen pro *Sancto*, ignotum nomen istud melioribus Sæculis; Tum licet appellationem *Sancti* & Diis suis nonnumquam, & viris morum sanctimonia clarissimis communem esse voluerunt Gentiles; at *Divi* agnominationem, nonnulli alteri, saltem post mortem, adtribuerunt: nisi cui sacra, sacrificia & Sacerdotes jure optimo adsignare se posse crediderunt, quos in numerum Deorum suorum admissos sibi aut aliis, persuadere voluerunt; quod cuivis apud Augustæ historiæ Scriptores omnes perspicuum esse potest. At quis Christianæ fidei mysteriis vel leviter initiatus non novit, uni Deo sacra & sacrificia deberi, & istud adversus Manichæos urget B. *Augustinus*, lib. 20. contra *Faustum* Manichæum; fanatici enim homines isti Christianos Catholicos Idololatras esse affirmabant, quod Martyres pro Diis haberent. Hanc singularem calumniam non aliter refutat Sanctissimus Episcopus Hipponensis, quam quod Sanctis Apostolis, & Martyribus atque similibus, non Sacrificium offeratur; sed uni ac soli Deo.

JOHANNIS FILESACI
THEOLOGI PARISIENSIS

SS. Imaginum Radiatum Caput

DISSERTATIO XXVII.

Beatos, & qui ævo sempiterno in cœlo fruuntur video apud Apostolum 1. Corinth. 15. cum stellis comparari: *Stella*, inquit, *differt a stella in claritate. Sic & resurrectio mortuorum* Posteriorem hanc partem non attingo videlicet de dispari ut stellarum claritate ita præmio eorum, qui æterna illa donantur beatitate, de qua re sic B. *Augustinus*, lib. de Sancta Virginitate, c. 26. *Quia in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem* Joann. 14. *Ac per hoc in denario quidem non impari non vivet alius alio prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius*. Sed hæc sunt alterius loci. Nunc vero investigandum nobis est quæ sit illa Beatorum cum stelliscollatio, ut quemadmodum stellas non modo non conspicari ac ne intelligere quidem possumus absque illo indito splendore;

ita nec Sanctos sine ulla beatitudinis luce, qua semel collustrati, nulla omnino ratione carere possunt. Statum illum beatificum, ut vocant nostri Theologi, sive splendentem illam beatitatis lucem, nos in Sanctorum ipsorum imaginibus sive pictis, sive sculptis aut fictis non aliter exprimimus quam circulis quibusdam radiatis, eorum capitibus appositis aut depictis. Sabiniani somnient quidquid volunt. Novatores quod a Gentilibus in suorum Deorum simulacris factitatum, illud idem nos Christianos Catholicos in SS. Imaginibus præstare dictitant. Certum est Ethnicos capitibus statuarum suorum Deorum umbellas (μηνίσκοι vocantur Aristophani in Avibus) imponere solitos, ne ab avibus conspurcarentur. Arnobius, lib. 6. adversus Gentes loquens de simulacris Deorum Gentilium: *Non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos jacularier stercoris plenas, & modo ipsos vultus, modo Numinum ora depingere, barbam, oculos, nasos, aliasque omnes partes in quascunque se detulerit deonerati proluvies podicis.* Eo spectat illud *Lactantii*, lib. 2. Divinar. Institution. c. 4. *Aves simulacris fabrefactis, idest hominum plane similibus, insident, nidificant, inquinant.* Damnant idcirco pictores, qui Imaginibus pictis istas adponunt umbellas, honoris causa. Neutrum recte fieri censent, tum quia fictis sculptis, fusisque simulacris istud tantummodo congruat; si modo congruat, nec enim in tabulis depictæ Imagines avium spurcitias illas reformidant, tum quod honoris ergo istud excogitarunt pictores, cum non alio fine excogitatum hoc fuerit a priscis illis superstitiosis hominibus, quam ne ab avibus circumvolantibus simulacra inquinarentur. Qui parem Gentilium ac Christianorum Catholicorum, ea in re mentem existiment, aut Catholici dogmatis & de Sacrarum Imaginum cultu doctrinæ Catholicæ plane ignarus & imperitus, aut si sciens fallat insigniter impudens, & improbus habendus est. Nos Christiani Catholici, honoris gratia, quibusvis capitibus quarumcumque Imaginum sacrarum, umbellas appingimus. Quid vero sint umbellæ illæ primum disquiramus; has nihil aliud esse quam circulum radiatum, sive ut in pictura deprehenditur, lucis cujusdam caput Sancti depicti obnubentis, in circuli formam, extensionem & expansionem. Istud autem honorificum esse, non ad avium injuriam propulsandam repertum, vel ipsos Gentiles testes habeo, qui divinitatis alicujus indicium, & argumentum esse volebant. Coronam ejusmodi radiatam hanc *Nimbum* appellabant. Servius in lib. 3. Æneidos ad hunc versum,

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Proprie, inquit, *nimbus est qui Deorum vel Imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur.* Et libro secundo itidem *nimbum* quo Pallas effulgere dicitur, *nubem divinam* interpretatur, quæ non aliud sit *quam fulgidum lumen quod Deorum capita cingit.* Eodem lib. paulo post Theologicam priscorum Gentilium rationem esse dicit, quæ asserat *flammarum, quos cernimus, tractus, nimbum esse descendentis Numinis.* Si quis paulo pertinacius hæc in illorum Deorum fictis apparitionibus demonstrari tantummodo dicat. Illud enim in nonnullis Imperatoribus, & Regibus sibi nescio quam divinitatis existimationem apud subditos arrogantibus, nobis scriptores nonnulli prodiderunt. *Plinius* Junior Panegyrico ad *Trajanum* Imperatorem ubi de illius facilitate, comitate & liberalitate erga Populum Romanum disseruit, subjungit ista, *horum unum si præstitisset alius* (*Domitianum* tacite perstringit) *illi jamdudum radiatum Caput, & media inter Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque aris & grandioribus victimis invocaretur.* Apotheosim Imperatorum, atque eorum inter Deos adnumerationem innuit, sed vivos etiam ementitam illam divinitatis speciem æmulatos fuisse nunc ostendemus; ubi quid sit *Radiatum Caput* paucis exposuerimus. Coronam circa caput alicujus multiplicibus ac variis veluti radiis constantem, intelligi perspicuum est. *Lucretius* lib. 5. *Radiatum insigne Diei* dixit pro Sole quem radiis in orbem protensis insignem videmus: *Ausonius*, in Ternario, *Ales cinnamæo radiatus tempora nido.* De Phœnice ave loquitur, cujus pennatum capitis fulgorem indicat. Et persimili locutione *Martialis*, epigrammate 2. Amphithea-

theatri *Sydereum Colossum*, id est radiatum & Syderis modo radios spargentem dixit. *Lampridium Antonium* Diadumenum Imperatorem renunciatum, Imperatorie vestitum ita describit: *Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea ceteraque castrensia Imperii insignia accepit quasi sidereus cælestis emicuit*. Putidam illam & impiam Divinitatis nescio cujus imitationem in nonnullis Imperatoribus dispiciamus. *Commodus* Imperator, qui *Hercules* novus quidam Deus videri voluit apud *Lampridium*, in *Commodo, Capillo fuit semper fucato & auri ramentis illuminato*. Julius Capitolinus, in Vero, *auri ramenta* dixit. *Dicitur sane*, inquit, *tantam habuisse curam flaventium capillorum, ut capiti auri ramenta respargeret, quo magis coma illuminata flavesceret*. Hinc non absimile istud *Martiani* Capellæ, lib. 1. de nuptiis Philologiæ. Juno *expurgatioris auri spledente vena, addiderat crinibus sociale vinculum*. Luxus cujuslibet omniumque deliciarum avidissimus & appetentissimus Verus, illud anxie propterea requirebat, ut longe venustior appareret, nec enim alioquin de Divinitate homo, supra *Mecenatem* perditissimæ luxuriæ cogitabat. Certe Persarum reges non alia mente bracteis aureis aureum colorem barbæ conciliabant, quemadmodum prodit B. *Chrysostomus*, homil. 7. in Epistolam ad Colossenses, nisi quod augustiorem quandam & veluti diviniorem formam præ se ferre videri volebant, quia auratam, fulgidam, ac flammis coruscantibus rutilantem barbam, ut *auro tinctam cæsariem Solis, comasque bracteatas dixit* Martianus Capella, lib. 1. *Commodum* vero, hoc fuco, velut divinum aliquod Numen sese ostentasse istud aliunde etiam firmari potest. Exstat num ejusdem *Commodi*, eo vivo cusus, & quidem non multo postquam Imperium iniit, in quo Caput ipsius *Commodi* cum corona radiata expressum est. Multi alii similes conspiciuntur, & diversis ejusdem *Commodi* Consulatibus. Ejusdem generis est numus *Domitiani* duodecimo ipsius consulatu cusus, in quo Domitiani effigies coronam radiatam gestans visitur. Alius exstat inscriptione Græca cum Capite *Domitiani* radiato, quod ad locum a nobis ex *Plinio* Juniore supra allatum mirifice facit. Similis est *Caracallæ* numus quarto ejus consulatu cum corona radiata, qua Cinctum *Caracallæ* caput, & nonnumquam ipsum caput radiatum. Exstant & alii huic similes, sed diversis temporibus cusi, tum Latinis, cum Græcis inscriptionibus. Scio numos non paucos Capita laureata & coronas laureas referre, sed quid inter hæc & illa discriminis facile est dignoscere. Julius Firmicus lib. de errore profanarum religionum, utrumque innuere videtur, his verbis: *Qui sic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpura, cujus caput aut auro aut lauro premitur*. *Decii* Imperatoris Christianorum hostis atrocissimi numus visitur, cum corona radiata. Nescio an æmulatione præcessoris sui *Philippi* Imperatoris, cujus etiam Christiani, habetur numus cum radiata Corona. *Valeriani* Imperatoris, qui fœdissimam & nomini Romano maxime ignominiosam apud Persas servitutem serviit, numus conspicitur, cum ipsius Capite radiato. Exstat etiam *Valerii Maximiani* numus cum Capite radiato. Constantino Magno, sed ante susceptum Imperium, fidemque Christi susceptam, dum adhuc nobilis *Cæsar* esset, adtribuitur numus, in quo corona radiata cinctum Caput cernitur, ac quod multo magis mirandum, *Constantinus* Magnus Imperator, licet Christianissimus & Græcula assentatione Apostolis Christi Domini par, sibi Bizantii, seu in illius novæ Romæ foro medio statuam sui ipsius prægrandem posuit Capite radiato. Ἐχοντα ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ ἀκτῖνα quemadmodum prodit Chronicon Alexandrinum. Veruntamen *Zonaras* tomo 3. Apollinis statuam fuisse dicit, ex Ilio advectam Bizantium sive Constantinopolim, cui Imperator nomen suum indiderit clavis quibusdam illius Capiti insertis, quibus Christi Servatoris Corpus cruci affixum fuerat. Itaque nil mirandum si caput istud radiatum fuerit, cum Apollinem sive solem repræsentaret. *Martianus* Capella lib. 1. *Solis augustum caput, radiis perfusum, circumactamque flammantibus velut auratam Cæsariem rutili verticis imitatur*. Idem habet *Philo* Alexandrinus libro de legatione ad *Caium*. *Cedronus* in *Constantino*, non meminit Apollinis, sed *Constantini*, imaginem illam Solis instar splendentem memorat. Quin si quis ad quotidianum & usitatum *Constantini* habitum referre malit, per-

tinaciter non reluctabor. De eo sic *Aurelius* Victor, in Epitome habitum *Regium gemmis & caput exornans* (Constantinus) *perpetuo diademate*, forsan radiato. Nec me latet Solis caput radiatum, & radiis quidem in modum spiculorum acuminatis in nonnullis numis cerni, neque vero propterea quodvis caput radiatum, in illis veteribus numis, Solis imaginem referre dicendum est. Utcumque res se habeat, nemini cui cor tantisper læva in parte mammillæ saliat, dubium esse potest, radiati capitis sive corona radiata exornari effigiem, quandam esse Divinitatis notam & characterem, vel saltem hunc, cui ejuscemodi symbolum tribuitur, cæterorum mortalium conditionem longo post se intervallo relinquere atque adeo superare. Cujus rei præclarum exstat de Augusto Cæsare exemplum, apud *Tranquillum*, cap. 94. Octavius Octavii *Augusti pater videre visus est Filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro exuviisque Jovis Optimi Maximi ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus*. Sed si quis somnium rideat, quamquam non plane oneirocritica repudiaverim, attamen quod ipsi *Octavio*, etiam clara luce contigerit, & quod ad institutum faciat, temporum horum vicinus describit *Vellejus* Paterculus, lib. 2. *cui* (Octavio) *adventanti Romam, immanis amicorum accurrit frequentia, & cum intraret urbem, Solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut Coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus* est. Frustra ego numos veteres commemorem, qui postquam Imperatores, Gentilium more, inter Deos sunt relati, percussi sunt, nam radiata illorum capita expressa esse nemo ambigit. Unum proferam *Volusii* Imperatoris numum in quo non modo radiatum caput sed addita inscriptio, *Divo* Volusiano, altera parte, *Consecratio*. Satis perspicue ni fallor, hactenus expositum est a nobis, quid sit *radiatum caput*, sive corona radiata, ut dum Sanctorum Imagines, cujusvis generis hoc ornamento illustratas cernimus, non pictorum inscitia, non ad cavendas avium prætervolantium sorias, sed honorificentiæ gratia istud effectum esse intelligamus. Jam veteris ipsius Ecclesiæ temporibus, sacras Imagines non sine splendoris alicujus specie depictas fuisse mihi facile persuadeo ex iis *Isidori* Hispalensis verbis, lib. 19. Originum, c. 31. *Lumen quod circa Angelorum capita pingitur nimbus vocatur*. Quod si apud priscos Christianos Angeli inter ceteros Sanctissimi in Ecclesia habiti sunt etiam *Constantini* Magni temporibus, picti, ficti, fusi, sculptique fuerint, hos non minori cultu atque veneratione quam Angelos ipsos habitos fuisse, nemo qui Ecclesiasticam historiam, vel obiter legerit, dubitabit, sacra Scriptura teste, *sint sicut Angeli Dei*. Eam ob rem nonnisi adhibita capitibus eorum radiata corona, vel picti sunt vel effermati. Jure igitur optimo cum Stellis Sancti comparantur, cum etiam Gentiles olim cum aliquos apotheosim consecutos, & inter Deos relatos esse significare vellent, in eorum numis stellas pingebant. *Domitia* Longina *Domitiano* Imperatori masculum peperit, qui infans Cæsar mortuus est & in Deorum numerum relatus auctor *Tranquillus* in *Domitiano*. Numus Cæsarionis istius expressam habet imaginem insidentem globo inter stellas, qui apertissimus est Divinitatis typus: inscriptio est; *Divus* Cæsar *Imp.* Domitiani *F.* nec abludit numus *Commodi* Imperatoris, ridiculi istius Dei Herculis Romani, quo expressa stella supra montes quasi jam adeptam Divinitatem indicabat. Quanto & congruentius, & verius, de Sanctis istud Danielis, c. 12. pronunciabimus, *qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt*. Hunc felicissimum illorum statum non aptius nostri in illorum imaginibus pingendis, repræsentare queunt, quam dum illorum capitibus lucem quamdam affusam & velut splendentem Coronam, instar stellæ aut syderis alicujus, radios spargentem exprimunt. Qui istud non prebet, aut Apostolos Domini, tot etiam Martyres, tot Confessores ceterosque omnes vitæ sanctitate clarissimos, beatitudinis luce inaccessibili omnino privatos dixerit, aut beatitatem sempiternam illis invideat necessum est, quorum utrumque nonnisi singulari impietatis flagitio pronunciari potest. Hos ergo hæredes Dei, cohæredes autem Christi, cujus caput *radiante auro conspicuum* ait Tertullianus, l. de Idololatria, idcirco hujus Capitis germana

mem-

membra eo lubentius profitemur, cum eorum Imagines depictas, luce, splendoreque circumspicuas repræsentamus aut fusis, sculptis fictisque circulum Radiatum, Divinitatis participatæ (ut cum nostris Theologis loquar) indicem notamque adponimus.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De votis votivisque Christianorum oblationibus in Sanctorum venerationem factis.

AD CLARIS. VIRUM

P. GUILLELMUM BONJOUR

ORD. EREMITARUM S. AUGUSTINI.

DISSERTATIO XXVIII.

Oblationes quas alicui Sancto voti cultusque causa Catholicus populus dicat irridebat olim Erasmus vir multa eruditione petulans, & de Religione (si quam tamen tenebat) parum bene sentiens. In Colloquio, quod *Naufragium* inscribitur hunc pium Ecclesiæ morem carpere instituit apud subsequutos hæreticos non parum gratiæ icirco nactus. Verum tantam maledicendi libidinem allatis veterum Patrum testimoniis, ac uno potissimum Paulini mei oraculi fretus, neque brevitatis, neque modestiæ oblitus retundere statui, ut tum calumnia, quam Novatoribus hodiernis placere video, uno ictu confodiatur, tum etiam ut Sanctorum cultus veterum Patrum auctoritate fortius confirmetur. Tibi vero Clarissime Bonjour brevem hanc disquisitionem offerendam censui, ut apud Literariæ Reipub. cultores perspicuum fiat, quanto studio, quantaque animi observantia eruditionem prosequar tuam. Ubi enim prodiit tua illa Dissertatio, quam de Josephi castissimi viri cultu sub Serapidis nomine instituisti, & cui Paulinum quoque Nolanum subscripsisse intelliges, adeo in magnam tui admirationem fui raptus ut prope eruditionis prodigium mihi videreris. Et plane quid a te sperandum non est, quum ad maturiores annos perveneris, si florentissima ætate adeo Philologicis doctrinis imbutum te prodidisti? Parum tamen hoc tibi laudis fuisset, ni scientiam tuam modestia etiam ac humanitate clariorem effecisses. Et illa quidem nunc est, quæ me laudibus tuis parcere cogit, hæc vero, quæ meis hisce commentationibus animum fiduciamque ad te accedendi fecit. Sed jam proposita impleamus. Variæ antiquitus fieri solebant oblationes; Aliæ enim panis erant, ac vini, quæ in usum incruenti Sacrificii transferebantur, & de illis Concilium Matisconense secundum Cap. 4. ait: *Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini*. Cyprianus quoque lib. de opere & eleem.; Augustinus, seu alius Auctor Serm. 215. de Temp., Eligius Noviom. Tract. de Rectitud. Cathol. convers. tom. 1. Augustin. 1. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 23. aliique non pauci meminere. Aliæ erant oblationes olei aut ceræ ad luminaria, de quibus præter laudatum Auctorem Serm. 215. de temp. loquitur Canon 4. Apostolorum in hæc verba Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. *Offerre autem non liceat aliud ad altare quam oleum ad luminare & incensum tempore sacræ oblationis.* Aliæ sacrorum vasorum, vestium, ac ornamentorum fuere oblationes, quas Græci ἀναθήματα vocant, & de quibus omnium uberrime Anastasius Biblioth., Coccius tom. 2. lib. 6. art. 15. & Raynaldus Heterocl. Spirit. sec. 2. puncto 3. verba faciunt. Aliud postremo oblationum genus

non

non docet Paulinus, quæ Sanctis ex voto, aut veneratione offerebantur. Hæ autem ex rebus quibuscumque constabant ut omnium pietati se accommodaret Sancta Religio. Divites opulenta dona, pauperes quod sibi, pusillum licet, suppetebat, Beatorum in obsequium conferebant. Neque hæc donaria voto carebant; ut enim quisque Sanctorum opem ad effugienda pericula implorabat, voto etiam sese obstringere Sancto patrocinanti solebat. Hujusmodi votorum (quæ tamen minus proprie sic appellantur) quam sit rectus usus, Theologis nostris ostendendum relinquo, non enim tantam messem mihi proposui. Factum igitur, non jus hoc loco quærimus, & confestim hujusce rei luculentus assertor Paulinus accedit in Nat. XII. ita loquens:

Venerat huc quidam placitum sibi solvere votum
Verbis Abellinæ de finibus advena nostris
Sedibus. Hic porcum studio curante paratum
Dilatumque diu, ut simul annis, atque sagina
Cresceret, huc illuc perduxerat, atque ubi venit
Pingue pecus voti jugulat de more voventum.

Ecce quam apertis verbis antiquum eorum morem, qui Sanctis vota nuncupabant, hinc indicat Scriptor noster. Repetit infra:

Et votum complesse putat - - - -
Item: *In quibus heu demens oblati munera voti*
Fraude fidem violans converti in damna salutis.
Et alibi: - - - - *Confestim voti ratione soluta*
Debitor ille intus meritæ compage catenæ
Solvitur - - - - - - - - -

Primum illud est S. Felicis miraculum qui Abellinum incolam pro fraudata voti parte castigavit. Aliud a Paulino propria ejus facundia, ornamentoque verborum refertur, ubi iterum votivarum oblationum in S. Felicis cultum egregiam injicit mentionem. Audiamus canentem

Agricolæ quidam de nostris longius oris
Apula trans urbem Veneventum rura colentes
De grege setigero multis a fœtibus unum
Excerpsere sibi, & curatum tempore multo
Taverunt in vota suem, & cœpere paratum
Ducere sancitam Sancti Felicis ad aulam.
Subdit: - - - - *Mens anxia nutat in anceps,*
Nam voti revocare viam pia pectora nolunt,
Rursus Felicis veneratum limina longe
Ire pudet vacuos devoti muneris.

Steterat sus pondere saginæ pressus, ac propterea iidem agricolæ sues alios minores legerunt, ut votum omnino persolverent. Ait hinc Paulinus:

Quod devota fides obstricti debita voti
Maturare parans tali ratione putavit,
Pluribus ut modicis unum pensaret opimum
Ergo sacrum huc venere locum, votisque patratis, &c.

Tertium Paulinus memorat prodigium hisce carminibus:

Nam genere abjunctam pecus armentale juvencam
Quidam homines æque longinqua huc sede profecti
Secretam primo lactantis ab ubere matris
Nutriebant nostris votivo munere pastum
Pauperibus - - - - - - -

Sed & in Nat. VII. hæc ait:

Omni namque die testes sumus, undique crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota
Aut ægros varias petere, & sentire medelas.

Et

Et hæc quidem erga Sanctorum vota oblationibus etiam additis conspicua erant. Omnes autem in pauperum alimenta cedebant, nempe *ut saturo gauderet paupere Martyr*, quod nos hisce tribus exemplis Poeta sacer edocuit, qui etiam dilucide addit vota hæc Martyribus nuncupata. Audiamus.

- - - - Sed qui mos esse videtur
Persolvenda piis longe sua vota ferentum
Martyribus - - -

Alia præter hæc vota Sanctis voveri consuevere, quæ hujus modi oblationibus carebant. Quidam se Beatorum Basilicas visitaturos, alii se Festos eorum dies celebraturos vovebant, quorum votorum exempla nobis idem Paulinus præbebit. Morabatur ille in Hispaniis, quum Natalem primum cecinit, voveratque suum ad Nolanam Urbem iter invisendi S. Felicis causa. Itaque ait

- - - - - - Et qua requiestis in aula
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus.

In Natali vero II. illud idem scribit quum se Nolæ reddidisset:

- - - - - - tria tempore longo
Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis.
Coram vota tibi, coram mea corda dicavi.

In Nat. IV. hæc habet: *Annua vota mihi remeant*. In Nat. V. itidem:

Exoptata dies anno, quæ dulcia Festa
Et mea vota novas, &c.

Quod si quis *vota* his versibus memorata pro puris putis precibus intelligenda esse contendat, dicat rogo, num preces ad S. Felicem ejus tantum Natali die funderet Paulinus? Hoc utique non affirmabit; ait enim Paulinus Nat. IX.

- - - - - - Nam quæ rogo votis
Cassa dies oritur, vel magnis rara catervis?

Igitur vota eo die novata erant carmina, quæ S. Felici quotannis voverat noster vates; Hoc autem expressum reliquit ipse Nat. VI.

Lex mihi jure pio posita hunc celebrare quotannis
Eloquio famulare diem, solemne reposcit
Munus ab ore meo Felicem dicere versu
Lætitiamque meam modulari carmine voto.

En carmen votum, en S. Felici promissum debitumque munus. Vide autem quam bene hæc vota idem Paulinus a votivis oblationibus supra relatis distinguat. Sic loquitur Nat. laudato:

Flensque iterum, sed lætitia, modo debita Sancto
Vota refert, non ære gravi, nec munere surdo,
Munere sed vivo linguæ, mentisque profusus.

Paulino, qui hucusque rem confecit, juvat alios apponere propositi nostri testes, ut in lucem melius veritas efferatur. D. S. Felice Nolano Epigramma etiam elaboravit S. Damasus Papa, cujus postremi versus ita se habent:

Te duce servatus mortis quod vincula rupi
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Prudentius in Hymno de SS. Hemeterio, & Chelidonio similia profert

Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.

Hic ni fallor, cum vota pura, tum oblationes memorari videmus. Gregorius vero Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. 37. *Domino,*

mino, ait, *gratias agentes*, *& vota B. Confessori* (Martino) *promittentes læti nunciaverunt Regi &c.* S. Augustinus lib. 2. contra Faustum eumdem Hæreticum hæc nobis objicientem inducit: *Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis*. Egregium autem est in hanc rem Eusebii Cæsariensis testimonium. Postquam hic lib. 13. Præpar. Evang. cap. 7. a nobis coli Sanctos affirmavit ut veræ pietatis milites, denique amicos, addit: Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι. καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι. *Unde tumulos eorum frequentare, & circum eosdem vota illis nuncupare solemus*. Verum quia vocabulum τὰς εὐχὰς pro *precibus* positum quibusdam videri posset, sine quæso me verbi hujus rationem explicare, ut palam fiat apud Græcos Patres proprie, εὐχὴ pro *voto*, προσευχὴ vero pro *oratione*, aut *prece* usurpari. Henricus Stephanus in Thes. Græcæ linguæ id pluribus exemplis probat, & ego duobus clarissimis roborabo testimoniis. Gregorius Nyss. Orat. 2. de Orat. Domin. ad illud Matthæi 6. *Cum oratis &c.* inquit: *Non dixit*, ὅταν εὔχησθε, *idest cum vota facitis, sed* ὅταν προσεύχησθε, *idest cum oratis &c. Sed quænam est horum nominum differentia? εὐχὴ, idest votum quidem promissio est alicujus rei, quæ pietatis nomine dicetur*, & sacris destinetur; προσευχὴ *autem idest oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur &c.* tum subdit. *Multis in locis Scripturæ ejusmodi τῆς εὐχῆς, idest voti significationem videre licet &c.* Non minus aperte loquitur S. Augustinus in Epist. 59. ad Paulinum nostrum scripta, ubi hæc habet: *Nam eam, quam dicunt* εὐχὴ, *raro ita Scriptura ponit, ut intelligatur oratio, sed plerumque & multo usitatius votum appellat* εὐχὴν; προσευχὴ *vero semper orationem vocat*. Et infra: Porro si usitatius, ut dixi, in Scripturis votum appellatur εὐχὴν excepto nomine generali orationis ea proprie intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, idest προσευχὴ. *Voventur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maxime Sancti Altaris oblatio &c.* Sed redeamus ad nostra, iterumque vota Sanctis nuncupata prodamus. Concilium Namnetense Can. 20. ita fatur: *Omnibus interdicatur ut nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro sanitate sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo.* Ego plane assentiri non possum clarissimo Du Fresnio, qui in Gloss. med. & inf. Latin. hic *votorum* nomine dies Paganorum Festos significari censet. Candelæ enim, aliaque munera pro recuperanda valetudine æterno Numini oblata, quæ hic memorantur, satis docent *vota* hujusmodi pro *tabellis votivis* esse intelligenda. Scilicet antiquis non minus quam nostris temporibus has Deo, Beatisque viris suspendere tabellas in usu fuit. Audi præclarissimum hac de re testimonium Theodoreti Cyrensis Episcopi, qui ut optime nosti, medio fere seculo quinto scribebat. Hæc autem ejus verba sunt in Serm. 8. de Martyribus ad Grecos: ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα, καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. Quæ ita vertit Zenobius Acciaiolus. *Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta*. Plura addit laudatus Theodoritus, quæ brevitatis ergo nunc sileo. Sed & videre est illustrem hujusmodi votorum memoriam apud Paulinum in Natali III. inter illos versus, quos ex Codice nostro vetustissimo præteritæ nunc restituimus, aut addimus editioni. Sunt autem hi.

Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes
Vota dicant sacris rata postibus omnia gaudent. &c.

Hic profecto votivæ memorantur tabellæ, quæ sacris suspendebantur Basilicarum postibus, *dicare* enim *vota* idem est ac *suspendere vota*. Vota autem appellabantur *rata*, hoc est *exaudita* ad instar Ovidiani versus lib. 1. Fast.

Efficiatque ratas utraque Diva preces.

In memoriam igitur munerum a S. Felice rece-

receptorum atque ad testandum exauditi voti pignus tabulæ ad sacras templorum fores deferebantur. Ad hæc utique si respexisset Erasinus, fortasse dicacitati pepercissent, neque votivarum erga Sanctos oblationum, aut tabellarum usum hactenus Catholica ab Ecclesia probatum tam mordacibus sarcasmis invasisset. Ceterum si mos hujusmodi nuperis Novatoribus non bene accomodatur, litem etiam vetustissimis Patribus ii intentet oportet, a quibus cum sanctitate vincantur, & eruditione, ita & pietatis rationibus facile superebuntur. Vale.

P. FRANCISCI XAVERII ZECH
E SOCIETATE JESU

De Calendario Ecclesiastico.

DISSERTATIO XXIX.

I. DIvino Officio publice aut privatim recitando aut psallendo a primordiis Religionis Christianæ, Ecclesiæ fuerunt destinatæ. Cum autem ordo Divini Officii ad Calendarii Ecclesiastici normam conformandus sit; necesse est brevem doctrinam de hoc ipso Calendario præmittere, cum Sacri Canones [1] exigant a Clericis Computi Ecclesiastici & ordinandorum Festorum notitiam. Omissis igitur omnibus, quæ Philosophici aut Mathematici fori sunt, ea solum afferemus, quæ ad usus Ecclesiasticos, & ordinanda Festa scitu necessaria videbuntur [2]. Ut omnia facilius comprehendantur, mox ipsas Calendarii tabulas oculis subjicimus.

C A-

1 C. 5. dist. 38. Conc. TRIDENT. sess. 23. c. 18. de Reform.

2 De veteri Calendario Romano agit JACOBUS CHRISTMANNUS, THOMAS DEMPSTERUS, LAMBECIUS, aliique, quos GRÆVIUS inserit Tomo VIII. Antiquit. Rom. de Calendario Romano-Ecclesiastico exacta notitia hauriri poterit ex PETAVIO de Doctrina temporum: & CHRISTOPH. CLAVIO Romani Calend. explicat. Eandem materiam fuse tractant recentiores quidam Philosophi, EDMUNDUS PURCHOT Instit. Philos. tom. 3. Sect. 2. c. 9. P. JOS. MANGOLD Philosoph. tom. 3. Dissert. 5. sect. 4.

CALENDARIUM ECCLESIASTICUM.

JANUARIUS.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
*	A	Kal.	1
xxix	b	iv	2
xxviii	c	iii	3
xxvii	d	Prid.	4
xxvi	e	Non.	5
25. xxv.	f	viii	6
xxiv	g	vii	7
xxiii	A	vi	8
xxii	b	v	9
xxi	c	iv	10
xx	d	iii	11
xix	e	Prid.	12
xviii	f	Idib.	13
xvii	g	xix	14
xvi	A	xviii	15
xv	b	xvii	16
xiv	c	xvi	17
xiii	d	xv	18
xii	e	xiv	19
xi	f	xiii	20
x	g	xii	21
ix	A	xi	22
viii	b	x	23
vii	c	ix	24
vi	d	viii	25
v	e	vii	26
iv	f	vi	27
iii	g	v	28
ii	A	iiii	29
i	b	iii	30
*	c	Prid.	31

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxix	d	Kal.	1
xxviii	e	iv	2
xxvii	f	iii	3
25. xxvi	g	Prid.	4
xxv. xxiv	A	Non.	5
xxiii	b	viii	6
xxii	c	vii	7
xxi	d	vi	8
xx	e	v	9
xix	f	iv	10
xviii	g	iii	11
xvii	A	Prid.	12
xvi	b	Idib.	13
xv	c	xvi	14
xiv	d	xv	15
xiii	e	xiv	16
xii	f	xiii	17
xi	g	xii	18
x	A	xi	19
ix	b	x	20
viii	c	ix	21
vii	d	viii	22
vi	e	vii	23
v	f	vi	24
iv	g	v	25
iii	A	iv	26
ii	b	iii	27
i	c	Prid.	28

MAR-

MARTIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
*	d	Kal.	1
xxix	e	vi	2
xxviii	f	v	3
xxvii	g	iv	4
xxvi	A	iii	5
25. xxv.	b	Prid.	6
xxiv	c	Non.	7
xxiii	d	viii	8
xxii	e	vii	9
xxi	f	vi	10
xx	g	v	11
xix	A	iv	12
xviii	b	iii	13
xvii	c	Prid.	14
xvi	d	Idib.	15
xv	e	xvii	16
xiv	f	xvi	17
xiii	g	xv	18
xii	A	xiv	19
xi	b	xiii	20
x	c	xii	21
ÆQUINOCTIUM VERNALE.			
ix	d	xi	22
viii	e	x	23
vii	f	ix	24
vi	g	viii	25
v	A	vii	26
iv	b	vi	27
iii	c	v	28
ii	d	iv	29
i	e	iii	30
	f	Prid.	31

APRILIS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxix	g	Kal.	1
xxviii	A	iv	2
xxvii	b	iii	3
25. xxvi	c	Prid.	4
xxv. xxiv	d	Non.	5
xxiii	e	viii	6
xxii	f	vii	7
xxi	g	vi	8
xx	A	v	9
xix	b	iv	10
xviii	c	iii	11
xvii	d	Prid.	12
xvi	e	Idib.	13
xv	f	xviii	14
xiv	g	xvii	15
xiii	A	xvi	16
xii	b	xv	17
xi	c	xiv	18
x	d	xiii	19
ix	e	xii	20
viii	f	xi	21
vii	g	x	22
vi	A	ix	23
v	b	viii	24
iv	c	vii	25
iii	d	vi	26
ii	e	v	27
i	f	iv	28
*	g	iii	29
xxix	A	Prid.	30

MAJUS.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxviii	b	Kal.	1
xxvii	c	vi	2
xxvi	d	v	3
25. xxv	e	iv	4
xxiv	f	iii	5
xxiii	g	Prid.	6
xxii	A	Non.	7
xxi	b	viii	8
xx	c	vii	9
xix	d	vi	10
xviii	e	v	11
xvii	f	iv	12
xvi	g	iii	13
xv	A	Prid.	14
xiv	b	Idib.	15
xiii	c	xvii	16
xii	d	xvi	17
xi	e	xv	18
x	f	xiv	19
ix	g	xiii	20
viii	A	xii	21
vii	b	xi	22
vi	c	x	23
v	d	ix	24
iv	e	viii	25
iii	f	vii	26
ii	g	vi	27
i	A	v	28
*	b	iv	29
xxix	c	iii	30
xxviii	d	Prid.	31

JUNIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxvii	e	Kal.	1
25. xxvi	f	iv	2
xxv. xxiv	g	iii	3
xxiii	A	Prid.	4
xxii	b	Non.	5
xxi	c	viii	6
xx	d	vii	7
xix	e	vi	8
xviii	f	v	9
xvii	g	iv	10
xvi	A	iii	11
xv	b	Prid.	12
xiv	c	Idib.	13
xiii	d	xviii	14
xii	e	xvii	15
xi	f	xvi	16
x	g	xv	17
ix	A	xiv	18
viii	b	xiii	19
vii	c	xii	20
SOLSTITIUM ÆSTIVUM.			
vi	d	xi	21
v	e	x	22
iv	f	ix	23
iii	g	viii	24
ii	A	vii	25
i	b	vi	26
*	c	v	27
xxix	d	iv	28
xxviii	e	iii	29
xxvii		Prid.	30

JULIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxvi	g	Kal.	1
25. xxv.	A	vi	2
xxiv	b	v	3
xxiii	c	iv	4
xxii	d	iii	5
xxi	e	Prid.	6
xx	f	Non.	7
xix	g	viii	8
xviii	A	vii	9
xvii	b	vi	10
xvi	c	v	11
xv	d	iv	12
xiv	e	iii	13
xiii	f	Prid.	14
xii	g	Idib.	15
xi	A	xvii	16
x	b	xvi	17
ix	c	xv	18
viii	d	xiv	19
vii	e	xiii	20
vi	f	xii	21
v	g	xi	22
iv	A	x	23
iii	b	ix	24
ii	c	viii	25
i	d	vii	26
*	e	vi	27
xxix	f	v	28
xxviii	g	iv	29
xxvii	A	iii	30
25. xxvi	b	Prid.	31

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxv. xxiv	c	Kal.	1
xxiii	d	iv	2
xxii	e	iii	3
xxi	f	Prid.	4
xx	g	Non.	5
xix	A	viii	6
xviii	b	vii	7
xvii	c	vi	8
xvi	d	v	9
xv	e	iv	10
xiv	f	iii	11
xiii	g	Prid.	12
xii	A	Idib.	13
xi	b	xix	14
x	c	xviii	15
ix	d	xvii	16
viii	e	xvi	17
vii	f	xv	18
vi	g	xiv	19
v	A	xiii	20
iv	b	xii	21
iii	c	xi	22
ii	d	x	23
i	e	ix	24
*	f	viii	25
xxix	g	vii	26
xxviii	A	vi	27
xxvii	b	v	28
xxvi	c	iv	29
25. xxv	d	iii	30
xxiv	e	Prid.	31

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxiii	f	Kal.	1
xxii	g	iv	2
xxi	A	iii	3
xx	b	Prid.	4
xix	c	Non.	5
xviii	d	viii	6
xvii	e	vii	7
xvi	f	vi	8
xv	g	v	9
xiv	A	iv	10
xiii	b	iii	11
xii	c	Prid.	12
xi	d	Idib.	13
x	e	xviii	14
ix	f	xvii	15
viii	g	xvi	16
vii	A	xv	17
vi	b	xiv	18
v	c	xiii	19
iv	d	xii	20
iii	e	xi	21
ii	f	x	22
ÆQUINOCTIUM AUTUMNALE.			
i	g	ix	23
*	A	viii	24
xxix	b	vii	25
xxviii	c	vi	26
xxvii	d	v	27
25. xxvi	e	iv	28
xxv. xxiv	f	iii	29
xxiii	g	Prid.	30

OCTOBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxii	A	Kal.	1
xxi	b	vi	2
xx	c	v	3
xix	d	iv	4
xviii	e	iii	5
xvii	f	Prid.	6
xvi	g	Non.	7
xv	A	viii	8
xiv	b	vii	9
xiii	c	vi	10
xii	d	v	11
xi	e	iv	12
x	f	iii	13
ix	g	Prid.	14
viii	A	Idib.	15
vii	b	xvii	16
vi	c	xvi	17
v	d	xv	18
iv	e	xiv	19
iii	f	xiii	20
ii	g	xii	21
i	A	xi	22
*	b	x	23
xxix	c	ix	24
xxviii	d	viii	25
xxvii	e	vii	26
xxvi	f	vi	27
25. xxv.	g	v	28
xxiv	A	iv	29
xxiii	b	iii	30
xxii	c	Prid.	31

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxi	d	Kal.	1
xx	e	iv	2
xix	f	iii	3
xviii	g	Prid.	4
xvii	A	Non.	5
xvi	b	viii	6
xv	c	vii	7
xiv	d	vi	8
xiii	e	v	9
xii	f	iv	10
xi	g	iii	11
x	A	Prid.	12
ix	b	Idib.	13
viii	c	xviii	14
vii	d	xvii	15
vi	e	xvi	16
v	f	xv	17
iv	g	xiv	18
iii	A	xiii	19
ii	b	xii	20
i	c	xi	21
*	d	x	22
xxix	e	ix	23
xxviii	f	viii	24
xxvii	g	vii	25
25. xxvi	A	vi	26
xxv. xxiv	b	v	27
xxiii	c	iv	28
xxii	d	iii	29
xxi	e	Prid.	30

DECEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xx	f	Kal.	1
xix	g	iv	2
xviii	A	iii	3
xvii	b	Prid.	4
xvi	c	Non.	5
xv	d	viii	6
xiv	e	vii	7
xiii	f	vi	8
xii	g	v	9
xi	A	iv	10
x	b	iii	11
ix	c	Prid.	12
viii	d	Idib.	13
vii	e	xix	14
vi	f	xviii	15
v	g	xvii	16
iv	A	xvi	17
iii	b	xv	18
ii	c	xiv	19
i	d	xiii	20
*	e	xii	21
Solstitium Hyemale.			
xxix	f	xi	22
xxviii	g	x	23
xxvii	A	ix	24
xxvi	b	viii	25
25. xxv	c	vii	26
xxiv	d	vi	27
xxiii	e	v	28
xxii	f	iv	29
xxi	g	iii	30
19. xx	A	Prid.	31

II. *Calendarium* a *Calendis*, græco quidem vocabulo, apud solos tamen Latinos ad significandum primum diem mensis usurpato, dictum, est dierum ac mensium, ex quibus annus constat, omniumque, quæ diebus ac mensibus adjuncta sunt, ordinatio. Calendarium hoc exhibet nobis anni quæsiti dies, hebdomades, menses, Epactas, quibus respondet aureus numerus, Literas Dominicales, & ex his ortum Cyclum solarem: item in eo reperiri possunt æquinoctia, Solstitia, Novilunia, Indictio &c.

III. Dies vel est naturalis, vel artificialis. *Artificialis* dicitur tempus, quo sol supra Horizontem versatur ab ortu ad occasum, quodque opponitur nocti: quæ est ab occasu solis usque ad ortum. *Naturalis* est integra solis revolutio ab ortu in occasum, & inde rursus ad eundem fere locum, unde profectus fuerat, quæ vulgo in viginti quatuor partes æquales dividitur, quas *Horas* appellant. Non idem est apud omnes nationes Diei initium. Babylonii diem auspicabantur ab ortu solis: Itali more veterum Atheniensium, initium dant

diei

diei a solis occasu; ita ut tempus hunc occasum prævertens denotet finem horæ vigesimæ quartæ præcedentis diei [1]. Romani olim, & Europæi hodie fere omnes a media nocte sumunt diei exordium, numerantque usque ad meridiem horas duodenas, & rursus a meridie ad mediam noctem alias duodenas [2].

IV. *Horarum* nomen per trecentos annos Romæ ignoratum esse creditur. Divisio enim diei in horas duodecim, & noctis in totidem, inducta censetur Romæ post reperta Horologia Solaria: quorum antiquissimum quod fuerit, nescitur: certe in Foro nullum prius fuit, quam id, quod M. VALERIUS ex Sicilia advectum ad rostra in columna posuit [3]. Primis igitur temporibus apud Romanos diem bifariam divisum meridies discernebat, unde legitimus *ante meridiem*, *post meridiem* [4]. Alii tam diem, quam noctem quadripartito dividebant, quod testantur termini militares, *vigilia prima*, *secunda*, *tertia* & *quarta*. Plura noctis & diei tempora, aliis discreta nominibus inveniuntur apud Auctores veteres, qui ponunt mediam noctem principium diei, sequentes dein partes hoc ordine: *de media nocte*, seu *inclinatio mediæ noctis*, *gallicinium*, *conticinium*, *ante lucem*, *diluculum*, *secundum diluculum* seu *mane*, *ad meridiem*, *meridies*, *de meridie*, *suprema* [5], *vespera*, *crepusculum*, *face prima*, *concubium*, *intempesta* id est, multa nox, *ad mediam noctem*, demum *media nox* [6]; Apud plerosque viginti quatuor Horæ diei sunt æquales; singulæ autem horæ in sexaginta *minuta*, quodvis minutum in sexaginta minuta *secunda*, quodvis secundum in totidem *tertia* dividuntur &c. Illæ tamen nationes, quæ tam diem, quam noctem seorsim in duodecim horas dividunt, non semper eas æquales habent: nam horæ nocturnæ breviores sunt diurnis æstivo tempore, longiores hyberno. Judæi quatuor præsertim horas diei orationi destinatas habebant, scilicet *Primam*, quæ incipit ab ortu solis; *Tertiam*, respondentem circiter nostræ horæ nonæ matutinæ: *Sextam*, quæ convenit cum meridie; & *Nonam*, quæ respondet horæ nostræ tertiæ pomeridianæ.

V. Continua septem dierum successio dicitur græcæ *Hebdomas*, latine *Septimana*. Hæc ipsum DEUM videtur habere institutorem, cum die septimo a creatione mundi requievit, jubebanturque Judæi pariter die illo, seu Sabbato quiescere: sed Christiani die *Dominico* propter Christi Domini Resurrectionem feriantur, qui proin est feria prima hebdomadis, cui succedit feria secunda &c. ita ut singuli dies vocentur feriæ more Ecclesiastico, retento tamen nomine Sabbati & diei Dominici. Ethnici dederunt singulis diebus appellationem a Planeta, ita ut vocetur Dies Soli, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni [7]. Singuli dies in Calendario signan-

1 Populi illi, quales sunt etiam Arabes, qui menses Lunares habent, congrue incipiunt diem suum ab occasu solis: quia ortus Lunæ, quam observant, fit tempore occasus Solis, ut loquitur ALFRAGANUS Rudim. Astron. differentia 1. De antiqua Gallia aliam rationem dat JULIUS CÆSAR de Bell. Gall. lib. 6. his verbis: *Galli se omnes ab Dite Patre prognatos prædicant. ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt: & dies natales, & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* add. TACITUS de Morib. German. c. 11. ibique Notæ JULIANI PICHON.

2 L. 8. ff. de Feriis. BRISSONIUS de Verbor. Signif. V. *Dies*. Videatur A. GELLIUS Noct. ATTIC. lib. 3. c. 2. ubi discutit quæstionem, ex hac de initio diei diversitate ortam, utet dies natalis haberi debeat illius, qui tempore noctis natus fuit, an scilicet dies præcedens, vel subsequens?

3 LIVIUS Hist. lib. 16. c. 47. ad ann. U. C. 491. Cum autem Horologium istud ad Meridianum Romanum non fuerit accomodatum, post centum fere annos id Q. MARCIUS diligentius ordinavit. Ibid. in supplem. lib. 46. c. 17. ad ann. 590. Ex quo sequitur, Judæos plus bus sæculis ante Romanos habuisse horologia solaria. Nam tempore Ezechiæ sol recessit decem lineis in tali horologio anno ante Christum 712. quo Urbs Romana vix steterat annis 42. dictus autem annus U. C. 491. juxta Chronologiam RICCIOLII respondet anno ante æram Christ. 263. Unde fallitur etiam PLINIUS Natur. hist. lib. 2. c. 76. ubi scribit, quod Anaximenes Milesius Gnomonicen primus invenerit. Hanc enim umbratum rationem a Judæis ad Ægyptios, ab his ad Græcos devenisse, ex horologio Ezechiæ colligit CLAVIUS Gnomonic. lib. 1. fol. 7. & ex ipso CORN. A LAPIDE ad Isajæ c. 38. v. 8. A quo autem & quando inventa fuerint Horologia rotata, quæ pulsu campanæ horas indicant, incertum est. Memorabile est Horologium, quod Rex Persarum misit CAROLO M. quod describit AIMOINUS de Gestis Francorum lib. 4. c. 95.

4 In fragm. Leg. XII. Tabul. tit. 7. de Judic. l. 10.

5 *Sol occasus suprema tempestas esto*. Ibid. ubi Not. GOTHOFREDI lit. a.

6 Ita CENSORINUS de Die Natali in fin.

7 Judæi feriam sextam vocant *Parasceven*, id est, præparationem Sabbati. Cur autem Gentiles in nominandis diebus servaverint hunc ordinem Planetarum, Solis, Lunæ, Martis &c. duplex solet dari ratio, una Harmonica, altera Astronomica. Utramque ex DIONE refert P. FALCK de Christiano Paschate p. 1. c. 1. §. 2. Vid. SELDENUS de Jure natur. & gent. juxta discipl. Ebræor. lib. 3. c. 20. seq.

ſignantur ſeptem literis, quæ totidem diebus Hebdomadis reſpondent, ſcilicet A, B, C, D, E, F, G. Litera A primum diem Januarii afficit: ſi iſte ſit dies Dominicus, neceſſario omnes dies hac litera ſignati, erunt Dominici, conſequenter etiam dies ultimus anni eadem litera A notatus: proin primus dies ſequentis anni, qui ſemper literam A affixam retinet, inchoabitur a die Lunæ, ac tandem Litera G erit Litera Dominicalis eodem anno. Quid autem obſervandum ſit anno Biſſextili, & qua ratione formandus ſit Cyclus Solaris, mox infra dicetur.

VI. Menſis eſt pars anni duodecima. Eſtque vel naturalis vel civilis. *Naturalium* menſium ſpecies duæ, quod partim Solis, partim Lunæ eſſe dicuntur. *Solaris* menſis fit, dum Sol unumquodque in Zodiaco orbe ſignum percurrit: *Lunaris* eſt, temporis quoddam ſpatium, quo Luna circuitionem unam perficit. *Civiles* menſes ſunt numeri quidam dierum, quos unaquæque Civitas ſuo inſtituto obſervat: tales menſes ſunt in Calendario Romano a Calendis in Calendas, habentque ſinguli dies totos. At vero menſes *Naturales*, tam Lunares quam Solares, non habent dies totos, cum Sol annum ſuum, ſeu dies trecentos ſexaginta quinque, & horas fere ſex in duodecim dividat menſes: Luna vero ſingulos ſuos menſes conficiat diebus undetriginta circiter, & dimidiato. In præfixo Calendario dies menſis nomen ſuum ſortiuntur a *Calendis*, *Nonis* & *Idibus*. *Calendæ* primo cujuslibet menſis die accidunt. *Nonæ* vel in quintum, vel in ſeptimum diem cadunt. *Idus* vel decimo tertio, vel decimo quinto die menſis contingunt [1]. Antiqui Romani decem habebant menſes: primus *Martius* a Marte; ſecundus *Aprilis* ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur; tertius *Majus* a Maja, cui res divina eo tempore fiebat; quartus *Junius* a Junone dictus fuit: reliqui ſex a numero ſuo nomen trahebant, vocabanturque *Quintilis*, *Sextilis*, *September*, *October*, *November*, *December*. Additi poſtea fuerunt duo, *Januarius* a Jano, *Februarius* a Februo [2] appellatus. Duorum menſium nomina immutata ſunt. Nam qui *Quintilis* fuit, *Julius* cognominatus eſt [3]: qui autem *Sextilis* fuerat, in Auguſti honorem dictus eſt *Auguſtus* [4], quæ nomina ad hæc uſque tempora permanent. Similem mutationem alii facere tentarunt, ſed mox nomina priſtina ſuis reddita menſibus fuerunt [5]. Carolus M. menſibus juxta patriam Germanorum linguam nomina impoſuit: Januarium appellavit *Wintermonat*; Februarium *Hornung*; Martium *Lentzmonat*, Aprilem *Oſtermonat*, Majum *Wunnemonat*; Junium *Brachmonat*; Julium *Heumonat*: Auguſtum *Aernmonat*; Septembrem *Herbſtmonat*; Octobrem *Winnmonat*; Novemberem *Windtmonat*; Decembrem *Heiligmonat* ut ſcribit EGINHARDUS in vita.

VII. Per *annum* intelligitur tempus, quo Zodiacum ſol percurrit, ſuoque ad alterutrum ex Tropicis acceſſu & receſſu annuam tempeſtatum Veris, Æſtatis, Autumni, Hyemis varietatem efficit. Qui utuntur menſibus Lunaribus, ſolent tamen annum ſuum per menſes Emboliſmales ſeu Intercalares ad ſpatium anni ſolaris reducere, exceptis Turcis, qui pergunt numerare annos Lunares ſuæ *Hegyræ* per menſes duodecim, qui continent dies 354 vel 355. Cen-

1 Memoriæ juvandæ cauſa ſequentes verſiculi ſunt compoſiti.
Majus ſex Nonas, October, Julius & Mars:
Quatuor at reliqui: dabit Idus quilibet octo:
Inde dies alios omnes dic ante Calendas,
Quas retro numerans ſumes a menſe ſequenti.

2 *Februum* apud Romanos erat, quidquid piat, purgatque. Juxta CENSORINUM de die Natali c. 22. dies Lupercalium, quo Roma luſtrabatur, proprie ſebruatus, & ab eo menſis Februarius vocitatur. De nominibus Menſium vid. HADRIANUS JUNIUS de Annis & Menſibus.

3 Julius Cæſar *appellationem menſis e ſuo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit & dedit*. SUETONIUS in vita n. 76.

4 Idem in Vita Octaviani Auguſti n. 31. *Sextilem menſem e ſuo cognomine nuncupavit, magis quam Septembrem quo erat natus. quia hoc ſibi & primus Conſulatus, & inſignes victoria obtigiſſent.*

5 ÆLIUS LAMPRIDIUS in vita Commodi Antonini ſcribit: *Menſes quoque in honorem ejus pro Auguſto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exſuperatorium, pro Decembri Amazonium adulatores vocabant.* Poſt obitum ejus in Senatu acclamatum fuit; *menſes his nominibus nuncupandos, quibus nuncupabantur, quum primum illud malum in rempublicam incubuit.*

Censent enim, annum perfici diebus 354. horis octo, & minutis 48. quas horas & minuta intra triginta annos undecies addito die non tamen scrupulose ad minuta mathematica compensant [1]. Annus *Julianus*, prout a Julio Cæsare ordinatus fuit, complectitur 365. dies cum sex horis, quæ quarto quoque anno collectæ diem conficiunt intercalarem, & constituunt annum *Bissextum*, quia secundum Romanam computandi rationem bis eo anno dici debet *sexto Calendas Martias* [2]. Deprehenso errore Gregorius XIII. constituit annum dierum 365. horarum 5. & minutorum circiter 49. Habet igitur hic annus hebdomades 52. cum uno die in anno communi, & cum duobus diebus in Bissextili.

VIII. Initium anni diversum fuit apud diversas gentes. Romani olim a mense Martio; Hebræi ante Moysen ab autumnali æquinoctio, postea jussu Dei [3] ab æquinoctio verno: Christiani a mense Januario initium anni ducunt, cum natus sit nobis Salvator ad solstitium brumale [4]; ratio autem hebeatur ad Calendarium Julii Cæsaris, cujus menses initium ducunt a Calendis.

IX. Dictum est, & apparet in Calendario, singulis diebus affigi una ex septem literis alphabeti, ex quibus semper una respondet diei Dominico per totum annum communem, ita ut in ordine retrogrado post septem annos dies Dominicus regrederetur ad literam A. nisi cyclus iste per annos bissextiles, singulis quadrienniis recurrentes interrumperetur. Nam in anno Bissextili intercalatur dies mense Februario, qui proin numerat 29. dies: servitque eadem Romana appellatio pro duobus diebus scilicet 24. & 25. Februarii, quorum uterque dicitur *Sextus Calendas Martias*. Unde etiam dicitur annus *Bissextus*, qui proin habet hebdomades 52. & dies duos: consequenter annus Bissextus, qui incepit a die Solis, finitur die Lunæ, & sequens annus incipit die Martis, cui tunc respondebit litera A. primo Januarii affixa; diem autem Dominicum designabit litera F. Ex eadem ratione annus bissextilis habet duas literas dominicales, priorem quidem, a Calendis Januarii ad diem 25. Februarii Divo Mathiæ sacrum; alteram ab eodem festo ad anni finem. Propter hanc interruptionem non singulis septenniis Dies Dominica redit ad literam A. sed potius requiruntur septem quadriennia seu anni viginti octo, post quos dies Dominica rursus incidet in primam Januarii, & per totum annum signabitur litera A. Et hæc annorum 28. revolutio vocatur *Cyclus solaris*.

X. Ad inveniendum numerum hujus Cycli solaris singulis annis respondentem, sciendum, annum primum æræ vulgaris, seu annorum Christi incidisse in decimum annum Cycli solaris. Quare si annis Christi adjicias 9. & summam distribuas per 28. occurret tibi annus Cycli solaris quæsitus, scilicet si quid residuum fuerit, id denotabit, quotus in eo Cyclo sit iste annus: si nihil fuerit residuum, annus ille erit vigesimus octavus Cycli. E. G. anno Christi 1758. addatur 9. summa erit 1767. hac summa per 28. divisa, restabit 3. qui pro illo anno est Cyclus solis. Hæc regula obtinet semper suum usum: nam per correctionem Calendarii nihil immutatum est circa Cyclum solarem, sed solummodo circa

1 De Hegira Turcarum vid. PETAVIUS de Doctr. temp. lib. 2. c. 38. & 39. lib. 4. c. 10. & lib. 7. c. 22. RICCIOLIUS Chronol. Reform. tom. 1. lib. 1. c. 24. JOSEPH. SCALIGER de Emend. temp. lib. 2. pag. 94. seqq. lib. 7. pag. 354. seqq. & lib. 8. pag. 415. LENGLET Tabul. Chronol. edit. germ. p. 1. pag. 141. seq. & pag. 339. seqq. Veteres Arabes annum inchoabant in Æquinoctio Vernali juxta SIMPLICIUM in lib. 5. Physic. Aristot. c. 4. Apud hodiernos, qui Mahometanos mores sequuntur, vagatur exordium anni per omnes nostros menses.

2 Vid. ERYCIUS PUTEANUS de Bissexto.

3 Exod. XII. v. 2. *Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.*

4 In subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Christi: in Bullis autem sub Plumbo a die Incarnationis Verbi Divini, seu die Annuntiationis B. V. Mariæ. Annus igitur 1758. quem nos Literis nostris adscribimus a Calendis Januarii, Bullis Pontificiis non adscribitur ante 25um Martii, hoc tamen discrimine, ut nos Calendis Januarii inchoatum annum 1758. a die Circumcisionis Christi numeremus: Curia autem Romana in Bullis notet hunc ipsum annum 25to. Martii jam completum a prima Incarnatione Christi. De hac Romanæ Curiæ & aliarum Provinciarum consuetudine videatur SCACCIA de Judic. Canl. Civil. &c. lib. 2. c. 11. n. 1195. GAITUS de Credito c. 3. tit. 1. a n. 140. Card. PETRA ad Const. Apost. tom. 1. Procem. §. 3.

circa literas Dominicales respondentes huic cyclo. Ut autem facile possit inveniri litera Dominicalis, & respondens numerus Cycli solaris, saltem ab anno 1750. usque ad 1800. observanda est sequens tabula.

d c	b a	g f e	d c	b a g	f e	d c b
23.24.	25.	26.27.28.	1.	2.3.4.	5.	6.7.8.
a g	f e d	c b	a g f	e d	c b a	
9.	10.11.12.	13.	14.15.16.	17.	18.19.20.	
g f	e					
21.	22.					

In hac tabella annus 1750. tribuatur primæ cellulæ, in qua Cyclus solaris 23. & Litera Dominicalis d. Sequenti anno 1751. respondet in altera cellula Cyclus 24. & Litera Dominicalis C. In tertio anno 1752. qui est Bissextilis, Cyclus solaris 25.& geminæ Literæ Dominicales b. & a. & sic deinceps, redeundo ad principium tabellæ, quando eam percurreris, scilicet anno 1778. usque ad annum 1799. cui respondet Cyclus 16. & Litera Dominicalis f. Cum autem sequens annus 1800. juxta correctionem Gregorii, bissextilis non sit, mutatio aliqua accidit circa Literas Dominicales: nam ei respondebit Cyclus solis 17. sed unica tantum Litera Dominicalis E: sequenti anno 1801. Cyclus solis 18. & Litera Dominicalis D. hoc ordine facile erit novam formare tabulam sequenti sæculo respondentem.

XI. Cyclus Lunæ est periodus novendecim annorum, a METONE Atheniensi excogitata, ut Lunaris motus cum solari ad æqualitatem perduceretur. Vocatur *Numerus Aureus*, aureisque olim pingebatur characteribus ob præstantem ejus usum. Prout sol annuo, sic Luna menstruo motu zodiacum lustrat. Solum illum mensem Lunarem hic consideramus, qui *Synodicus* dicitur, quo Luna ab una conjunctione cum sole ad alteram redit, scilicet a Novilunio ad alterum Novilunium; & quidem non *Astronomicum*, in quo minuta minutorum observantur; sed *Civilem*, quo vulgo populi utuntur, quique neglectis horis & minutis, alternis vicibus constat diebus 30. quæ vocatur *Lunatio plena*; & 29. quæ dicitur *Lunatio cava*. Ex his Lunationibus seu mensibus lunaribus, fieri possunt anni mere Lunares, quales in usu esse apud Turcas diximus alibi; vel cum annis solaribus componi, quod a Metone tentatum. Nempe si duodecim menses lunares qui continent dies 354. comparentur cum duodecim mensibus solaribus, qui habent dies 365. quolibet anno supersunt undecim dies, quibus annus solaris excedit lunarem: hi post tres annos conficiunt triginta tres dies: proin producunt mensem lunarem 30. dierum cum tribus diebus residuis: insunt igitur huic anno tredecim lunationes, scilicet duodecim communes, & una, quæ *embolismica* dicitur, seu intercalaris, ob quam causam ipse etiam annus appellatur *embolismicus*. Si hoc modo pergatur, & singulis annis addantur dies undecim, & ex triginta superfluis conficiantur menses embolismici, quorum sex habent triginta, & septimus viginti novem dies; apparebit denique, anni-lunaris & solaris exordium eodem rursus modo coincidere, quo se habuerat ante annos novendecim: nihilominus successu temporis deprehensum est, hunc Cyclum Metonicum errore non carere. Porro si retrocedendo singulas decennovenales periodos numeremus, primum Æræ Christianæ annum in eum incidere comperiemus, qui Cycli decennovenalis secundus est. Quare si annis Æræ Christianæ unitatem addideris, & summam per 19. diviseris; si quid residuum fuerit, id numerum aureum isti anno debitum indicabit: si nihil sit residuum, annus Cycli hujus Lunaris erit 19. Sic invenies annum 1758. esse Cycli undecimum.

XII. Insuper pro indicandis annis Julianis sæpe usurpatur *Indictio*, quo nomine intelligitur pensitatio quorundam tributorum, quorum Canon & modus quotannis indicebatur [1]. Indictionum Cyclus, est 15. annorum periodus semper revolubilis, cujus notitia utilis est ad discernenda antiqua Instrumenta & Diplomata, quibus adjici solebat, & adhuc hodie a Notariis publicis

1 In Codice Theodos. habentur Tituli *de Indictionibus*; item *de superindicto*.

blicis adjici solet numerus Indictionis. Alia Indictio est *Constantinopolitana* seu græca, quæ a Calendis Septembribus initium sumit: alia *Cæsarea*, quæ incipit octavo Calendas Octobris: alia Pontificia, seu Romana, quæ in Pontificiis diplomatibus adhibetur, & a Calendis Januariis, quæ priores duas illas epochas sequuntur, sumit exordium [1]. Antiochiæ [2] & per Ægyptum [3] Indictio a Calendis Maii ducta olim videtur. Si per istam quindecim annorum periodum retrogrediamur ad primum æræ Christianæ annum, coincidit ille cum quarto Indictionis Pontificiæ. Cuivis igitur annorum Christi numero addantur 3. dividaturque summa per 15. si præter quotientem nihil est reliqui, annus Indictionis est 15. si reliquus sit numerus, is annum Indictionis indicabit. Sic anno 1758. addantur 3. erunt 1761. dividatur hæc summa per 15. prodibunt ultra quotientem 117. adhuc 6. quæ designant annum 1758. esse sextum Cycli Indictionis.

XIII. Ex tribus memoratis Cyclis, nempe Solari, Lunari & Indictionis inter se multiplicatis, conficitur *Periodus Juliana* sic dicta, quia anni a Julio Cæsare ordinati rationem sequitur continens annos 7980. Hæc maximæ esset utilitatis, si antiqui scriptores cujusque anni cyclos notassent: nam intra annos 7980. ne unus quidem occurrit annus, qui tres illos cyclos prorsus eosdem cum alio habeat. Juxta superius dicta si a nostris temporibus retrogrediendo numeremus Cyclorum periodos, inveniemus anno primo æræ Christianæ tribui debere decimum Cycli Solaris, secundum Cycli Lunaris seu aurei numeri, & quartum Indictionis annum. Unde inferimus annum primum æræ Christianæ fuisse in periodo Juliana annum 4714. cum in tota periodo Juliana 7980. annorum nullus alius reperiatur annus, cui simul conveniat cyclus solaris 10. numerus aureus 2. & Indictio 4. Nam si summa annorum 4714. dividatur per Cyclum solarem 28. ultra quotientem 168. remanebunt 10. Si dividatur eadem summa per Cyclum Lunarem 19. ultra quotientem 248. remanebunt 2. Si dividatur per Cyclum Indictionum 15. ultra quotientem 314. supererunt 4. Unde si annos æræ Christianæ numeremus usque ad annum 1758. addendo scilicet hos annos anno Periodi Julianæ 4713. qui præcesserat initium æræ Christianæ; patet, istum annum 1758. esse in periodo Juliana annum 6471. Hanc summam si dicto modo dividamus per 28. dein per 19. demum per 15. restabunt post divisiones peractas 3. pro Cyclo Solari: 11. pro Lunari, & 6. pro Cyclo Indictionis ejusdem anni 1758. Cum autem ante Christum Natum, & sæpe etiam post istud tempus, horum Cyclorum usus non fuerit adhibitus; hinc inexplicabiles ambiguitates in Chronologia occurrunt, ita ut sciamus quidem, quot anni æræ Christianæ vulgaris hucusque effluxerint: ignoremus tamen, an annus primus hujus æræ mox secutus fuerit Nativitatem Christi, quæ ad finem Decembris contigit. Nam probabilius Nativitas Christi hanc Epocham æræ Christianæ quinquennio præcessit. Nec mirum, si aliquis error hac in re irrepsit. Quamvis enim quidam Auctores antiqui annorum a Christo nato mentionem faciant; in Calendariis tamen aut actis publicis, Epocham Christi ante sæculum sextum adhibitam non reperimus [4]. Plura ut de ejusmodi Periodis & Epochis addamus, non est hujus instituti.

XIV. Hucusque dicta Calendarii Juliani ordinationem explicant, quod in constituendo Festi Paschalis die Patres Concilii NICÆNI secuti sunt, & Ecclesia ad alios suos usus hucusque adhibuit, emendaris quibusdam vitiis, quibus laborare post plurium annorum lapsum, compertum est.

Nam

1 PETAVIUS Rationar. tempor. p. 1. lib. 6. c. 1.

2 Colligitur ex Chronico ALEXANDRINO pag. 439. ubi Epocha ducitur a mense Majo, quo libertate donata est Antiochia a JULIO CÆSARE, additurque: *Incipit ergo Antiochia annus primus* (Caii Julii Cæsaris Dictatoris) *& annus primus Indictionis, qua annos continet quindecim, a primo anno C. Julii Cæsaris.*

3 L. 3. Cod. THEOD. de Indiction. jubet Imperator, eam Constitutionem, quæ de Indictionibus aliquid disponit, publicari per Ægyptum ante Calendas Maii: quia scilicet mense Majo messis peragebatur in Ægypto, ut testatur PLINIUS lib. 18. c. 18.

4 Vid. RICCIOL. Chronolog. Reform. tom. 1. lib. 8. c. 1. PETAVIUS de Doctrina tempor. lib. 12.

Nam JULIUS CÆSAR tanquam certum posuit, annum 365. dierum, & 6. horarum integrarum curriculo definiri, cum illæ tamen sex horæ integræ non sint, sed undecim circiter minutis truncatæ, ex quorum neglectu singulis annis Ver sedem suam anticipavit, adeo ut anno 1582. æquinoctium vernum decem fere diebus antecederet sedem, quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, & a vigesimo primo mensis Martii die, cui Concilium NICÆNUM æquinoctium istud affixerat, ad undecimum ejusdem mensis diem reduceretur.

XV. Alterum vitium Calendarii Juliani erat, quod Cyclus decennovenalis, seu numerus aureus, ita constans statutus fuerit, ut decimo nono quoque anno redeunte, Novilunia & Plenilunia in eosdem dies, horas & minuta redeant, cum tamen fere sesquihoræ tempus anticipent. Cum igitur NICÆNA Synodus sanciverit, celebrandum Pascha in perpetuum die Dominica proxima a Luna decima quarta, seu a decimo quarto die primi mensis lunaris, hoc est, ejus mensis, cujus luna decima quarta incidit in æquinoctium vernum, vigesimo primo Martii affixum, aut proxime post æquinoctium; animadversum demum est, quod Novilunia, & Plenilunia quatuor & amplius diebus citius contingerent, quam Numerus aureus demonstraret, ita ut, quæ ex Cyclo habebatur Luna decima quarta, reipsa esset Luna decima octava, sicque Pascha non amplius a Luna 15. in 21. sed a Luna 19. in 25. inclusive celebraretur.

XVI. His incommodis jam dudum quærebatur remedium. PETRUS DE ALLIACO Cardinalis Cameracensis obtulit JOANNI XXIII. & Synodo Romanæ anno 1412. libellum de emendatione Calendarii: formavit quidem Pontifex Decretum circa istam causam; noluit tamen istud executioni mandari, usquequo sedato schismate Deus Ecclesiæ suæ unionem dederit. Schismaticis igitur Pontificibus sede motis, dictus Cardinalis eundem libellum, adjecta formula Decreti Pontificii exhibuit Concilio CONSTANTIENSI anno 1417. [1] Cum autem nec hoc loco res perfecta fuisset, NICOLAUS CUSANUS in Concilio BASILEENSI idem argumentum erudito opusculo tractavit [2]. Rursus constitutum erat LEONI X. Pontifici, negotio huic finem imponere in Concilio LATERANENSI V. Scripsit igitur ad MAXIMILIANUM Imperatorem, ut ejus jussu præstantes Mathematici vel Romam venirent, vel per literas mentem suam aperirent in decima Concilii sessione Kalendis Decembribus 1514. habenda. Imperator voluntatem Pontificis aperuit Academiæ Ingolstadiensi, ex qua JOANNES ECKIUS doctum libellum ad Pontificem misit [3]; sed gloriam confecti hujus negotii Deus reservavit GREGORIO XIII. qui *ut res, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur*, anno 1577. *Compendium novæ rationis restituendi Calendarium* juxta Cyclum Epactarum ab ALOYSIO LILIO ordinatum, misit ad Principes Christianos & celeberrimas quasque Academias [4], adhortans Mathematicos, ut re diligenter considerata, aut ea, quæ a Lilio proponuntur, probarent, aut si quid istis rectius nossent, candide impertiri vellent, promittens insuper, quæ ratio majori doctorum hominum parti aptior, convenientiorque visa fuerit, eam quasi totius Christiani orbis consensum se esse probaturum atque secuturum. Auditis igitur, & ponderatis doctissimorum hominum sententiis [5] negotium hoc feliciter absolutum, & Calendarium novum per orbem Christianum promulgatum fuit, adjecta Bulla *Inter gravissimas*, 6. Kal. Martii 1582. Unde Calendarium, quod antea a Julio Cæsare *Julianum* dicebatur, passim nunc appel-

1 Tam libellum PETRI ALLIACENSIS, quam Decretum Pontificium sistit HERMANNUS VON DER HARDT Concil. Constant. tom. 3. part. 6. fol. 72. seqq.

2 Hic libellus cum aliis opusculis Mathematicis NICOLAI CUSANI insertus est operum Volumini 2. & inscribitur: *Reparatio Calendarii*.

3 Titulus libelli est: *De vera Pascha celebratione Joannis Eckii Theologi Diarthosis ad Leonem X. Pont. Max.* Libellus hic cum Epistola Pontificis ad Imperatorem, & Imperatoris ad Universitatem Ingolstadiensem impressus est Ingolstadii 1515.

4 Compendium istud exhibet CLAVIUS in Procemio Explicationis Calendarii.

5 Plures, quorum consiliis usus est Pontifex, recensentur in Appendice Thuani Histor. lib. 76. ad ann. 1582. & apud alios, qui Historiam Calendarii narrant.

pellatur *Gregorianum*, quo vitia quædam Juliani Calendarii emendata fuerunt.

XVII. Ad primum itaque vitium emendandum, dicto anno 1582. decem dies omissi sunt, ita ut post festum S. Francisci, quod incidit in diem quartum Octobris, mox sequens dies pro decimo quinto Romæ habitus fuerit [1]. Et hac ratione tempestates omnes, & selemnitates ad destinatas sedes in Calendario Gregoriano revocatæ sunt. Ad præcavendum autem eundem errorem pro sequentibus temporibus statutum est, ut quadringentis quibusque annis omitterentur dies tres intercalares, ita ut cum annus 1600. fuerit bissextilis, anni 1700. 1800. 1900. qui secundum Julii Cæsaris Calendarium bissextiles esse deberent, pro communibus habendi sint, nec intercalari die adaugendi.

XVIII. Alterum etiam vitium in Cyclo decennovenali animadversum, emendationem obtinuit per Cyclum Epactarum recens inventum ab ALOYSIO LILIO, Romano Medico & Astronomo, qui Cyclus in locum aurei numeri Calendario appositus, ad certam aurei numeri normam directus est, metbodo tamen Liliana per P. CLAVIUM paulo immutata. *Epactarum* nomine intelligitur excessus anni solaris, supra lunarem. Undecim esse hos dies supra diximus, ex quibus per plures annos superadditis, conficiuntur menses embolismales anni lunaris, continentes dies triginta. Itaque Epacta prima est XI. secunda XXII. tertia III. sublatis scilicet triginta diebus pro mense intercalari: quarta XIV. quinta XXV. sexta VI. & sic deinceps per novendecim annos, quos numerus aureus designat. Cum autem propter intercalationes nonnunquam omittendas, & propter cursum Lunæ non exacte computatum, Novilunia & Plenilunia post 19. annorum curriculum non accurate redeant ad suam priorem sedem, ideo inventi sunt triginta numeri Epactales, qui retrogrado ordine singulis anni diebus solent apponi. Numerus quidem trigesimus non exprimitur, sed loco hujus asteriscus, ut consideranti patet in præfixo Calendario. Quare aliquibus diebus apposita sit duplex Epacta, aliquibus etiam numerus Arabicus 25. nec vacat, nec ad præsentis opusculi institutum, opus est hoc loco explicare.

XIX. Juvat adjicere tabellam, in qua notantur aurei numeri & respondentes Epactæ ab Anno 1700. usque ad annum 1900. exclusive. Cur autem & ad quem usum subjungantur Literæ Martytologii, patebit infra.

Aureus num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.
Epact.	IX.	XX.	I.	XII.	XXIII.	IV.	XV.
Lit. Martyrol.	i	A	a	m	D	d	q

Aureus num.	17.	18.	19.	1.	2.
Epact.	XXVI.	VII.	XVIII.	*	XI.
Lit. Martyrol.	G	g	t	P	I

Aureus num.	3.	4.	5.	6.	7.
Epact.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.
Lit. Martyrol.	C	c	p	F	f

Aureus num.	8.	9.
Epact.	XVII.	XXVIII.
Lit. Martyrol.	s	M

Ut quovis anno facilius reperiatur Aureus numerus & Epacta respondens, notandum est, sicut Aureus numerus 10. primo loco positus, in usu est anno 1700. ita etiam Cyclo annorum novendecim completo, idem numerus in usu est anno 1719. 1738. 1757. 1776. 1795. 1814. 1833. 1852. 1871. 1890. Si igitur scire desideras, quisnam Aureus numerus & Epacta sit Anno 1758. notabis ex memoratis annis, quod Anno 1757.

1 In Gallia mense Novembri, *anni novi emendatio promulgata est, exemptisque decem diebus sancitum, ut qui decimus dies Decembris erat, vicesimus numeraretur, & ita decimo quinto Decembris, Natalis Domini eo anno celebratus est*. Ita THUANI Histor. Appendix lib. 76. ad ann. 1582. ubi notatur, hoc Edictum conditum fuisse Thuano nuper defuncto, qui dum in vivis esset, fuerat acerbe de eo cum Rege ipso altercatus, & haud dubie, si viveret, publicationem fuisset impediturus. Pro aliis Provinciis, in quibus dicta emendatio mense Novembri non fuerat secuta, declarationem edidit GREGORIUS, ut sequenti anno post diem decimam Februarii mox transitus fiat ad vigesimum primum Februarii. Constitutio & Declaratio habetur Bullar. tom. 2. num. 74.

1757. convenit primo loco positus numerus Aureus & Epacta, consequenter quæ secundo loco ponuntur, usum habent Anno 1758. scilicet Aureus numerus 11. & Epacta XX.

XX. Calendarium ita dispositum servit ad hoc, ut Festa mobilia ad sua quæque tempora singulis annis referantur. Præcipua habenda est ratio Festi Paschalis, ex cujus constitutione pendent reliqua. Paschale autem festum a Luna XIV. primi mensis Lunaris; repetendum est: & Lunæ XIV. notitia ex Epacta currente est deducenda. Hæc enim Epacta ex præcedenti Canone investigata, facile indicabit in Calendario singulos anni dies, quibus Novilunia contingen; unde Pleninunia & Quadraturæ innotescent. E. G. numerus Epactalis anni 1758. est XX. ubicunque igitur in talibus mensium occurrit hic numerus XX. ibi Lunationum hujus annni designatur initium, scilicet ad diem 11. Januarii, 9. Februar. 11. Martii, 9. Aprilis &c. Hoc tamen non accurate ac secundum calculum astronomicum accipitur, sed juxta calculum politicum, & ad populi mores accommodatum. Is vero apud Hebræos, ut supra dictum, vocatur primus mensis, cujus XIV. Luna vel cadit in diem verni æquinoctii, quod die 21. Mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur. Primus autem mensis semper initium sumet interdiem octavum Martii, & quintum Aprilis utrinque inclusive: ille igitur dies faciet initium primi mensis Lunaris, cui intra spatium dictorum dierum Epacta ejus anni adscripta est: adscribitur autem Epacta XX. diei undecimæ mensis Martii: proin initium primi mensis Lunaris anno 1758. cadit in diem undecimam Martii: ab hac die inclusive numerantur dies quatuordecim, scilicet usque ad diem vigesimam quartam Martii, consequenter dies vigesima quarta Martii dicitur anno 1758. Luna decima quarta primi mensis. Sequens Dominica post hanc Lunam 14tam erit dies Paschalis: hoc desumitur ex Litera Dominicali ejus anni; quæ Anno 1758. est A. Hæc litera post vigesimam quartam Martii primum occurrit die vigesima sexta Martii; proin hoc die celebratur Pascha isto anno. Si vero dies ipse XIV. Lunæ caderet in diem Dominicam, proximus dies Dominicus erit Paschalis, ne cum Judæis conveniamus.

XXI. Pro aliis Festis mobilibus inveniendis notanda sunt sequentia. Ante Pascha per sex hebdomades numeratur tempus quadragesimale, cujus dies Dominici sortiuntur nomina in Ecclesia, *Palmarum*, *Judica*, *Lætare*, *Oculi*, *Reminiscere*, *Invocavit*, seu prima Quadragesimæ: ascendendo adhuc per hebdomadem occurrit *Dominica Quinquagesimæ*, & feria quarta ejus hebdomadis *dies Cinerum*: hanc hebdomadem præcedit Dominica *Sexagesima*, istam autem Dominica *Septuagesimæ* [1]. Post diem Octavam Paschæ, quæ vocatur Dominica *in Albis* numerantur quinque hebdomades, in quarum ultima sunt dies Rogationum, & feria quinta celebratur festum *Ascensionis*. Post sextam hebdomadem sequitur *Pentecoste*; octavo post die Festum *SS. Trinitatis*, & dein feria quinta Festum *Corporis Christi*. A Dominica Pentecostes numeris signantur Dominicæ usque ad *Adventum Domini:* hic celebratur semper a die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe a die 27. Novembris inclusive usque ad diem 3. Decembris inclusive; ita ut Litera Dominicalis ejus anni currens, quæ reperitur in Calendario a die 27. Novembris usque ad 3. Decembris, indicet Dominicam primam Adventus, quod anno 1758. ad ipsum diem 3. Decembris contingit. *Quatuor tempora* celebrantur quarta & sexta feria, ac Sabbatho post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis Sanctæ Crucis [2].

XXII. Porro in annis Bissextilibus, Festa

---

1 De ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ, præter alios rerum harum tractatores, legi potest Epistola CAROLI M. ad ALCUINUM, quæ in Bibliotheca SS. Patrum subjungitur ALCUINI libro de Divinis Officiis.

2 Cum anno 1757. festum Exaltationis S. Crucis, seu dies decimus quartus Septembris inciderit in feriam quartam, erronee aliqua Calendaria hanc ipsam diem posuerunt pro feria quarta quatuor Temporum. Rubrica autem assignat feriam quartam *post* dictum festum.

sta mobilia, quæ occurrunt ante festum S. Mathiæ Apostoli, forte Septuagesima & dies Cinerum, inveniuntur per literam Dominicalem priorem in Calendario, in tabulis autem Paschalibus, quas adjungere operæ pretium non censuimus, inveniuntur per literam posteriorem, quæ curret post festum S. Mathiæ Apostoli, ita tamen ut Septuagesimæ & diei Cinerum inventæ in Januario aut Februario addatur unus dies. Sic Annus 1760. est Bissextilis, habetque literas Dominicales F. & E. si Septuagesimam & Diem Cinerum investiges in Calendario, designabit litera F. Dominicam Septuagesimæ tertia Februarii, & feria quarta occurrens die 20. Februarii prodit diem Cinerum: dies autem Paschæ occurrens sexta Aprilis notatur Litera Dominicali E. Si autem eosdem dies invenire velis in tabulis Paschalibus, quæ Breviariis Clericorum præfigi solent, omnes illi dies investigandi sunt sub litera Dominicali E. ubi reperies diem secundam Februarii pro Dominica Septuagesimæ; & decimam nonam ejusdem mensis pro die Cinerum: addendus est igitur utrinque dies, & computandus dies tertius pro Dominica Septuagesimæ, & dies vigesimus Februarii pro die Cinerum.

XXIII. Calendarium sic ordinatum magna gratulatione a plerisque Europæ Regibus ac Principibus receptum, ac in usum deductum fuit: Protestantes tamen Germaniæ non ex alia magis ratione, quam quod a Romano Pontifice profectum sit, maluerunt antiquum errorem prosequi, & adhærere Calendario Juliano, quod semper magis magisque a cœli motibus & mente Concilii Nicæni circa celebrationem Paschæ, aliorumque festorum recedebat. Unde in omnibus publicis Instrumentis, quæ Catholicis & Protestantibus communia erant, duplici opus erat nota pro designando anni die, stilo veteri & novo. Sic Instrumentum Pacis Osnabrugensis signatum est $\frac{14}{24}$ mensis Octobris 1648.

XXIV. Tandem ad finem sæculi decimi septimi, Protestantes cogitarunt se propinquius conformare cœlo, statueruntque, ineunte novo sæculo, scilicet anno 1700. ex Februario, qui eo anno, juxta Calendarium vetus Bissextili, deberet habere dies 29. delere 11. dies, ita ut Februarius haberet solummodo dies octodecim, & primus dies Martii computaretur juxta ordinem Calendarii Gregoriani. Ne autem prorsus cum hoc convenirent, decreverunt, rejectis Cyclis Lunaribus Epactarum, æquinoctium & initium primi mensis Lunaris determinare juxta calculum Astronomicum [1] Circa modum id exequendi, recurrerunt ad Academiam Regiam Scientiarum Parisiensem per Literas illustris LEIBNITII datas Hanoveræ 8. Febr. 1700. Respondit Academia, si præ Cyclis placeat adhibere calculum Astronomicum, nihil magis congruere, quam ut attendatur ad Tabulas D. de la Hire, propediem in lucem edendas. [2]

XXV. Dum Protestantes in Germania de mutando Calendario Juliano consilia agebant, etiam Romana Aula rationem indagabat conciliandi Lutheranos cum Catholicis in hoc negotio. Consultatum igitur, an opus esset aliqua Calendarii Gregoriani reformatione, ne Lutherani ullum haberent prætextum illud rejiciendi. Congregationi super hoc negotio constitutæ præficiebatur Cardinalis NORISIUS; Secretarium agebat D. BIANCHINI: communicabantur consilia cum D. CASSINI celeberrimo Astronomo in Gallia, & cum D. MARALDI, qui tunc Romæ versabatur. D. CASSINI [3] censebat, Calendarium Gregorianum nulla indigere reformatione, sed solummodo mentem Gregorii exacte esse implendam, & Decimam quartam Lunam Paschalem suo in loco, a quo *quatuor & eo amplius dies* eo tempore distabat, reponendam: per emendationem autem hucusque factam solummodo per tres dies Lunam Paschalem retrocessisse ad tempus,

1 Hoc Conclusum cum multis actis præviis exhibet Theatrum Europæum tom. 15. ad ann. 1700. a pag. 691.

2 Referuntur hæc in Historia Academiæ Regiæ ad Ann. 1700.

3 Ejus Dissertatio *de la Correction Gregorienne des mois Lunaires Ecclesiastiques* inserta est Diariis Academiæ Regiæ ad annum 1701.

pus, quo fuerat tempore Concilii NICÆNI, consequenter non omnino impletam esse mentem GREGORII XIII. [1] Quidquid de hoc sit, tam ipse D. CASSINI, dum vixerat, censuit; tum Academia Regia Parisiensis censet hucusque semper, retinendum esse Calendarium Gregorianum cum suis Cyclis, neque Lunam Paschalem computandam esse juxta calculum Astronomicum. Unde dum D. FILLIOL anno 1731. exhibuisset librum, inscriptum: *Nouvelle distribution politique du Tems*, ubi dies Paschatis determinabatur per calculum ex Tabulis Astronomicis deductum, laudavit quidem Academia diligentiam & eruditionem Auctoris, censuit tamen, subtilitates Astronomicas in hoc negotio esse *nec necessarias, nec possibiles*, cum Astronomi nondum exacte convenerint circa veros motus Astrorum: insuper ex hoc calculo Astronomico sequi, quod Pascha non possit celebrari eodem die per totum orbem, quod omnino esset inconveniens [2]. Agnoverunt enim hi & alii rerum harum expertissimi Viri, quod CLEMENS VIII. Pontifex Maximus monet [3] *mirandum non esse, quod Cyclus nostrarum Epactarum in dies Calendarii distributus, interdum in Noviluniis, ac Lunis XIV. Paschalibus non omnino eum motibus cœlorum consentiat, cum hoc in omni Cyclo necessario eveniat, satisque sit, quod error hic, qui vitari nequit, multo rarior deprehendatur in novo hoc Calendario, quam in ullo alio*.

XXVI. Hæc, & plura alia permovere Protestantes non possunt ad amplectendos Cyclos Gregorianos, ne revereri Pontificis auctoritatem videantur [4] Fixum igitur ipsis manet, rejectis Epactarum cyclis, Plenilunium Paschale, quod terminum Paschalem vocant, ad observationes Astronomicas determinare: cum autem hæ in omnibus Regionibus ob diversos Circulos Meridianos non possint esse conformes, specula Mathematica *Uranoburgica* legem debet præscribere aliis Provinciis [5] ita ut Lutherani, si qui in Asia degant, censeantur accuratissime ad calculum Astronomicum celebrare suum Pascha, modo Meridiano Uranoburgico se conforment, quamvis phases Lunæ in Asia aliud exigant.

XXVII. Cum igitur Ecclesia Catholica, id est, per totum orbem diffusa, nec velit, nec prudenter possit exigere Cyclum minutiis Astronomicis semper conformem; facile potest contingere, ut in Observatorio Uranoburgico Plenilunium determinetur una vel altera hora, aut etiam paucis minutis ante mediam noctem, quæ precedit diem Dominicam: Cyclus autem Gregorianus designet terminum Paschalem ipsa die Dominica. In tali casu Protestantes mox illa die Dominica, quæ post Plenilunium incidit, Pascha suum celebrabunt: Catholici vero, qui Cyclo Gregoriano utuntur, illa ipsa die Dominica, in quam terminus Paschalis, scilicet decima quarta Luna incidit, non celebrabunt Pascha, ne cum Judæis conveniant, sed differenc ad Dominicam sequentem. Hac ratione in celebrando Paschate Lutherani a Catholicis per integram hebdomadem discrepabunt, licet quoad terminum Paschalem paucis horis, vel minutis distent. Hoc contigit Anno 1724. & 1744. non sine magna negotiorum turbatione per Germaniam. Idem rursus contingeret anno 1778. & 1798. si Protestantes vellent insistere calculo astronomico, nam his annis Plenilunium, quod ipsis est terminus Paschalis, jam die Sabbati, scilicet unde-

1 In eundem sensum D. CASSINI scripsit aliam Dissertationem *Des Equations des Mois Lunaires & des Annees solaires*, relatam in Diario Academiæ Regiæ ad ann. 1704. pag. 201. Contra hanc Diario Trivultiano ad Ann. 1728. mense August. art. 78. & Septembr. art. 87. inserta est *Analyse Astronomique de l'Hypothese Lunaire du Calendrier Gregorien par le P. Mahoudeau*. Huic Analysi in eodem Diario ann. 1730. mens. Jan. art. 4. & Febr. art. 12. opponuntur *Reflexions de M. Maraldi sur la Dissertation du R. P. Mahoudeau*.

2 Histoire de l'Academie Royale ad ann. 1731. ubi articulus de Chronologia his verbis finitur: tout considerè, il se trouve que l'Eglise a agi avec beaucoup de prudence de s'en tenir au Calendrier Gregorien, sauf à y faire dans la suite du tems quelque reforme, si on le juge necessaire.

3 In Literis præfixis libro CHRISTOPH. CLAVII de Explicatione Calendarii.

4 Hollandi, quamvis non profiteantur singularem reverentiam erga Pontificem, suadente tamen prudentia receperunt Calendarium Gregorianum.

5 Juxta Conclusum $\frac{10}{20}$ Januar. 1700. apud SCHAUROTH tom. 1. pag. 194.

undecima Aprilis & 31. Martii occurret [1] consequenter Pascha mox sequente Dominica scilicet 12. & 1. Aprilis ipsis celebrandum esset: Cyclus autem Gregorianus Lunam XIV. Paschalem his annis designabit in dictis diebus Dominicis 12. & 1. Aprilis: Canon autem Calendarii Gregoriani exigit, ut Pascha celebretur Dominica *post* Lunam XIV. scilicet 19. & 8. Aprilis. Ut igitur ipso opere fateantur Protestantes, solos motus cœlestes considerandos non esse, indagabunt illis annis cyclum Judæorum, licet sequi non dignentur cyclum Catholicorum: cum autem deprehensuri sint, Judæos juxta suum cyclum dictis diebus Dominicis celebraturos Pascha, ipsi different hoc festum in sequentem Dominicam, ut potius cum Catholicis Pascha peragant [2] Unde facile perspicitur, systema Protestantium, in quantum a Calendario Gregoriano differt, nullis constare firmis principiis. [3]

XXVIII. Cum hanc totam notitiam Calendarii ad usus præcipue Ecclesiasticos inseruerimus, explicandæ restant Literæ & Numeri Martyrologii Romani, in quo Festa per annum distribuuntur & annuntiantur. Singuli dies in hoc Martyrologio inscribuntur iis notis, quas in Calendario Romano posuimus, *Calendis Januarii*, *Tertio Nonas Januarii &c.* Additur semper vox *Luna*, cui debet ab eo, qui diem annunciat, adjungi numerus, denotans diem Mensis Lunaris, *Luna prima*, *Luna sexta &c.* Ut autem sciatur, quota Luna annuntiari debeat, singulis diebus supra Sanctorum historias dispositæ sunt Literæ triginta, quæ triginta Numeris Epactalibus respondent, subjuncto etiam alio numero sub qualibet Litera. Literæ autem Epactis respondentes sunt istæ:

a b c d e f g h i k l m
I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX X. XI. XII.
n p q r s t u
XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.
A B C D E f
XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. 25.
G H M N P
XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. *

Utimur autem solummodo 19. Epactis, quot nimirum sunt aurei numeri: & quidem ab anno 1700. usque ad finem anni 1899. eum ordinem Epactarum tenemus, qui supra expositus est. Ut igitur annuntietur, quota sit Luna, sumendus est primum Aureus numerus anni currentis in superiori ordine tabellæ, vel Epacta currens in medio ordine illius tabellæ, respondens aureo numero illius anni: dein inquirenda Litera, quæ in tertio & inferiori ordine ejusdem tabellæ Aureo numero vel Epactæ subjuncta est. Hæc Litera vocabitur Litera Martyrologii per totum illum annum; & per numerum, qui in ipso Martyrologio singulis diebus sub ea repenetur, ostendet, quota Luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni currentis. Exemplum: anno 1758. currit aureus numerus 11. & respondens Epacta XX. huic in tabella subjicitur Litera Martyrologii A majuscula. Unde singulis diebus annuntiatur in Martyrologio Luna adjecto illo numero, qui in serie numerorum & Literarum Catalogo Sanctorum præfixa, respondet Literæ A majusculæ. Quarta igitur Novembris Anni 1758. promulgationi Sanctorum hæc formula præmittitur: *Pridie Nonas Novembris Luna tertia*. Ad illum enim diem videbis in Martyrologio numerum 3. subjectum Literæ A. quæ respondet Epactæ XX. Hæc ipsa autem Epacta XX. in Calendario signat pro anno 1758. initium mensis Lunaris die secundo No-

1 CLAVIUS pag. 426. Plenilunium medium anni 1778. penit D. 11. H. 12. April. & anni 1798. D. 31. H. 13. Martii.

2 Juxta Conclusum 30. Jan. 1723. apud SCHAUROTH tom. 1. pag. 199.

3 Si cui ad manum non sint majora volumina PETAVII, CLAVII &c. servient pro hac differentia inter Catholicos & Protestantes melius dignoscenda duo libelli P. JOSEPHI FALCK, unus inscribitur: *Animadversiones circa dubium, quod inter Acatholicos tritur ratione Paschatis anni 1724.* alter: *Christianum Pascha in Calendario Gregoriano rite celebratum*. Item P. FRANC. SCHUCH Disquisitio astronomica de Correctione Calendarii Ingolstadii ann. 1699.

Novembris: quarta igitur dies Novembris, est tertia dies mensis Lunaris juxta Cyclum Gregorianum.

XXIX. In eodem Martyrologio in margine ex una parte singulis diebus solet poni numerus vulgaris, qui denotat diem mensis nostro vulgari modo numerandum. Ex altera parte ponitur una ex septem primis Literis Alphabeti, denotans diem hebdomadis, prout hæ septem Literæ in Calendario per totum annum disponuntur. Cum igitur Anno 1758. habeatur Litera Dominicalis A. hæc ipsa Litera in Martyrologio occurrens signabit diem Dominicam per totum hunc annum. Huic Literæ insuper in Martyrologio solet adjungi Numerus Epactalis, sicut in Calendario posuimus, habiturus eundem usum, quem Epactis assignavimus. Cum igitur ex dictis numerus Epactalis XX. respondeat Literæ majusculæ A. Martyrologii, ideo ubicumque in Martyrologio Literæ Dominicali adjuncta apparet Epacta XX. semper in serie Literarum & numerorum Vitis Sanctorum præfixa, Litera Majuscula A. subjectum habebit numerum 1. quod signum est, illam esse primam diem mensis Lunaris juxta Cyclum Gregorianum. Si itaque ad manum sit Martyrologium Romanum novum, scilicet post Gregorianam Calendarii correctionem editum, non indigebis alio Calendario: nam præter festa immobilia, quæ ibi pro singulis diebus recensentur, possunt etiam festa Paschalia & alia mobilia, item Novilunia, Plenilunia, aliaque ex Calendariis peti solita, juxta Cyclum Gregorianum deprehendi ex Literis Dominicalibus, numeris Epactarum, & Literis Martyrologii ibidem appositis. [a]

AD CAPUT X.

JOHANNIS FILESACI
THEOLOGI PARISIENSIS

De Confessionis secretæ, seu auricularis, ut vocant, usu & praxi apud Christianas gentes.

DISSERTATIO XXX.

I. Varro minime indecorum esse putavit spicilegio perfecto spicam relinquere. De confessione secreta quam multi scripsere, & non ita pridem aliquis spicilegium egit; tentabo ego vel spicam aliquam colligere. Confessionis istius originem non attingo, tam clare patet, tam dilucide explicata est, ut ad Solem istum soli Sectarii tanquam vespertugines cæcutiant, Christiani Catholici, velut aquilæ, hunc immotis cernant superciliis. Usum praximque Confessionis secretæ & auricularis apud omnes Christianas gentes singilatim explicare aggredimur. Si qua inani mis nostris de rebus ad fidem religionemque spectantibus dubitatio exoriatur, nulla unquam illius penitus evellendæ vel aptior vel securior ratio visa est quam aurea illa & vere Christiana Catholica B. *Augustini* norma ac regula, Epistola 118. ad *Januarium*. Ubi quid in Ecclesia occurrit de quo ambigitur an sit faciendum, aut ad divinæ Scripturæ auctoritatem recurrendum esse præcipit, si modo ipsa tale quid præscribat, nec amplius dubitandum quin ita facere debeamus. Aut videndum si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit disputa-

a Vid. Explicationes & Rubricæ Martyr.

putare, insolentissimæ insaniæ est. Annon emotæ mentis homines appellat Sectarios nostri ævi B. *Augustinus* qui confessionem illam privatam non modo repudiant, sed variis proscindunt contumeliis? Attamen omnes omnium gentium Ecclesiæ veluti uno & communi consensu illam usu receptam religiosissime servant ac retinent. Novatores non audio qui Græcam, Ruthenicam, Æthiopicam & persimiles Ecclesias minime puræ & sinceræ fidei esse dictitant, ac pro inde si quid apud illas factitatum legimus, idcirco legitimum & orthodoxum pernegant. Sed horum alterum fateantur necessum est vel concessionem illam omnium Ecclesiarum totius orbis circa Confessionem secretam, arguere dogma istud esse Catholicum, ut interpretatur *Vincentius* Lirinensis, vel universam Christi Ecclesiam undequaque diffusam errasse & a vera Christi & Apostolorum doctrina defecisse, quod dum Sectarii dicunt, quis non videt Donatistarum hæresim ab inferis denuo illos excitare? Imo vero sese impietatis scelere apertissime obstringunt cum parentes suos Viclephistas, Hussitas, Lutheranos &c. quibus probata fuit confessio privata, damnant, de quibus suo loco. Atque ut ordine progrediamur, ab Ecclesia Latina, hoc est Romana ceterarum omnium parente & ceteris quæ Latino sermone in Sacris utuntur auspicari libet.

L A T I N A.

II. *Simplicius* Pontifex Romanus ante annos pene mille & ducentos, ut est apud *Anastasium* Bibliothecarium, constituit ad Sanctum *Petrum* Apostolum, & ad Sanctum *Paulum* Apostolum & ad Sanctum *Laurentium* martyrem hebdomadam (vel ut alii legunt hebdomadas) ut Presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptismum. Non est dubium pœnitentes ejusmodi non solos intelligendos, qui vel solemnem vel publicam agerent pœnitentiam, nam etiam alii, alicujus peccati & criminis occulti conscii, privatam agebant & secretam pœnitentiam, quæ iis a Sacerdote imponi non poterat, nisi prius apud ipsum clam & secreto admissum delictum confessi fuissent. Et certe ipsi etiam pœnitentes publici, tunc & in istis Ecclesiis Romanis nonnisi privata Confessione præmissa ab iis Sacerdotibus publicam alioquin pœnitentiam agere jubebantur. Quis enim sani capitis dixerit fidelium cœtum semper iis in Ecclesiis convocatum fuisse, quoties flagitiosus aliquis, populo audiente, admissum scelus publicum, & quod in Ecclesiæ dedecus vergeret, confiteri debuit, cujus gratia, illi publica injungebatur pœnitentia. Ex Penitentiali Romano veteri quod in posteriori edito post tempora *Gregorii* 7. citatur, nec non apud *Burchardum* & *Ivonem* longe antiquiores ipso *Gregorio*, intelligimus secretam semper antecessisse Confessionem, dum seu privatam seu publicam pœnitentiam præscribere oportuit, quod ex variis interrogationibus quæ ipsis fiebant pœnitentibus a Sacerdote, apparet, quanquam in publica aut solemni pœnitentia indicenda, admissum crimen publicum, cujus causa illa imponebatur, denuntiabatur publice, ut apparet ex Canone 32. Concil. 3. Carthaginensis, *cuiusunque Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur*. Concilio Ticinensi apud Insubres c. 6. Confessio auricularis manifeste declaratur iis verbis. *Qui occulte deliquerunt illis confiteantur quos Episcopi & Plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint*. Apud Gallos & Germanos usitatam jam olim Confessionem secretam, multa probant, & quidem ante *Carolum* Magnum, Synodo Francica, sub *Carolomanno* Principe; diserte habetur: *Ut unusquisque Præfectus unum Presbyterum habeat qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit*. Repetitum hoc Capitul. lib. 5. cap. 2. Atque explanatur lib. 7. Capitul. c. 103. *Secunda vice propter ampliorem observantiam Apostolica auctoritate & multorum Sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumque Canonum Regulis edocti, consultu videlicet omnium Nobilium nostrorum nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantum Episcopi, electione ceterorum, propter benedictionem, & prædicationem, populique reconciliationem, & cum illis selecti Sacerdotes, qui bene sciant populis, pœnitentias dare, Missas celebrare*, de

de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere; & hoc maxime providere, ne sine viatico quis de sæculo recedat. Conc. Cabilonens. 2. sub Carol. M. c. 33. postquam graviter reprehendit eos qui solummodo Deo confitenda esse peccata contendebant, de quibus postea dicemus, sic omnem de ea re scrupulum eximit. *Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata, ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor, & largitor plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione plerumque Medicorum operatione.* Postrema hæc verba mirum in modum illustrantur sequenti Capite 34. quod idcirco integrum adscribere placuit. *Quia igitur Apostolo teste Rom. 2. Ephes. 6. Colos. 3. Actor. 10. Non est personarum acceptio apud Deum & in omnibus judiciis cavenda est, multo magis in hoc pœnitentiæ Judicio præcaveri debet, ut nullus Sacerdotum unquam, aut gratia aut odio alicujus personæ, secus judicet quam quod in Canonibus sacris invenerit; aut quod illi secundum sanctarum Scripturarum auctoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo Medici qui corporibus Medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem, his, quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt: multo magis id ipsum his observandum est, qui non corporum sed animarum Medici exsistunt.* In eandem sententiam scriptum est istud Capitul. l.7. c.294. *Quærendum namque est Sacerdoti cum accipit cujuslibet fidelis Confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea iteratum aut frequenter actum sit, si sponte, si coacte, si per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit, & cum viderit unde radix illius peccati processit, tunc congruam adhibeat medicinam: Qualis vero peccati adhibenda sit medicina secundum Canones authenticos Sanctorum Patrum esse debet, & non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem, nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sequenda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda.* Ejusdem Cabilonensis Concilii c. 45. *Qui peccata sua Sacerdotibus, in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, Eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Concilio Parisiens. lib. 1. c. 23. reprehenduntur Presbyteri Parochi, qui relicta Parochia forensibus negotiis sese implicant, aut paullo liberius vagantur. *Non attendentes quod eorum absentia, & loca Deo dicata, sibi cultu debito priventur, & homines sine confessione, & infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur.* Ejusdem Concilii c. 32. Patres damnant Sacerdotes illos qui partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus, secus quam jura Canonica decernant, imponunt: quapropter statuunt ut Presbyteri imperiti, solerti studio ab Episcopis suis instruantur, qualiter & confitentium peccata diserte inquirere, eisque congruum modum, secundum Canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere. *Rabanus Maurus* Archiepiscop. Moguntinensis in Pœnitentiali c. 1. agit de Clericis, qui post sacram ordinationem peccata & crimina capitalia commiserunt & in his publice deprehensi vel capti a gradu proprio deponantur; quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas constat esse, nempe inde detrahunt homines a Sacrificio Dei, & rebelles hinc atque contrarii exsistentes, eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur. Qui autem de prædictis vitiis, per occultam Confessionem, male a se absconse admissis coram oculis Dei, præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse accusant, his spes veniæ de misericordia Dei promittenda est. Duplicem hoc loco Confessionem adsignat ex duplici scelerum & criminum patrandorum genere, sed multo clarius Capitul. lib. 5. c. 52. *Ut nemo Sacerdotum, populi sibi peccata confitentium sine auctoritate Canonum judicare præsumat, & ut quando unicuique quisquam Sacerdos sibi scelera sua confitenti, juxta prædictum Canonicum modum pœnitentiam tribuit, nisi eomam dimiserit.*

ferit, aut habitum mutaverit, manus ei secundum Canonicam auctoritatem imponat, cum orationibus quae in Sacramentario ad dandam pœnitentiam continentur. Si vero occulte & sponte confessus fuerit, occulte fiat: Et si publice ac manifeste convictus aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta Canonicos pœniteat gradus. Pœnitentiale Romanum tit. 7. c. 12. *Sprevisti Missam, vel orationem, vel oblationem conjugati Presbyteri, ita dico ut nolles tua peccata sibi confiteri vel ab eo accipere Corpus & Sanguinem Domini, ob hoc quia peccator tibi esse videretur, uno anno pœniteas in pane & aqua per legitimas ferias* Magna parte caput hoc desumptum est ex Canone 4. Concilii Gangrensis. Idem Pœnitentiale Romanum tit. 8. c. 3. ex *Symmacho* Papa. *Omnes, quos in Pœnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut ipsi quos vel nobis suscipientibus vel sub trinae mersionis vocabulo mergentibus, unda sacri baptismatis regeneraverit. Sylvester* quoque docet & monet unumquemque Sacerdotum, ut nullus causa fornicationis ad suam pœnitentialem accedat. Eodem Pœnitentiali Romano tit. 9. cap. 28. ex Pœnitentiali *Theodori* de quo dicemus. *Item qui jejunare non potest & observare quod in Pœnitentiali scriptum est faciat hoc quod Sanctus Bonifacius constituit. Pro uno die, quem in Pane & aqua jejunare debet, roget Presbyterum ut Missam cantet pro eo, nisi sint Crimina Capitalia, quae confessa, prius lavari cum lacrymis debent; Cantare Missam*, quod vulgus nostratum usurpat, veteres dixisse hoc loco adverte, ut quanquam haec, qua de agitur, privata exsisteret Missa, nihilominus ab solemniori & digniori illius actione atque celebratione designetur. Concil. Nannetense cap. 5. *Infirmus qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit sanitatemque reddiderit secundum qualitatem delicti omnibus pœniteat*. Britannis sive Anglo-Saxonibus familiarem fuisse confessionem privatam, praeter Bedam clarissimum illius gentis sydus, testatur *Theodorus*, Graecus homo Archiepiscopus Cantuariensis, a *Vitaliano* P.R. in illam Insulam missus ante annos nongentos & quod excurrit, unde lapsus videtur Scriptor Illustrissimus qui Theodorum istum post Concilium 2. Cabilonense, quod sub *Carolo* Magno habitum scripsisse & proinde vixisse prodit cum totis centum & quinquaginta annis istud antecesserit. Is scripsit Pœnitentiale, cujus varia exstant fragmenta in Pœnitentiali Romano posteriori, unde Confessionis secretae praxim apud illam gentem facile colligimus. Apud Hispanos Confessionis secretae usum antiquissimum fuisse unicum Concilium Eliberitanum quod Nicaenum primum antecessit, satis indicat, Canone 32. *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit placuit agere pœnitentiam non debere sed potius apud Episcopum*. Nihil enim aliud sibi volunt Episcopi Hispani, quam publica & gravissima delicta nonnisi ab Episcopo examinanda, sin autem occulta & quae publicam non mereantur pœnitentiam, a Sacerdote, beneficio Confessionis privatae explorari & expendi posse. Mitto posteriora Concilia Hispanica quae rem istam plus satis confirmant. Nec velim Concilii Ilerdensis c. 10. commemorare, quod quidem licet a *Burchardo* citetur lib. 19. c. 150. attamen vereor, ut non sit germanum hujus Concilii decretum, quod in excusis omnibus Conciliis desideratur, ex *Rabani Mauri* Pœnitentiali illud antea exscripsimus. In Affricam ex Hispania trajicio, in qua jam olim observatam privatam Confessionem deprehendo, fidemque faciet *Fulgentius Ferandus* Ecclesiae Carthaginensis Diaconus in breviatione Canonum c. 73. ex Concil. Carthaginensi tit. 2. ut Episcopus a Communione non suspendat eum, quem asserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum. Est autem desumptum caput ex Concil. 7. Carthaginensi c. 5. Exstat Concil. Carthaginense Graec. c. 133. B. *Augustinus* apud *Burchard*. lib. 19. c. 36. Occulte peccantes, occulte apud Sacerdotes confiteri debere docet: Ex dictis *Augustini Burchardus* profert, *Si quis incestum occulte commiserit, & Sacerdoti occulte Confessionem egerit, indicetur ei remedium Canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset*. Quid de ea re B. Augustinus senserit a permultis demonstratum est. Sed quae sit totius Ecclesiae Affricanae de secreta Confessione sententia, ex uno Concilii 4. Carthaginensis, ut antiquissimi, ita Episcoporum numero celeberrimi

c. 74.

c. 74. apparet, ut *Sacerdos pœnitentiam implorantí absque personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat*. Ad quam pœnitentiam implorare seu postulare potuit aliquis alicujus, criminis conscius, nisi prius exposito privatim apud Sacerdotem crimine, cujus causa illi pœna Canonica erat subeunda *Balsamo* ad Can. 7. Con. Carthaginensis Græcorum cum & superiori & eo Canone vetitum sit, ne quis Sacerdos pœnitentem publice reconciliet, nisi vel absente Episcopo, vel urgente necessitate nihil aliud *reconciliare* significare dicit, quam usum divinorum sacramentorum concedere post Confessionem, & auditas supputationes seu enumerationes delictorum ipsorum pœnitentium. Absolvam universæ Ecclesiæ Latinæ de Confessione secreta sententiam, aurea *Alcuini*, Magni illius *Caroli* Francor. Regis & Imperatoris amantissimi præceptoris, Epist. 26. quæ ad Episcopos & Clericos provinciæ Scotorum scripta cui altera gemina germana, eodem Auctore *Alcuino*, ad pueros S. *Martini* Turonensis, scripta adtexenda est, & quidem eodem sensu. Utramque primus, bono Ecclesiæ Catholicæ, publicavit *Henricus* Canisius cum cæteris tom. 1. & 5. Antiquarum. Priori Epistolæ scribendæ occasionem dedit erroneum dogma, quod plurimorum mentes tota, forsan Britannia majore, cujus partem postremam Scoti occupant, infecerat, erat autem ejusmodi. *Nullum Laicum Sacerdotibus peccata confiteri debere*. Confutat autem *Alcuinus* pravam istam opinionem multis rationibus. Primo, quod Sacerdotes a Deo Christo cum Sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credamus. Et quoniam supra variis locis, ex Capitularib. depromptis, satis superque demonstratum est Sacerdotum esse, pœnitentibus delicta confitentibus, pœnitentiam indicere, neque tamen omnibus iis locis, absolutionis fiat mentio, quæ Sacerdotum auctoritatem præcipue commendet, & qua una pœnitentiæ speciale robur consistit; Caput unicum proferam ex ipsis Capitularibus, quo mirum in modum Catholica de ea re doctrina firmatur atque illustratur. Capitul. li. 5. c. 52. *Ideo Dominus & Magister noster discipulis suis ac successoribus eorum (Sacerdotibus) ligandi ac solvendi dedit potestatem, ut peccatores ligandi habeant potestatem, & pœnitentiam condigne agentes absolvi, atque peccata, cum divina invocatione, dimitti queant. Nec mirum hoc, quæ si homines servis suis dent potestatem, de subditis ligandi & solvendi vel nocendi & adiuvandi apud se, quanto magis Dominus omnium hominum, hanc* Potestative *potestatem præpositis Sanctæ Ecclesiæ dedit, dicens, Joan.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt*. Non aliter *Pacianus* Barcinonensis Epist. 1. ad *Symproxianum*. *Quod per Sacerdotes suos facit Deus, ipsius potestas est*, Epistol. 3. *sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxemus, Christo id auctore facimus*. Paulo ante. *Quod ego facio, id non meo jure, sed Domini Dei sumus adjutores*. 1. Cor. 3. Porro verbum istud *Potestative* eleganter exprimunt Græci voce ἐξουσιαστικῶς, *efficaciter*, cum de hac re loquuntur, ut videre est Juris Græco-Romani lib. 5. in responsis *Balsamonis*, & id postea expendemus. Secundo pergit *Alcuinus*. *Quid solvit Sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati?* Istud explanat a simili; *Cessabunt opera Medicorum si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis Carnalis Medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ, spiritualis medici solatia deposcunt*. Sacerdotes appellari medicos animæ ex priscis Patribus notum est, & nos ex Conciliis supra nonihil indicavimus. Tertio urget *Alcuinus* quanquam illi faterentur Deo esse confitenda delicta; *sed*, inquit ille, *Ecclesiæ Christi in qua ipsi peccarunt satisfaciendum est, quod nonnisi admissorum criminum enunciatione fieri potest*. Quarto Christi exemplo id comprobat; *Christus leprosum quem mundavit Sacerdotibus se jussit ostendere: Nempe ut secundum Legem veterem, Levitici non uno loco, Sacerdotem adeat, cui victimam pro peccato offerendam tradat. At quæ sunt nostræ victimæ pro peccatis a nobis commissis, nisi confessio peccatorum nostrorum, quam pure Deo per Sacerdotem offerre debemus. Superbiæ hoc genus esse videtur Sacerdotem Judicem despicere*. Quinto, præceptum istud Divinum Christi esse testatur, Jacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra. Quid est alterutrum*, inquit, *nisi homo homini, reus Judici, ægrotus medico*. Sexto *si peccata Sacerdotibus non sunt prodenda, quare,*

in

in Sacramentario, reconciliationis orationes scriptæ sunt? Quomodo Sacerdos reconciliat, quem peccare non novit? septimo inaniter posita sunt in Ecclesiis remedia, & Synodali auctoritate litteris mandata, contra omnium peccatorum nostrorum vulnera. Sequimini vestigia Sanctorum Patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem novas inducere sectas.

G R Æ C A.

Et iis affinia.

III. Græcos Confessionem secretam & privatam non semper probasse imo vero damnasse aliquando, & penitus rejecisse multis persuasum est hactenus & doctis & indoctis magno errore*. Hæc sententia a vero aliena, ex loco *Gratiani*, de Pœnitentia, d. 1. C. ultimo, nata videtur, qui est ejusmodi. *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci*. Voces illas postremas (*ut Greci*) merum esse glossema primus indicavit *Antonius Augustinus*, suamque firmavit emendationem auctoritate Concilii Cabilonensis 2. & Capitularium, in quibus totus hic locus describitur. Mirum certe Jurisconsultorum nostri ævi principem, sua Concione de Confessione mendum istud non advertisse, imo vero illud summo viro ita imposuisse ut existimaverit ex facto *Nectarii* Constantinopolitani Patriarchæ, de quo historiæ Ecclesiasticæ Scriptores *Socrates*, & *Sozomenus* post eum, Confessionem illam privatam, & clancularem toto exulasse Oriente. Quod an verum sit, inquirendum nobis est, & illud in primis observandum ad *Nectarii* usque tempora, retro actis ante sæculis, Confessionem illam secretam in usu fuisse, quod *Socrates*, & *Sozomenus* satis aperte indicant hic lib. 7. c. 16. ille lib. 5. c. 19. Sed hæc vulgata. Postmodum istius generis confessionem servatam nec Græcos, & ceteros Orientalis Ecclesiæ populos illa caruisse ex multis apertissime demonstrari potest. Quod antequam præstemus, operæ pretium me facturum arbitror si erroris istius originem investigavero, & a quibus profecta sit illa, de peccatis soli Deo, non autem hominibus, confitendis & declarandis, opinio non levibus & obscuris indagavero conjecturis. Novatianæ hæreseos hanc esse propaginem mihi facile persuadeo, istasque impii dogmatis reliquias, per Gallias & hinc in Britannia majore, facile disseminari potuisse. Novatiani ajebant, mortale peccatum Ecclesiam donare seu remittere non posse, solum Deum posse, huic uni honorem illum tribuendum, ut ei soli delicta confiteamur nostra, & quam Christus Apostolis & successoribus ligandi & solvendi potestatem adtribuit, eam non ad fideles baptizatos, sed ad Catechumenos spectare, nimirum ut baptizandis adhuc populis solvi liceret crimina vel teneri. Hæc *Pacianus* Barcinonensis Episcopus Epist. 2. & 3. ad *Sympronianum*. Inde procul dubio nata est, cujus meminit *Alcuinus* Epistola superius citata, sententia. Neminem ex Laicis Confessionem Sacerdotibus dare debere, seu existimarint ipsi contumeliam eo pacto irrogari Deo, seu quod Sacerdotibus remittendorum delictorum auctoritatem, & facultatem inesse negaverint. Quis vero fuerit totius Orientalis Ecclesiæ sensus, nunc explicemus, quem a primis temporibus ad hoc usque ævi perdurasse liquido constabit. Confessionem secretam toto Oriente usitatam, continua sæculorum serie retentam, illud vel maxime probat, quod Presbyteri in omnibus Ecclesiis instituti fuerint qui Confessionibus excipiendis & pœnitentiis indicendis præfecti essent. At ne quis arbitretur ex *Socratis* & *Sozomeni* historia id nonnisi referendum ad eos Presbyteros, qui Episcoporum nutu & auctoritate publicam pœnitentibus indicerent pœnitentiam: Ex *Socrate* duo sunt observanda, primum exorta Novatianorum hæresi, Ecclesiæ Catholicæ Episcopos statuisse Canonem seu regulam, qua profanum istud dogma conficeretur, nimirum lapsis, si ad frugem redirent, & peccatum confiterentur, dandam esse veniam: quod ut facilius intelligatur, licet innumeri de re ista disseruerint, tamen pauca subjiciam, quæ non parum lucis institutæ huic disputationi ni fallor, afferent. B. *Chrysostomus* in c. 10. ad Hebræos, qualis esset Novatianorum doctrina, pœne ex ipsorum ore sic exprimit. *Non est tuum mysteria*, idest *Eucharistiam*, præbere iis *qui peccaverunt*, *quia non est altera remissio*. Quasi dicerent Novatiani, baptizatis tuto & legitime Eucharistiam præbemus, quia baptismi beneficio

ficio integram & perfectissimam peccatorum omnium remissionem & veniam consecuti sunt. At vero iis qui post baptismum in peccatum lapsi sunt, non licet Eucharistiam præbere, quia non habet Ecclesia alterum Sacramentum, Baptismo persimile, cujus vi & efficacia peccatores remissionem adipiscantur. Ita ut tota controversia in eo posita esset: An Christus reliquerit Ecclesiæ suæ Sacramentum aliquod, ad reconciliandum relapsos, sive illud, prisca voce, Pœnitentia vocetur, seu vulgato apud nos vocabulo, Sacramentum Pœnitentiæ, quemadmodum instituit baptismum, ad integerrimam ejus qui baptizatur renovationem, plenamque delictorum omnium purgationem & remissionem. Illud Novatiani pernegabant, cui Canonem illum seu regulam Patres Ecclesiæ, ex adverso opposuerunt, *lapsis*, nimirum, *pœnitentibus*, *veniam concedendam*. Huic Canoni appendicem adjunxerunt Episcopi, qua instituerunt Presbyterum aliquem, qui lapsos, confitentes & pœnitentes absolveret atque reconciliaret. Ex facto *Nectarii*, sublata est appendix, quantum ad Presbyterum illum, Pœnitentibus publicis præfectum, remansit Canon, *de reconciliandis lapsis*, alioqnin *Nectarius*, & qui eum sunt imitati, in Novatianorum hæresim incidissent, quod nullus adhuc dixit, nec a quoquam scriptum est. Hinc locus apud *Socratem*, qui alioquin subobscurus videtur, nullo negotio explicatur. Tum enim sublato illo Presbytero, *Nectarius* liberam dedit potestatem uti pro sua quisque conscientia ad Mysteria participanda sc. Eucharistiam, accederet, hoc est liberum unicuique fecit, redeundi ad solutam & veterem illam facultatem & licentiam eligendi e multis Presbyteris quemlibet, pro cujusque arbitrio, affectu & conscientia. Is autem præantiquus fuit Ecclesiæ mos, & quidem ante Novatianorum exortam hæresim. Cujus rei insigne exstat testimonium apud *Euseb.* lib. 6. c. 43. Narrat *Dionysius* Alexandrinus Episcopus, *Serapionem* quendam senem, in Idololatriam tempore persecutionis lapsum graviter ægrotantem postquam toto triduo omnium sensuum muniis privatus jacuisset, & quarto die aliquantum respirasset, aliquem ex presbyteris accersivisse, qui illum absolveret & reconciliaret. Sic enim *Dionysius* Alexandrinus, postquam testatur *Serapionem* accepta Eucharistia illico expirasse, concludit, senem istum tandiu in vita conservatum fuisse, & permansisse donec absolveretur, & a peccato liberatus propter bona quæ fecerat confiteri posset. Rem vero ita se habere, illud maxime declarat quod vel ab ipsius Ecclesiæ veteris temporibus, ad nostra usque tempora Græci πνευματικοὺς appellarunt, qui exciperent privatas, eorum qui deliquissent, Confessiones. Aperte istud legere est apud B. *Ephrem* sanctissimum virum, nec parum B. *Basilio* laudatum, tractatu quem scripsit in illud, *Attende tibi*, c. 9. ad finem, ubi diserte viros spirituales πνευματικοὺς memorat, apud quos peccatores sua sponte delicta confiteantur. *Athanasius* Patriarcha Constantinopolitanus Epistola ad Episcopos proficientes ad suas Diœceses, vetat cuiquam SS. Eucharistiam dari sine probatione ac sine permissu, & concessu Patris Spiritualis. Juris Græco-Romani lib. 6. qui est lib. 2. Respons. in Responsis *Petri* Chartularii Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ quæritur an bonum sit confiteri peccata πνευματικοῖς ἀνδράσιν, spiritualibus viris. Respond. Id bonum esse & valde utile. Eodem libro, exstat formula pro eo qui πατὴρ πνευματικὸς, Pater spiritualis fieri debet. Idem lib. 3. qui est primus sententiarum Synodalium docetur a quo πατέρες πνευματικοὶ, Patres Spirituales, instituerentur, quæ omnia deinceps explicabimus. Ita appellatio etiam hoc tempore a Græcis constanter retenta est, ut videre est variis Turco-Græciæ locis. Nunc vero de ipsa re agamus: Solis Episcopis ligandi atque solvendi potestatem attributam Græci scriptores nonnulli docuerunt, ut *Balsamo* in Canonem 14. Conc. Nicæni in Can. 1. Synodi Constantinopolitanæ quæ vocatur Prima-secunda, in Can. 6. Concilii Carthaginensis, Græcorum, & in Can. 7. & 46. ejusdem Concilii, si de δυνάμει, & facultate agatur, certum est unicuique Sacerdoti illam ex vi ordinis suscepti competere, at in quem exerceat jus illud, non nisi ab Episcopo id consequi, a quo Jurisdictionem obtineat, B. *Basilius* Epistolæ ad *Am-*

Amphilochium c. 34. describit qualis pœnitentia indicenda sit mulieri quæ adulterium commiserit, si modo ipsa vel crimen confessa sit vel convicta. Ad quem locum, *Balsamo* apertissime, Confessionem illam nonnisi secretam exponit & ei congruentem pœnitentiam, id est, occultam indici, sic autem habet, latina versione. Adulteri secundum 58. Canonem, ejusdem B. *Basilii* stant quatuor annis cum flentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum supplicibus, & duobus cum iis qui consistunt absque Communione. Dicit ergo Sanctus, si quæ adultera mulier, peccatum confessa fuerit, vel quomodocunque convicta sit, non oportet eam publicare, idest eam in dictarum pœnarum locis statuere. Qui enim eam viderit extra divinos Ecclesiæ ambitus stantem, vel etiam cum Catechumenis exeuntem, primo aspectu intelliget omnino propter adulterii crimen eam illi esse pœnam injunctam, & fiet hujusmodi punitio Ecclesiastica, causa mortis post futurum forte viri reditum, qui id animadverterit. Paulo post explicat ipse *Balsamo*, quo pacto mulier illa peccatum confessa sit, vel convicta dicatur, ne quis palam & publice, adductis testibus fide dignis convictam putet. *Convinci*, inquit, *mulieres*, *non debes accipere de omnibus nota probatione*, hoc est *sive mulier sua sponte confessa sit*, *vel ut etiam a pariendi periculo coacta est*, *vel alio aliquo modo*, *clanculum & non publice*. B. *Gregorius* Nyssenus Epistola ad Latojum Episcopum Mitylenes c. 6. pœnam irrogat canonicam ei qui rem alienam clam surripuerit, & peccatum istud per enunciationem, Sacerdoti aperuit, quod secretæ Confessionis beneficio fieri solet. Totus Neustetæ Nomocanon, in Sacerdote, qui Confessiones peccatorum excipiat, instruendo versatur. Juris Græco-Romani lib. 5. in Responsis *Theodori* Balsamonis, Interrogat. 19. quæritur, *An Sacerdos sæcularis recte Confessiones aliquorum hominum*, *cum permissu Episcopi*, *suscipiat*. Respondet Patriarcha ille Antiochenus, hoc modo: *Divini Canones*, *qui Confessionem reconciliationis*, *Sacerdotibus*, *cum Episcopali venia committunt*, *multo antiquiores sunt Sancto Pachomio*, *qui dignus habitus est*, *ut per visionem Angelicam monachorum habitum videret*. *Quamobrem Monachorum nusquam meminerunt*, *sed Presbyterorum simpliciter*; *Episcopali ergo judicio sæcularibus Sacerdotibus jus Confessionis efficaciter concedetur*, *& per eam reconciliatio pœnitentium*. Duobus locis scilicet in interrogatione & responsione, usurpat vocem, λαϊκός, pro *sæculari*, nec enim credendum est, *Balsamonem* intelligere velle laicum, ut nos vulgo appellamus, hoc est profanum, nec sacris ordinibus initiatum. Interim observare licet *Balsamonis* querelam de Monachis, qui totam hanc audiendarum Confessionum provinciam sibi vendicabant, quam querimoniam variis locis repetit ipse *Balsamo*. Et quidem ad Canonem sextum Concilii Carthaginensis Græcorum, ut vertit *Gentianus Hervetus*, ita scribit: *hominum supputationes non suscipere Sacerdotes*, *sæculares nimirum*, *sed solos Monachos Sacerdotes*, *iniquum est*. *Puto autem quod ex hypocrisi hoc ab eis usurpatum sit*, *& propterea tarde omnino* (*nolo enim dicere nullo modo*) *quis Episcopo vel Sacerdoti*, *qui non sit Monachus suam supputationem credit*, *quod quidem Episcopis & Sacerdotibus est beatissimum*, *Monachis autem est periculosissimum*. Hæc Græculus iste, paulo iniquior Monachis. Quanquam *Balduinus*, primus Latinorum Imperator Constantinopolitanus, in edicto Græcos reprehendat, quod apud eos submotis Sacerdotibus (sæcularibus) Monachi totam ligandi atque solvendi auctoritatem sibi vendicabant. Interim supputationes vertit *Gentianus* quas Græci vocant λογισμοὺς, alii ratiocinia, alii supputationes vertunt, quæ vox non uno loco occurrit, libro sexto Juris Græco-Romani, nec aliud significat quam enumerationem delictorum, quam facit apud Sacerdotem is qui secretam instituit Confessionem. *Balsamo* ut sibi semper constet, ad Canonem 14. Synodi septimæ, quæ est Nicæna secunda, quærit *an Abbates sine Episcopali permissione Monachorum suorum & aliorum Confessiones audire merito possint*: id pernegat, solis enim Episcopis, vel Sacerdotibus, eorum venia id licere contendit. Ita tamen ut Abbates duplicis generis faciat *Balsamo*, eo loco. Quosdam Sacerdotes, alios profanos & sacris minime ini-

initiatos, quos recte Monasteriis præfici, Græcus ipse profitetur, depravato equidem Imperii Bizantini tunc temporis statu; atque iis non aliam attribui auctoritatem quam fœminis, quæ Sanctimonialium Monasteriis præficiuntur, quibus nec Confessiones suarum Monialium audire, nec Lectores facere liceat. Ita nec illis laicis Abbatibus, quandoquidem neutri apti sunt & idonei quibus ista permittant Episcopi. Sed lepida ejus rei narratio habetur apud eundem *Balsamonem*, Juris Græco-Romani lib. 5. in responsis, Interrog. 34. *Quædam muliebrium Monasteriorum Præfectæ, Episcopalem permissum requirunt, ut sibi subditarum Monialium Confessiones suscipiant. Quid non & Græca & muliebris ambitio suadet? Respondet Patriarcha Antiochenus, solis tributum esse Sacerdotibus, Confitentium suscipere ratiocinia seu enumerationes, cum Episcopali permissu. Si igitur non sacratus Præfectus (alicuius Monasterii) nec cum Episcopali permissu id facere potest, multo minus istud Præfectæ concessum erit, & si virtus ejus Solem splendore superet.* Juris Græco-Romani lib. 6. in Responsis *Petri* Chartularii S. *Sophiæ* Constantinopolit. quæritur: *an conducat peccata confiteri viris spiritualibus*, hoc est Sacerdotibus, *quibus id concessum ab Episcopo*. Respondetur id faciendum & quidem petito atque experto qui medicinam habeat congruentem, absque verecundia & cum fide, ita ut ei Confessio fiat non tamquam homini, sed velut Domino. Exstat Juris Græco-Romani lib. 3. decretum Germani Pattiarchæ Constantinopoli ani, quo Exarcho, seu Vicario aut Legato suo, jus attribuit instituendorum Patrum spiritualium, πνευματικῶν, qui λογισμοὺς supputationes, & annumerationes peccatorum suscipiant, atque adeo formula mandati quod dabatur ei, qui πατὴρ πνευματικὸς, Pater spiritualis instituebatur, descripta est lib. 6. Juris Græco-Romani. De sigillo Confessionis quid Græci senserint, ostendimus jam in Commentario nostro de Sacra Episcoporum auctoritate, quibus addo locum apud *Balsamonem* in Can. 133. Concilii Carthaginensis, Græca collectione; Cum eo canone diserte habeatur, Episcopum injuste agere, qui eum a Communione removerit, qui illi soli crimen confessus sit, notandum Canonem admonet *Balsamo* propter Episcopos & Monachos, qui hominum Confessiones & supputationes peccatorum audiunt & testimonium ferunt adversus eos qui dicuntur fecisse apud eos Confessionem criminis: subjungit & istud, *Sanctissimus Patriarcha Lucas excommunicationis pœnæ subjecit Monasterii cujusdam Præfectum, qui fuerat Archiepiscopus Heracleæ, quod tale testimonium tulisset adversus suum spiritualem filium, id est eum, cujus Confessionem secretam exceperat. Nota*, inquit ille, *de Antistitibus & Monachis qui hominum Confessiones audiunt & ea in lucem proferunt quæ dicuntur ab iis qui confitentur*. Sed hæc hominis levitas. Quo vero ætatis anno apud Græcos pueri peccata confiteri tenerentur non inutile & supervacaneum erit inquirere. Exstat *Timothei* Patriarchæ Alexandrini Canonicum responsum, quod multo clarius est apud *Harmenopulum*, in sui Juris Canonici Epitome, quam in editione *Gentiani* Herveti. Est autem ejusmodi. *Quibusdam hominibus, ab anno ætatis duodecimo, peccata æstimantur; in aliis ab ætate provectiore & maturiore, pro cognitione scilicet atque intelligentia cujusque*. Sequitur scholion. *Nonnulli tradunt tam masculos, quam femellas, posteaquam sextum ætatis annum impleverint per Confessionem corrigi atque sanctificari. Certum est, cum pueri capaces doli judicantur, tum ad annos discretionis pervenisse, ac proinde Confessioni faciendæ delictorum obnoxios esse*. At non est una omnium ratio & dispositio quin potius latum discrimen, quod satis acute distinguit *Balsamo* ad responsum ultimum *Timothei* Alexandrini: *Alii siquidem sunt acrioris & vigilantioris naturæ in bonis & malis discernendis, quibus Deus peccatum reputet anno ætatis septimo. Nonnulli vero sunt hebetiores & tardioris ingenii, quibus a majori ætate peccatum reputetur*. Longe subtilius ille idem *Balsamo* in Photii Nomocanonem tit. 5. c. 13. Impuberes in triplici differentia constituit. Primi generis sunt infantes, Impuberes qui loqui non possunt, & jam complent triennium, & ii non sunt doli capaces, nec crimini obnoxii. Secundi generis sunt proximi infantiæ, qui propemodum plene &

Ee 2 per-

perfecte loquuntur, & is gradus a triennio ad septimum usque annum protenditur, nec dum tam completum, ita ut nec doli capaces habeantur, utpote annis septem minores. Tertii generis sunt qui septimum ætatis annum compleverint, & ad decimum quartum usque ætatis annum se se extendant, qui idcirco quia pubertati proximi, si quod crimen admiserint puniantur. Verum ut ad institutam redeamus disputationem, quid de ea re statuendum sibi videatur explicat ipse *Balsamo*, Juris Græco-Romani lib. 5. in responsis ejusdem *Balsamonis*, Interrogat. 48. quæ est ejusmodi. *Quot annorum mus aut fœmina admittatur ad Confessionem.* Respons. *Leges quidem delictis impuberum condonandam esse dicunt; Impuberes autem sunt, mares quidem qui decimum quartum annum nondum impleverunt, fœminæ vero ante duodecim annos. Foran igitur dixerit aliquis post duodecimum, & decimum quartum ætatis annos, eos debere peccata sua declarare utpote delictorum judicium subeuntes, & plurimorum peccatorum patrandorum capaces. Nos autem & ab ipsa experientia, & ab iis, quæ, talium causa, per varia tempora synodico decreta sunt, consulimus, ut post sextum annum, mares & fœminæ, per Confessiones emendari & sanctificari debeant.* Græcam religionem magna parte sectari Ruthenos & Moscos pervulgatum est, atque idcirco Confessionem secretam & auricularem illos probare nemini dubium esse debet, quamquam suos habeant ea in re casus & ritus peculiares. Siquidem, apud Ruthenos seu Russos, in Templi cujusdam medio Sacerdos Pœnitentis Confessionem audire solet, cui sæpius etiam signum crucis imprimit, pœnitens vicissim multoties repetit illud, *Jesu Christe fili Dei vivi miserere nostri*. Interim si pœnitens aliquanto gravius crimen admiserit, abluitur aqua consecrata in Epiphania Domini, quæ in illorum Templis asservari solet, ut testatur *Alexander* Guaguinus Veronensis in Sarmatia Europæa. Moscorum vero seu Moscovitarum non alia religio est, apud quos pueri, cum ad annos discretionis pervenerint, ad pedes Sacerdotis procidere consueverunt, & in aurem illi omnia peccata sua confiteri idque in festo Paschatis. At natu grandiores sæpius & præsertim festis solemnibus, quemadmodum scribit *Joannes* Faber *Ferdinando* Romanorum Regi, a Confessionibus, libro de religione Moscovitarum.

ÆGYPTIACA, ÆTHYOPICA.

IV. Ægyptiorum qualis circa Confessionem auricularem sententia fuerit, nec certius, nec facilius dignosci potest, quam ex Ecclesia Æthyopica, quæ nihil aliud erat quam Ecclesiæ Alexandrinæ Ægypti surculus. Et certe Æthyopes fatentur summum apud illos Episcopum, quem lingua Æthyopica vocant, *Abuna*, Alvaresius *Abima*, ni sit corruptus Codex Hispanicus, certe in Miscellaneis Æthyopicis *Ramusii*, tom. 1. navigat. constanter legitur *Abbuna*, vel *Abuna*, nonnisi a Patriarcha Alexandrino, olim institui solitum. Quid vero Æthyopes de Confessione secreta senserint, tum ex professione fidei ipsorum, Concilio Florentino sub *Eugenio* quarto, exhibita, cum ex illorum consuetudine & more aperte colligitur. In illa fidei professione hæc habentur. Confessionem vocalem omnium peccatorum credo faciendam esse apud Sacerdotem, cujus precibus per Christum Dominum nostrum, salutem animæ meæ spero me consecuturum. Dicunt Æthyopes Confessionem auricularem esse Juris divini, & Apostolos veluti a Christo constitutam, promulgasse & expressisse suis illis octo libris. Non alio intelligendos esse puto, libros istos, quam Constitutionum Apostolicarum libros octo, quos lingua Æthyopica, vocant *Manda & Abethilis*; nisi quis Canones Apostolorum iis octo libris adjungere velit. Est autem Confessionis secretæ apud Æthyopes faciendæ ritus priscus, & quidem ante Lusitanorum Æthyopiam adventum, nec tamen unius modi. Nonnulli enim ita se componunt, ut Pœnitens stans Sacerdoti stanti in aurem quæ admiserit peccata enunciet. Alii vero aliter, dum, nostro more pœnitens genibus flexis apud Sacerdotem, sedentem tanquam Judicem, delicta confitetur. Confessarium electum nunquam mutant, quin si abesse & aliquo proficisci cogatur, alteri vices suas committit, & ubi redierit, illum

lum rursus adeunt, qui solebant antea illi peccata confiteri. Si quis apud illos palam & coram testibus peccatum aliquod admiserit, confessionem nonnisi summo cum scandalo differre poterat. Nullus est apud illos tam parum pius qui non bis unaquaque die Confessionem secretam instituat. Cum pœnitentes ad Sacerdotem accedunt, peccata sua confessuri, antequam inchoent confessionem, versus aliquot recitant e Psalmo 68. videlicet, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi & non est substantia; Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me; Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, Defecerunt oculi mei dum spero in Deum.* Sex peccata mortalia constituunt, Crudelitatem, Maleficium, Impudicitiam, Homicidium, Idololatriam & Mendacium, ad quæ cetera revocant, ajuntque se niti Scripturæ auctoritate. Apocalypsis Cap. 22. *foris canes & venefici impudici & Homicidæ & Idolis servientes & omnis qui amat, & facit mendacium.* Casus reservatos non norunt, sed Confessarii a quibusvis peccatis pœnitentes absolvunt. Nec tamen temere & sine ullo judicio absolutionem impendunt; Veruntamen Beati *Basilii* & aliorum Patrum Græcorum Canones pœnitentiales observant, quos ex illorum libris, qui apud ipsos Æthyopes reperiuntur colligunt; ita ut citra controversiam appareat omnem illam doctrinam Christianam Æthyopes ab ipsa Alexandrina Ecclesia hausisse. Ista partim produnt *Damianus* Goesius Lusitanus, libello de legatione Æthyopica, & *Ludovicus* Varrerius Dominicanus in historia Æthyopica, nonnulla *Franciscus* Alveresius in Æthyopica historia, verum dissentit aliquantum, in eo præsertim cum scribit Æthyopes non raro sacram Eucharistiam percipere absque ulla antecedente, & prævia peccatorum Confessione, in quo ab ipso Alvaresio, & aliis Lusitanis reprehensi fuerunt.

VIS VERITATIS.

V. Magnam vim veritatis esse etiam veritatis ipsius hostes, vel inviti comprobant; quod vel in ea, qua de agitur, controversia potissimum animadvertitur, si quidem Sectariorum nostri sæculi majores & Antesignani, Confessionem secretam retinuerunt, nec sine ratione. Rokizana, præcipuus Hussitarum in Boemia Minister, in Tractatu de septem Sacramentis, quem edidit Cochlæus, & historiæ Hussitarum adtexuit, Cap. 17. docet aperte Confessionem auricularem Sanctæ Scripturæ auctoritate niti, profertque locum præsertim Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* "*Nisi enim, inquit*, hæc Confessio „ haberet efficaciam, videretur quod Christus superflue dedisset apostolis & succedentibus Sacerdotibus Clavium potestatem. Ad quid rogo concessit Apostolis „ Christus potestatem ligandi peccata, nisi ostensio eorum Sacerdoti solventi ac liganti faceret ipsa crimina esse nota? " Citat in eam rem *Augustinum, Gregorium, Basilium*, imo & *Clementem* Romanum Beati *Petri* discipulum: Concludit tandem, Confessionem secretam esse medicinam theriacam, contra peccatum commissum hominis abluendum, & specialem præservantiam, ne homo iterum incidat in peccatum. Ille idem Rokizana cap. 19. ejusdem tractatus, profert varia *Joannis Wicleph* testimonia, pro septem Sacramentis & quantum ad Sacramentum pœnitentiæ spectat, subjungit Wicleph, explicantem locum istum *Jacobi* 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, hæc pronunciasse: *oportet recipere Sacramentum Pœnitentiæ, pro mortalibus abluendis, confitendo, non solum Deo, sed & homini in Casu. Et cum specialiter confitendum sit Vicario Christi, qui mediat inter Deum & hominem, ordinarunt posteri Confessionem auricularem.* Longe aberrat dum Confessionis ipsius institutionem ad posteros revocat; cum vel ab ipsius Ecclesiæ incunabulis usitatam legamus. Majores dicere debuit, Apostolos, scilicet, quo ad promulgationem post Christum auctorem, sed hoc imperitiæ illius tribuendum est. Quin Germaniæ Cothurnus Melanchthon in explicatione Confessionis Augustanæ, Capite de Confessione & Absolutione: *Nos Confessionem retinemus præcipue propter absolutionem.* Paulo post: *quare impium esset ex Ecclesia privatam absolutionem tollere,*

neque

neque quid sit remissio peccatorum, aut potestas clavium intelligunt, qui privatam absolutionem aspernantur. Certe perpetuus ille gentium Christianarum, & sæculorum post Christi Evangelium promulgatum consensus, quam Christiani Catholici tuentur de Confessione auriculari Doctrinam nonnisi Apostolicam habendam esse demonstrat, quin Beza imprudens rem ita conficit, dum Tractatu de Notis Ecclesiæ scribit doctrinam, quæ sit nota Ecclesiæ, eam esse debere quæ communi consensu Ecclesiarum recepta sit. Istud in demonstrando Confessionis secretæ apud omnes omnium populorum, qui Christo fidem dederunt, Ecclesias, usu, tam aperte & dilucide evicimus, ut nemo ni malus, ni stultus, ni indomitus impotque animi, amplius dubitare possit.

JOHANNIS FILESACI

De Ordine Canonici Theologo, & Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus.

DISSERTATIO XXXI.

§. I.

EPiscopos olim concionari solitos diximus ad caput primum, & illis ex officio istud incumbere palam est. Græci olim accurate illud observabant, & ejus rei gratia non licebat Episcopis abesse a grege suo sex mensium spatio, ait *Athanasius* Patriarcha Constantinop. Epistola 2. ad Episcopum Apameæ. Apud *Julianum* Antecessorem *Justinianus* Imp. annuale spatium constituit Novell. 6. l. 25. Novell. 115. l. 437. vetatque Oeconomos Ecclesiæ, eis impensas subministrare, si annum excedant, quod habet etiam Novell. 61. l. 206. adduntque & Imp. & Patriarcha, si post anni absentiam moniti ad suam Ecclesiam non redierint ab Episcopatu removendos. *Balsamo* in c. 16. Synodi provincialis 1. 2. ait abesse posse sex mensibus suorum negotiorum causa, non autem anno integro, nisi ab Imperatore, & Patriarcha detineantur, sed ad rem, dico Episcopos consuevisse ex ambone verba facere, refert Concil. Lateranens. sub *Martino* P. Rom. & Concil. Trull. c. 33. Ac Conciones ejusmodi vocantur veteribus ὁμιλίαι, Allocutiones, Tractatus, Sermones &c. Permissum deinde Presbyteris, quanquam non passim nec in quibuslibet Ecclesiis, Diaconis olim id concessum, sed raro. Concilium Ancyranum meminit c. 2. nisi dictio ὁμιλεῖν non tam concionari significet quam ex scripto homilias Patrum recitare. Quo vero tempore & quibus diebus Conciones haberi debeant indicatur Concil. Trull. c. 19. diebus præsertim Dominicis quibus populus convenire solet & vetat Canon, ne Episcopi doceant quæ nimiam continent digressionem & quæ domo sunt allata, ut exponit *Balsamo*, sed ea quæ a sanctis Patribus sunt tradita. Episcoporum autem vicem potuisse suppleri hoc loco docet *Balsamo*, qui describit quales essent ejusmodi in Ecclesia Constantinopoli, qui Patriarchæ jure & vice docerent, quique ab Imperatore Constantinopolitano annuum haberent stipendium, quale hic indicatur ex Novell. *Alexii* Comneni; quæ quia multa notatu digna complectitur, integram describam pro ut ex *Balsamone* citatur Juris Græco-Romani lib. 2. c. 9. in Alexii Comneni Bullis. Est autem ejusmodi, Populum docere solis est datum Episcopis, & magnæ Ecclesiæ Doctores, Patriarchæ Jure docent. Hoc autem etiam ostenditur ex Novella Illustris Im. Domini *Alexii* Comneni quæ describit, & quomodo & quinam debent in Ecclesiis eligi & decernit omnibus doctoribus tam iis qui sunt intra Ecclesiam, quam iis qui sunt extra, tres aureorum libras, & frumenti modios quinquaginta, & hæc aperte decidit. Sit hic quoque Doctoribus honor tributus, ut iterum in propriis Ecclesiis propter quas steterunt, statim post officiales proximi Sanctissimo Patriarchæ adsideant tamquam ejus personam repræsentantes. Audivimus enim

enim eum qui Pontificis vicem gerit, maximum semper gerere honorem & nemo poterit ad hoc contradicere. Sequitur deinceps. Qui autem verbo, & opere digni sunt, quorum ratio habeatur ad doctrinæ ministerium introducantur. Et per docendi munera ad officia prima gerentium gradus provehantur. Explicat *Codinus* lib. de Officiis Constantinop. Eccles. quinam essent illi Doctores: quinario quarto, Doctor Evangelii, qui interpretatur illud, Doctor Apostoli, Interpres illius. Doctor Psalterii ad istud interpretandum vocatus, Orator ad interpretandum Scripturas. Hinc apud Græcos nostris Theologis Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus persimiles. Cujus rei hic usus fuit Concilio Valentino sub *Lothario* cap. 16. ut unusquisque nostrum, S. Episcoporum sive per se sive per aliquem vel aliquos ex ministris Ecclesiæ, fideliter doctos, ita verbum prædicationis tam in urbe quam foris in plebibus exhibeat. Capit. lib. 1. c. 109. Episcopos monemus ut, sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi Divini sedulo populis annuncient Capitul. 2. c. 7. præcipiunt reges nostri, ut omnes Laici ad Episcoporum & Sacerdotum prædicationem cum suis devote occurrant. Et ut loquuntur Impp. l. 6. Cod. de Episcop. audient. & lib. 9. Cod. Theodos. tit. 40. l. 16. Episcopi populos Christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur. Simile Concilio Valentino Hispaniæ c. 1. dum Episcopus post Evangelium Concionem habet monentur omnes non solum fideles, sed etiam Catechumeni: Pœnitentes, etiam Hæretici adesse, illi jubentur, hi permittuntur. Quod si quis ut concio habebatur, egrederetur, sacris movebatur. Conc. Carthag. 4. c. 24 Additione Capitul. 4. c. 42.

§. II.

Sed ut cum Tractatu seu Concione lectionem conjungamus, Concilium Trullan. c. 64 docet ex B. Gregor. Nazianzeno solis Episcopis convenire concionari & sacras Scripturas interpretari, Presbyteris vero nonnisi Episcoporum concessione. Exinde factum arbitror, ut qui in Cathedrali Ecclesia concionibus habendis destinatus esset, etiam S. Scripturæ interpretandæ provincia eidem demanderetur, ut diserte explicat Concil. Meldens. c. 35. & in Schola quidem & apud Clericos. Scholæ omnes sub Episcopi cura & sollicitudine consistebant; uno loco id firmabo. Capit. Additione 2. c. 5. Inter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in Scholis habendis, & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi præparandis & educandis, ab hic majus studium adhiberet. Petitum hoc e Parisiensi Concil. lib. 3. c. 1. Erant autem duplicis generis, aliæ in Episcopiis, aliæ in Monasteriis. Rursus Scholarum quæ in Episcopiis, aliæ pueris assignatæ aliæ Presbyteris & Clericis. Erant Puerorum Scholæ in Monasteriis. De Scholis puerorum primum differamus. Capitul. lib. 1. cap. 72. Scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, Cantus, Compotum, Grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant Capitular. lib. 2. c. 5. Scholæ sane ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos sicut nobis præterito tempore ad *Attiniacum* promisistis, & vobis injunximus in congruis locis, ubi necdum perfectum est ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur. Concil. Moguntin. sub *Carolo* M. c. 45. Dignum est ut filios suos donent ad scholam sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam recte discant, & orationem Dominicam. Repetitum Capitul. lib. 5. c. 95. Theodulphus Aurelianensis Episcopus, Epistola ad Presbyteros Aurelian. pueros vult ad Scholam mitti, seu in Ecclesia S. Crucis, quæ Matrix erat Ecclesia & Episcopalis Sedes, seu in Monasterio S. *Aniani* aut S. *Benedicti* aut S. *Lifardi*, præcipit insuper idem ut Presbyteri per vicos & villas habeant, in quibus parvulos doceant. Nec vero quoslibet in Scholis Monasteriorum promiscue admissos arbitror, ita enim docet Capitul. additio prima c. 45. ut schola in monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt. Eodem pacto apud *Ekkehardum* Sancti *Galli* Monachum lib. 2. de casibus Monasterii *Gallic.* 1. Traduntur post tempus Marcello Scholæ Claustri, cum *Notkero* postea cognomine *Balbulo* & ceteris Monachici habitus pueris: Exteriores autem (scholæ) idest. Canonicæ, *Isoni* cum *Sa-*

lomo-

lomone & ejus comparibus. Sed hinc discimus Claustrales istas Scholas in intimis Monasterii penetralibus constitutas fuisse. Alias vero extra Monasterium Scholam quamdam adolescentiorum, & puerorum observo aliam a priore. Concil. Aquisgranensi 1. c. 135. illi in Congregatione Episcopis commissa nutriri & erudiri dicuntur, quibus duo adsignabantur Magistri, unus morum & bene vivendi, alter qui literas & disciplinas illos doceret. Illius scholæ meminit Concil. Toletanum 4. c. 23. statuitque ut omnes in uno conclavi atrii commorentur, & deputentur probatissimo seniori, quem & Magistrum disciplinæ & testem vitæ habeant. Non alii erant Clerici, Canonici juniores seu minores, quam qui divino cultui sese mancipassent & dicassent.

§. III.

Schola Presbyterorum, eadem & Theologica jure appellari potest. Sic enim eam explicat Concil. Cabilonense sub *Carolo* M. c. 3. quanquam & literarum simul humaniorum meminerit. Oportet etiam ut, sicut Dominus Imperator *Carolus* præcepit, Scholas constituant, in quibus & literaria solertia disciplinæ & Sacræ Scripturæ discantur, & tales erudiantur, quibus merito dicatur a Domino Matth. 5. Vos estis sal terræ, & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam *Antichristi* monitis, & ipsi *Antichristo* resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur Cantic. 4. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Eadem habet Concil. Valentinum sub Lothario Imp. c. 18. ubi Scholæ duplices & Divinæ & humanæ literaturæ. Sed Canonici istius Theologi & Doctoris publici expressam imaginem inspiciamus Concilio Meldensi sub *Carol.* Calvo c. 35. ut quisque Episcopus talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum & purissimum sensum Catholicorum Patrum, de fide & observatione mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina Presbyteros plebium assidue instruat, & informet. Parochos Theologum istum docentem audire præcipit Synodus: ita Capitul. lib. 7. c. 163. Statutum est ut omnes Presbyteri Parochiæ sc. Diœceseos, ad civitatem, per turmas, & per Hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas, conveniant discendi gratia, ita tamen ut aliqua pars in Parochiis Presbyterorum remaneat, ne populi & Ecclesiæ Dei absque officio sint, & aliqua pars, utilia in civitate discant; ibi ab Episcopo in civitate sive a suis bene doctis ministris bono animo instituantur de sacris lectionibus, & divinis Cultibus, & Sanctis Canonibus, sive de Baptismatis Sacramento atque Missarum solemniis, & precibus, & de reliquis omnibus officiis &c. Attamen lib. 1. Capitul. cap. 99. vetat Imperator ne Presbyteri discendi gratia, Quadragesimæ tempore ad Civitates convocentur. Nec vero solos Parochos ad hanc scholam convenire solitos verum etiam & Clericos Canonicos, apparet Capitul. l. 5. c. 105. quo jubentur hi, singulis diebus mane, primo ad lectionem venire, & audire quid eis imperetur. Scholæ ejusmodi Theologicæ olim in veteri Ecclesia usitatæ, ac de Schola Alexandrina, in qua *Pantænus*, usus iis Magistris, qui Apostolos vidissent: discipulum & successorem habuit *Clementem*, qui *Stromateus* dictus ex inscriptione præcipui operis. *Clemens* vero discipulum etiam & successorem habuit in Schola Catechetica ut loquitur *Photius*, Originem Adamantium, de qua re *Photius* in Bibliotheca c. de Pamphilo Martyre & ceteri historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. Adjungam istud, quod ad Scholam Alexandrinam spectat, *Nicetam* referre lib. 5. Thesauri c. 1. *Arrium* Alexandrini Gymnasii præfectum fuisse. Schola exstitit Theologica Antiochena, in qua *Lucianus* Presbyter doctissimus, ut testatur B. *Hieron.* lib. de Illustr. Eccles. Script. Scripturam sacram interpretatus est, quem *Arrius* impius & *Eusebius* Nicomediensis docentem audierunt. Hinc *Arrius*, Epistola ad *Eusebium* Nicomed. ipsum idcirco συλλουκιανιστὴν nominat apud *Nicephorum* Hist. Ecclesiast. l. 8. c. 9. Schola Theologica apud *Nisibin* memoratur quæ erat Syrorum Christianorum, Junil. Affrican. Præfatione, & Epistola ad *Primasium* Episcopum in libros suos de partibus divinæ legis. Sed si quis quærat a me quid cau-

causæ sit cur Scholas tum puerorum tum Theologicas Presbyterorum, veteres in Episcopiis & justa ædes sacras collocarint: ex oratione *Eumenii* Rhetoris Galli ad V. P. Præsidem Galliæ, suam Constantio Imp. responsionem accipiet iis verbis. Ibi maxime & oportet, & fas est exercere Juventutis ingenia, ubi tam propinqua sunt Numina amica doctrinæ, ubi ex proximo juvat mens divina sapientiam. Et quidem apud veteres, Bibliothecæ, vel in ipsis Deorum templis, vel vicinis ædibus collocatæ, quod vulgo notum est. Tertullian. Apologetic. c. 19. Hodie apud Serapeum (sc. Serapidis Templum) Ptolomæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Quin *Cedrenus* in *Justino* Curopalate dum narrat historiam pueri Judæi a patre in clibanum ardentem conjecti, ob sumptas S. Eucharistiæ reliquias, una cum sodalibus Christianis, scribit, Scholam unde pueri illi redibant, Ecclesiæ vicinam fuisse. Præter has Scholas, Episcopi Gallicani, Concil. Parisiensis lib. 3. c. 12. postulant a *Ludovico* Pio Imp. ut exemplo Patris sui *Caroli* M. in tribus congruentissimis Imperii locis Scholas publicas constituat.

§. IV.

De Pœnitentiarii institutione nunc dicendum, ac imprimis constat apud omnes, Pœnitentias, indicere, augere, minuere, condonare, totum id ex arbitrio Episcoporum pendere: permultis Conciliis Græcis & Latinis ac Patrum responsis id confirmatur, præsertim Concil. Ancyran. c. 5. Arelatens. 2. c. 10. Milevitan. c. 23. Aurelianen. 4. c. 8. *Nicephorus* Cartophylax ita scribit in fragmento Epistolæ ad *Theodosium* Monachum: „ Ligandi solvendique provincia Pontificibus ipsis a Clementissimo Deo nostro demandata est ". Unde olim omnes oportebat ad ipsos Episcopos accedere, suaque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem vel repudium ferre. B. *Basilius* Epistola t. ad *Amphilochium* variis Canonibus. Sed quum pœnitentia duplex statuatur, una quidem publica, sub qua solemnem complector, alia privata, Episcopi Presbyteris privatæ pœnitentiæ imponendæ curam, & solicitudinem attribuerunt, sibi solemnem servarunt. Quanquam non sit hic locus, universim de Pœnitentia disserendi, cum ea res integrum librum desideraret, attamen de privata pauca dicam, & ex usu Ecclesiæ Gallicanæ. Ex confessione delictorum seu publica seu privata, & ut vocant auriculari præsertim natam esse distinctionem illam Pœnitentiæ indicat Capitul. lib. 5. c. 52. ubi præcipit, si quis occulte ei agendam pœnitentiam, si publice ac manifeste convictus aut confessus fuerit, publice ac manifeste agendam. Ac certe mihi religio est, sinceram majorum nostrorum Gallorum de Sacerdotum auctoritate in absolvendis pœnitentibus fidem & sententiam orthodoxam, hoc capite elegantissime expressam prætermittere, ut Galli nostri ævi, nisi plane degeneres existant, eandem constantissime tueantur. Sunt autem verba. Ideo Dominus & Magister noster Discipulis suis, ac successoribus eorum, ligandi ac solvendi dedit potestatem & pœnitentiam condigne agentes absolvendi, atque peccata cum divina Invocatione dimitti queant. Nec mirum hoc, quia si homines servis suis dent potestatem de subditis ligandi & solvendi, vel nocendi, & adjuvandi apud se, quanto magis Dominus omnium hominum, hanc POTESTATIVE potestatem Præpositis Sanctæ Ecclesiæ dedit dicens, „ Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta erunt ". Joan. 20. Non oscitanter nec cursim legenda vox *potestative*, sed valde expendenda, cum vel illa una Catholicam doctrinam complectatur. Addo etiam, quod dictu mirum Gallorum militum veterem pietatem, cum ex Synodo Francica sub Carolo-manno unusquisque Præfectus, cujusque cohortis Gallicæ seu Francicæ, unum Presbyterum haberet, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit. Mos hic ad nostra usque tempora perduravit. Habetur etiam lib. 5. Capitul. c. 2.

§. V.

Episcopos, publice pœnitentes, reconciliandos sibi reservasse ex priscis Canonibus palam est, quod Presbyteris atque adeo Corepiscopis negatum esse iidem testantur,

tur, quanquam speciali mandato Episcopi, iis concederetur solemnis hæc indulgentia & eo lubentius si necessitas ita postularet, ut videre est Concilio Eliberitano 32. Carthag. 2. c. 4. Carthag. Græc. c. 6. 7. Chartag. 3. c. 31. 32. Affrican. c. 10. Carthag. Græc. c. 46. Rabanus idem habet in Pœnitentiali c. 35. Concil. Hispalen. 2. c. 7. Meldens. c. 44. Triburien. c. 31. Concil. Carthag. 2. Canon tertius, qui Carthaginen. Græc. est sextus, reconciliare quendam pœnitentem in publico ministerio, Presbytero non licet, tum Agathens. Concil. c. 44. pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit. Canon hic admonet me ut obiter Græcorum ritum explicem, qui mihi maxime probatur, dum noluisse videntur mulieres quæ maritos haberent, publicam agere pœnitentiam, & in matrimonio perseverare, & si quibus imposita esset, ut pote adulteris, eæ, in Monasterium, pœnitentiæ agendæ locum destinatum, detrudebantur: Græca nunc attingo non Latina & ideo profero testem *Balsamonem* in c. 48. Epistolæ 1. B. Basilii, ad Amphilochium: sin autem ob aliud delictum, ea prudentia & Christiana sagacitate utebantur, ut ne minimam quidam de muliere pœnitente suspicionem excitarent. Panis exaltatus seu oblatio exaltata vocatur Græcis, Panis, qui sublatis manibus a Sacerdote offertur, ante consecrationem, secundum ritum Liturgiæ Græcæ, quod & Græci hoc tempore Romæ, & Venetiis factitant, & eorum imitatione, Russi & Moscovitæ. Hujus autem panis, pars una designatur ad Eucharistiam, ut videre est in Liturgia B. Chrysostomi. Reliquum vero non infideles, non excommunicati, non pœnitentes comedebant, sed soli fideles, & quibus communicare licebat, accipiebant. At vero mulieres etsi pœnitentiam agerent, attamen ne in suspicionem aliquam venirent admissæ cujusdam turpitudinis, etiam pane ipso exaltato, seu fragmentis & reliquiis ejus donabantur. Quod differit *Balsamo* ad interrogationes Monachorum post Photii Nomocanonem c. 5. & 11. Meminit & *Theophilus* Alexandrinus ejus panis & usus illius, Commonitorio ad Amnum c. 7.

§. VI.

Ad nostros Pœnitentiarios redeo, atque velim Novatores nostri ævi observasse praxim in Ecclesia Orientali, qui dum Confessionem iis locis abrogatam dicunt & falso, ex historia quam refert *Zozomen.* lib. 9. Hist. Eccles. c. 35. non advertunt, *Zozomenum* ex *Socrate* sumpsisse, qui lib. 5. Hist. Eccl. c. 19. hanc habet istius Capitis inscriptionem, *de Presbyteris qui pœnitentiis præerant, quamobrem amoti fuerint*: Ubi de publica confessione agitur non de privata. Restitutos autem fuisse Pœnitentiarios iis in partibus, ex *Balsamone* supra colligi potest aperte, & idem scribit in c. 103. Conc. Trull. Neque cuiquam dubium esse potest, quin Episcopi, tum apud Græcos cum apud Latinos, lubentius hac se molestia liberare voluerint. Molestiam dixi non incongrue; nam Pœnitentias illas publicas & solemnes imponere, ex peccatorum publicorum, aut quæ licet occulta essent, tamen facti atrocitate velut publica censerentur, confessione molestum valde videri potest, reconciliare vero pœnitentes molestissimum, & ritus ipse indicat. In veteri Ecclesia ab Episcopo Pœnitentes publici cum reconciliabantur, vapulabant eorumque capita virgis ipsi verberabant quod firmatur iis verbis *Optati* Milevitani vetustissimi Ecclesiæ scriptoris, l. 1. adversus *Parmenian. Purpurius* Donatista cum a *Caciliano* Carthaginensi Episcopo invitaretur ut una cum suis Donatistis iterum *Cæcilianum* ipsum Episcopum ordinarent, si male antea ordinatus videretur, dixit *Purpurius* ipse: exeat hinc *Cæcilianus*, quasi imponatur illi manus in Episcopatu & quassetur illi caput de pœnitentia. Allusio est ex multiplici manuum impositione, alia enim in Episcopi ordinatione usitata, alia in reconciliandis pœnitentibus, & ambæ Caput respiciebant; aliæ erant alterius generis manuum impositiones, sed non sunt hujus loci. Volebat igitur Donatista Cæcilianum manuum impositionem accipere, velut ac si Episcopus ordinaretur, quod tamen non probat, sed potius more ejus qui pœnitentiam publicam ageret, cujus caput in reconciliatione verberabatur. Hinc Conciliis

vete-

veteribus locutio illa usurpata, *Rei capita pœnitentiæ subdant*. Concil. Gerundens. c. 9. Is qui ægritudinis languore depressus, Pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit & postmodum reconvalescens, *Caput* pœnitentiæ in Ecclesia publice *non subdiderit*; si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum. Obiter explico quid sibi velit Canon iste, cum Laicum illum ad Clerum admittat, si modo Caput non subdiderit Pœnitentiæ publicæ in Ecclesia, id est, negat posse sacris ordinibus initiari si publicam pœnitentiam, cujus hic est ritus egisset, nam Pœnitentes ejus generis a sacris Ordinibus arcebantur, *Zachar*, P. R. Epistola 4. ad *Bonifacium* Episcopum Concil. Aurelianens. 3. c. 6. Arelatens. 3. c. 3. Aliquot post sæculis, pro Capitis castigatione, palmatis usi sunt veteres ut cernere est in priscis Pœnitentialibus, & res alterius loci, ac deinceps qui publicorum peccatorum in Ecclesiæ communionem recipiendorum potestatem haberent, Capiti quidem eorum pepercerunt, sed non scapulis, quas nudas virgis, vel corrigiis, semel aut plures ad unumquemque versum psalmi 50. cui initium; *Miserere mei Deus secundum magnam &c.* qui cum aliquot precibus, tum recitabatur, verberabant, quod ad Ecclesiæ januam, ut describit *Henricus* Cardinalis Ostiensis, Archiepiscopus Ebredunensis, Gallus sub *Alexandro* 4. P.R.B. *Thomæ* Aquinati, æqualis, de sent. excomm. numero 14. §. 3. Ista qui potuerunt præstare Episcopi, & iis quidem temporibus, cum pœnitentiæ publicæ frequentes essent, cumque variis & publicis nec minus salutaribus negotiis alias essent occupati, non modo consentaneum rationi, sed potius necessum fuit istam provinciam ab Episcopis committi selectis quibusdam probæ notæ Presbyteris.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De publicis priscorum Christianorum pœnitentiis

DISSERTATIO XXXII.

I. PLerique magnæ eruditionis Scriptores materiam istam pertractarunt, inter quos eminet Joannes Morinus Congregationis Oratorii Domini Jesu insigne decus, & ornamentum. Sciendum in primis de diversis publicæ pœnitentiæ speciebus; Nicænæ primæ Synodi canones 11. & 12. tres illius distinguere species aut classes, Auditorum, substratorum, & citra oblationem communicantium: Auditores juxta fores Ecclesiæ, ab earum tamen limine exclusi, in summo luctu, & squallore, saccis, & ciliciis amicti versabantur, Iidemque post statum tempus in substratorum stationem transibant. Substrati porro intra Ecclesiæ partem, quæ a foribus liminibus primum occurrebat, & Narthex vocabatur, admitti solebant, ibique Missæ partem illam, quæ catechumenorum dicebatur; nec non homiliam, ac sermonem, qui in Ecclesia de suggesto post decantatum Evangelium pronunciabatur, una cum catechumenis audiebant, sed ante offertorium, ne mysteriis ineffabilibus interessent, una cum catechumenis, & energumenis, ut Dionysius in sua Ecclesiastica Hierarchia docet, voce Diaconi, a liminibus templi omnino excludebantur, solusque in templo persistebat ad finem usque Collectæ, ac Missæ tertius pœnitentium ordo, qui solius divinæ Eucharistiæ communionis exors erat. Nicæni quidem Patres nihil de pœnitentibus omnino ab Ecclesiæ aditu prohibitis meminerunt, qui Lugentes dicebantur: sed tacite supponunt, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de his, quæ foris sunt judicare*. Præterea cum iidem Patres can. 11. protestentur, se humanius, & præter meritum eorum, qui sub nupera Licinii tyrannide delapsi fuerant, decernere, credendum est, ne canonica severitas lapsos deterreret, eorum-

quæ conversioni obsisteret, remissam illis fuisse asperiorem stationis lugentium observationem, ideoque ab initio ipso remissos fuisse reos hujusce modi ad secundam, quæ est Audientium stationem.

II. At vero Sancti, Gregorius Neocæsariensis, & Basilius Magnus, in suis pœnitentium Canonibus, aliique veteres Patres publice pœnitentium quatuor distinguunt ordines in πρόσκλαυσιν *fletum*, ἀκρόασιν *auditionem*, ὑπόπτωσιν, *prostrationem*, & σύστασιν *consistentiam*; quibus tandem succedebat μέθεξις *participatio Eucharistiæ*. Exempli gratia, Basilius in suis ad Amphilochium canonibus, præscribit mœchis annos publicæ pœnitentiæ quindecim, quatuor nimirum in fletu, quinque in auditione, quatuor in prostratione, reliquos duos in consistentia. Gregorius autem Neocæsariensis can. 11. flentes ait arceri ab Ecclesiæ foribus, audientes intra fores admitti, versarique in parte navis, quæ Narthex vocabatur. Sub audientium autem appellatione comprehendit prostratos, istosque omnes cum catechumenis, ante offertorium, docet expelli foras. Ultimumque pœnitentium ordinem, qui Consistentium dicitur, una cum fideli populo ad finem usque sacrificii intus persistere, privari tamen Eucharistica communione. Judæis autem, & gentilibus, atque hæreticis, quo facilius ad veram fidem pellicerentur, permittebatur, ut promiscue catechumenorum officio Ecclesiastico interessent, & concionem Evangelicam audirent; ut liquet ex Carthaginensis Concilii quarti can. 84. Solis quippe primæ classis pœnitentibus, idest lugentibus interdicebatur Ecclesiæ aditus, ut in humum abjecti sub dio, aut saltem in vestibulo preces, & lacrimas funderent.

III. Pœnitentium habitus erant pullæ vestes cinere conspersæ, sacci, cilicia, squallor capitis inculti. Diutinis præterea in pane, & aqua jejuniis, orationum frequentia, crebris vigiliis, chameuniis, omniumque deliciarum abdicatione, aliisque σκληραγωγίαις seu asperitatibus perpetim exercebantur; nuptias, convivia, balneas, & hominum congressus aversabantur, neque ipsis arma deferre, aut militare licebat. Hæc docent Arelatense Concilium secundum can. 21. Leo Magnus epist. 92. cap. 11. & 12. Tertullianus lib. de pœnitentia, Pacianus parænensi ad pœnitentiam, Hieronymus epist. ad Oceanum de obitu Fabiolæ, Ambrosius epist. ad virginem lapsam, & lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. Concilium Toletanum tertium can. 12. Concilium Agathense can. 15.

IV. Quæri potest utrum ad Pœnitentiam publicam adjuncta esset publica criminis confessio? Rem elucidabit una distinctio: si enim publica illa pœnitentia injuncta erat ob publicum delictum, aut publice notum, nihil repugnat ejus publicam præscribi confessionem delicti, qualis extitit Fabiolæ unius ex primariis Romæ matronis, in æde Lateranensi, quippe quæ publice alteri viro, vivente adhuc marito, nupserat per errorem juris, dum credit id sibi licitum propter mariti adulteria. Hanc Fabiolæ pœnitentiam Hieronymus in epistola illa ad Oceanum graphice describit.

V. Cæterum ubi delictorum occultorum publica suscipiebatur pœnitentia, ex arbitrio Pœnitentis simul, & ex Episcopi prudentia id totum dependebat, an sufficeret generalis illa delictorum confessio, quæ nullum in specie propalaret peccatum; an vero expediret aliud particulare fateri. Et quidem pluribus priscorum testimoniis probari potest sæpius contigisse, ut ad publicam pœnitentiam nulla particularis confessio adjungeretur. Primus huc accedat testis Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 16. dicens, *Siquis occulta crimina habens, propter Christum tamen pœnitentiam egerit studiose, quomodo istis recipit si ei communio non refunditur?* Hic certe occulti criminis occulta duntaxat ac generalis confessio cum publica pœnitentia copulatur. At vero toto illo de pœnitentia opere, sanctus Doctor non de alia, quam de publica pœnitentia tractationem instituit; statim enim ibidem subjungit: *Volo veniam reus speret petet eam lacrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus*. Idemque lib. 2. de pœnitentia c. 10. hortatur ad publicam pœnitentiam, quos ab illa suscipienda pudor quidam deterrebat. Istoque ibidem nititur argumento, nihil esse causæ, cur eos pudeat Deo publice supplicare, & humiliari, cum non puduerit occulte apud Sacerdotem confiteri admissum delictum, quod tamen ante privatam illam confessionem

fionem, Sacerdos ignorabat. *An pudeat* (*inquit*) *Deo supplicare quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini quem lates confiteri?* Quæ Ambrofii ratio proríus inepta depellendo pudori effet, fi publica exomologefis, feu confeffio, indivulfa femper a publica pœnitentia fuiffet: cum nemo ignoret graviorem multo pudorem ex publica ad univerfum populum criminis antea ignoti confeffione nafci, quam ex privata fecretaque ad unius Sacerdotis aurem. Hoc igitur Ambrofii loco pudor ex publica exurgens pœnitentia fine fpeciali peccatorum manifeftatione, confertur cum pudore manifeftati privatim penes unum Sacerdotem per fecretam confeffionem.

VI. Similiter Concilium Toletanum quartum can. 12. decernit per publicam illam pœnitentiam, cui non fuerit comes publica delicti confeffio, neminem a facris Ordinibus excludi. Quod idem deinde iteravit Concilium Toletanum decimum can. 10. Cæteroqui enim certum apud omnes eft, publicam pœnitentiam qua particulare crimen populo aftanti exprimebatur, perpetuam peperiffe ad facros Ordines irregularitatem, ut conftat ex Origene lib. 2. contra Celfum, ex Hieronymo Dialog. adver. Luciferianos; ex Siricio Pontifice epift. 1. ex Innocentio Papa epift. ad Agapitum; & ex Conciliorum auctoritate, Nicæni primi can. 10. Toletani primi can. 2. Carthaginenfis quarti can. 68. Arelatenfis quarti can. 3. Epaonenfis can. 3. & aliis.

VII. Præterea Leo Magnus epift. 138. alias 80. ad univerfos Epifcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni, loquens de pœnitentiis publicis, perfpicue docet, fufficere in his fecretam penes unum Sacerdotem confeffionem; nec neceffe effe reatum palam manifeftari. Iftis tamen tam frequentibus teftimoniis unus obfiftere videtur can. 32. Concilii Carthaginenfis tertii, diferte prohibens omnino permitti ullam publicam pœnitentiam, *nifi ob publicum, & vulgatiffimum crimen quod univerfa Ecclefia noverit*. Et fane canone ifto convincitur diverfum aliquando fuiffe Africanarum Ecclefiarum ufum.

VIII. Siricius Papa epift. 1. cap. 14. duas circa publicam pœnitentiam regulas præfcribit; eam fcilicet quam jam protulimus, non effe recipiendum in Clerum eum, qui publica fuerit aliquando pœnitentia (adde & exomologefi publica) perfunctus. Alteram, eum qui ordini Clericali fuerit adfcriptus, non effe ad publicam pœnitentiam, neque ad manuum impofitionem ablegandum; fic dicens: *Illud quoque nos par fuit providere, ut ficut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & poft pœnitudinem, & reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipifci. Quod quamvis fint omnium peccatorum mundati, nulla tamen gerendorum Sacramentorum inftrumenta fufcipere debent, qui dudum fuerint vafa vitiorum.* Difciplinæ hujus, qua laicus in crimen lapfus fufcipiebatur in pœnitentiam, & communione privabatur Sacramentorum, Clericus autem deponebatur a Clericali gradu, & honore, fed pœnitentiæ minime addicebatur, neque prorfus a communione fegregabatur, teftis eft locuples Bafilius epift. ad Amphilochium can. 3. duas ibi rationes allegans; quarum prima eft quia Deus non vindicat bis in idipfum, Nahum. 1. Atque ideo non fit ad pœnam depofitionis Clerici altera pœna cumulanda. Quæ ratio quoque profertur circa depofitionem majorum Clericorum, fcilicet Epifcopi, Presbyteri, & Diaconi, in can. 24. Apoftolorum. Altera Bafilii ratio hæc eft, quia laicus reus completo pœnitentiæ canonico tempore, in priftinum communionis ftatum reftituitur, Diaconus autem ab inflicta femel depofitione non refurgit. Idemque juris eft in Presbyteris, & Epifcopis. Sed loco publicæ intra Ecclefiam Pœnitentiæ, in Monafterium adigebatur aliquando. Ita conftituit Joannes Papa fecundus epift. ad Cæfarium Arelatenfem Epifcopum; mandans ut Regienfis Epifcopus, nomine Contumeliofus ob fua crimina deponatur, totaque reliqua vita monafterio conclufus, veniam a Deo requirat. Concilium infuper Agatenfe can. 50. ftatuit: *Si Epifcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiferit, aut chartam falfaverit, aut teftimonium falfum dixerit, ab officii honore depofitus in Monafterium retrudatur, & ibi quandiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.* Similia fancivit Concilium Epaonenfe can. 22. *Si Presbyter, aut Diaconus crimen capita-*

pitale commiserit, ab officii honore depositus, in Monasterio retrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communione sumenda.

IX. Primum quidem Arausicanum Concilium can. 4. præfatæ disciplinæ videtur contradicere, dum statuit: *Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam*. Sed hujusmodi, pœnitentiam specie omnino diversam a vulgari censeo: ita ut nullam irregularitatis notam poscenti Clerico inureret, non inhabilem functionibus Ecclesiasticis redderet, neque publicam ullius delicti confessionem involveret: solumque ad majorem plebis ædificationem, & Clerici poscentis majorem perfectionem conduceret: quemadmodum superius ex luculentis Ambrosii, Leonis, & Conciliorum Toletanorum testimoniis demonstravimus. Hæc est Albaspinæi Aurelianensis Episcopi, in antiquitatibus Ecclesiasticis admodum versati, conjectura in illum canonem Arausicanum. Hieronymus scribens ad Sabinianum Diaconum lapsum, evidenter innuit Ecclesiæ consuetudinem lapsos majores Clericos ad solitudinem, vel monasteria ablegandi, sic dicens: *Hortatus sum ut ageres pœnitentiam, & in cilicio, & cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in Monasterio, & Dei misericordiam jugibus lacrimis implorares*. Augustinus vero testatur lapsis hujuscemodi Clericis; & idcirco a ministerio exclusis, manus tamen inter laicos non imponi, lib. 1. de Baptismo contra Donatistas vetat quoque can. 11. Cartaginensis Concilii quinti, cui idem Augustinus interfuit. Hoc tamen scite observat Joannes Morinus lib. 4. de Pœnitentia cap. 12. tribus primis Ecclesiæ sæculis ipsos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos fuisse plerumque ad publicam pœnitentiam, lugubrem habitum, & manus inter laicos impositionem adactos; idque convincit variis antiquiorum patrum, Tertulliani, Cypriani, aliorumque locis: adeo ut disciplina præmonstrata, quæ lapsos Clericos a laicis pœnitentibus secernit, non invaluerit, nisi quarto ineunte sæculo. Clerici propter delicta nonunquam ad communionem laicam redigebantur, ut frequenter canonibus statutum legimus; & ita excidebant privilegio Clericalis communionis, per quam admissi fuissent ad communionem Eucharisticam in ipsum Sanctuarium seorsum a laicis, quibus extra Sanctuarium sacra communio impertiebatur, juxta canonem 13. Concilii Bracarensis primi, sic edicentem: *Item placuit ut intra Sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantum Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est*. Atque ita per pœnitentiam Clerici rei seorsim ab aliis Clericis extra sanctuarium promiscue cum laicis divinæ participabant Eucharistiæ. Sic sanctus Papa Gregorius lib. 4. epist. 5. mandat, ut Saturninus Presbyter juste depositus, *si penituerit, inter laicos accipiat communionem*: Et in synodo octava, act. 4. adversus quosdam Episcopos olim ob Photinianam hæresim depositos, asserentes se olim a Nicolao Papa in communionem Romæ admissos, hæc respondet Maximæ Romanæ Diaconus Ecclesiæ, eademque in synodo Legatus Pontificius; *Quando isti Romam adventarunt, ego in Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur Præsepis, ministrabam. Illic eos suscepit Sanctissimus Papa Nicolaus, per satisfactionem libelli, & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Episcoporum: Si vero contradixerint, ostendat quod eos susceperit in communionem ut Episcopos.*

X. Duplex a Sacerdotibus administrabatur pœnitentibus publicis manuum impositio: una quidem quæ ad singulas collectas iterabatur, ante ipsorum ab Ecclesia dimissionem, fieri ante offertorium solitam, fundebantque Sacerdotes pro illis ad Deum preces cum manus impositione, quæ dicitur deprecatoria. Altera erat Sacramentalis, & absolutoria vocabatur, & reconciliatio seu communio pacis: hæc manus impositio semel tantum indulgebatur pœnitentibus, & tunc pœnitentiæ publicæ legibus solvebantur, nisi anticipanda esset ob vitæ discrimen superveniens, nondum expleto tempore ad pœnitentiam præstituto, hac tamen lege, ut si convalesceret reus, interruptam pœnitentiam prosequeretur ad tempus, vel Canone, vel Episcopi arbitrio præfinitum. Nunquam vero reconciliabantur pœnitentes, quin simul sacra eis Dominici corporis indulgeretur communio, testificante Ambrosio lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. Quoties cumque peccata do-

donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.

XI. Quæ vero crimina expianda publica pœnitentia erant, ad tria potissimum reducebantur: infidelitatem, luxuriam, & homicidium; ut docent Tertullianus de Pudicitia c. 14. & 12. & Pacianus in parænesi: *Reliqua* (inquit) *peccata meliorum operum compensatione curavit Spiritus Sanctus. Hæc vero tria crimina, ut basilisci afflatus, ut veneni calix, & lethalis arundo metuenda sunt. Quid faciet contemptor Dei? quid sanguinarius aget? quod remedium capiet fornicator? Nunquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit? aut consecrare sanguinem suum, qui fuderit alienum? aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando in se violaverit? ista sunt capitalia fratres, ista mortalia.* Gregorius Nazianzenus in sua ad Lectorum Episcopum epistola, pœnitentiæ publicæ his tribus criminibus indictæ rationem petit a tribus animæ humanæ primariis facultatibus, ratione, concupiscentia, & ira; quatenus rationem omnem in Deum impietas pervertit; iram homicidia attingunt, ut cupiditatem, seu libidinem mœchia, qua, omnia speciebus diversa, quæ per carnis concupiscentiam exercentur flagitia continentur. Ad infidelitatem ibidem refert, omnes magorum præstigias, incantationes, & dæmoniacas invocationes. Concilium Arelatense primum can. 14. & Agathense can. 32. subjiciunt publicæ pœnitentiæ crimina falsi, sive in chartis, & scripturis, sive in falsis, & calumniosis accusationibus, & testificationibus. Publicarum pœnitentiarum praxis in Ecclesia duodecim integris sæculis viguit. Et quamvis pœnitentibus armorum gestatio, & militia interdicta decem omnino sæculis fuissent, ut supra docuimus, duobus tamen ultimis sæculis pœnitentiæ canonicæ in expeditiones adversum infideles, ac sacram militiam commutatæ sunt.

P. D. PETRI COUSTANT MONACHI BENEDICTINI

De pœnitentia majorum Clericorum

DISSERTATIO XXXIII.

I. **A**D *initia pontificatus Cornelii referre licet tum gesta Romanæ Synodi de lapsorum causa, tum varias Cornelii epistolas, quas Hieronymus de script. eccl. c. 76. & Eusebius lib. 6. hist. c. 43. commemorant. Et Hieronymus quidem de his ita loquitur:* Cornelius Romanæ urbis episcopus, ad quem octo Cypriani extant epistolæ, (*totidem etiamnum habemus*) scripsit epistolam ad Fabium Antiochenæ ecclesiæ episcopum de synodo Romana, Italica Africana; & aliam de Novatiano, & de his qui lapsi sunt; tertiam de gestis synodi; quartam ad eumdem Fabium valde prolixam, & Novatianæ hæreseos causam, & anathema continentem. *Ex quatuor illis epistolis nihil ad nos pervenit nisi postrema insignia quædam fragmenta, quæ Eusebio debemus. Iste autem Scriptor de iisdem gestis ac litteris hæc habet:* Cum Romæ congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac Diaconi multo plures; cumque in provinciis (*uti probabile est Italiæ*) antistites seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est (*haud dubie a Cornelio*) Novatum (leg. Novatianum) quidem & eos qui cum ipso se se insolentius extulerant, & quicumque inhumanissimæ & a fraterna caritate alienæ ejus opinioni consentire præsumserant, alienos ab Ecclesia habendos esse; fratres vero qui casu ac tentatione lapsi fuerant, pœnitentiæ remediis curandos, & confovendos esse. Extant adhuc epistolæ Cornelii Romanorum episcopi ad Fabium Antio-

tiochensis ecclesiæ præsulem missæ, in quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. His adjuncta erat alia ejusdem Cornelii epistola, de his, quæ in Synodo (*Romana*) decreta fuerant.

II. *Quando autem habitum fuerit mox dictum de lapsorum causa concilium, adeoque & quo tempore a Cornelio conscriptæ fine ea de causa epistolæ, ex his cleri Romani ad Cyprianum epist.* 81. *colligitur:* Ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus: sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt sustinere, causa teneatur. *Nemo enim non videt, dato a Deo Romæ Pontifice Cornelio nullam superfuisse causam, cur ea res diutius in suspenso teneretur; immo cum Novatianus lapsis veniam negaret, maxime necessarium fuisse, ut citius habito concilio finiretur. Quocirca inter prima Cornelii negotia computamus tum hoc concilium, tum litteras, quibus ejusdem concilii decretum diversis provinciis notum fieri, & ab eis ratum haberi curavit.*

III. *Ad idem concilium pertinere videtur decretum, de quo Cyprianus epist.* 68. *ita loquitur*. Cumque alia multa sint, & gravia delicta, quibus Basilides, & Martialis implicari tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit ejusmodi homines nec Ecclesiæ posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maxime cum jam pridem nobiscum, & cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus & justus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. *Quo in decreto cum planum sit Sacerdotes lapsos de sacerdotali dignitate atque functione dejici, iisque aditum ad pœnitentiam permitti, quæ ab illis pœnitentia exigenda esset non satis perspicue declaratur.*

IV. *Eruditi Morini lib.* 4. *de pœnit. c.* 12. *sententia est, cui & plurimi subscribunt, majores clericos tribus primæ ecclesiæ sæculis non secus atque laicos pœnitentiæ publicæ fuisse obnoxios. Ille vero istud maxime in gratiam opinionis suæ profert, quod Cyprianus epist.* 59. *edit. Pamel. seu* 64. *edit. Oxon. ad Fidum scribit:* Legimus litteras tuas frater carissime, quibus significasti de Victore quondam presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius collega noster immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res non satis movit, secessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu, & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur. *Quo in loco decretum a quo recessum esse Cyprianus docet illud ipsum intelligere licet, quod idem antistites in epistola* 68. *mox dicta secum, & cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis a Cornelio editum memorat. Unde sequitur, ut ejusdem decreti auctoritate presbyteris lapsis certum præscriptum sit satisfactionis ac pœnitentiæ tempus, eis minime remittendum, nisi aliud* petitu plebis, *vel* infirmitate urgente ac necessitate cogente suaderetur. *Sed pœnitentia illa, quæ ab illis plena exigebatur, an publica esset nec ne, etiam hic siletur. Neque id clarius enuntiat Cyprianus in epistola* 64. seu 65. *quam sic exorditur*. Graviter & dolenter motus sum fratres carissimi quod cognoverim Fortunatianum quondam apud vos episcopum post gravem lapsum ruinæ suæ pro integro nunc agere velle, & episcopatum sibi vindicare cœpisse . . . . , cum debeat satisfacere, & ad Dominum exorandum, diebus ac noctibus, lacrymis & orationibus, & precibus incumbere; audet sibi adhuc sacerdotium quod prodit vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit.

V. *Verum Cornelii atque episcoporum totius mundi, quæ mens fuerit ex ea ipsa Cypriani epistola, in qua decretum illorum laudatur, colligere certius atque interpretari licet. In ea quippe repræsentatur Basilides, ut qui decreto illi parere ac morem gerere jam cœpisset; adeo ut* episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere deponens, ad agen-

agendam pœnitentiam conversus sit, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret. *Si enim in his verbis, quibus Basilides ad agendam pœnitentiam conversus narratur nequaquam publica pœnitentia intelligenda sit; nulla subest ratio cur decretum quo hujusmodi homines* ad agendam pœnitentiam posse admitti, *Cornelius* cum ceteris totius mundi episcopis constituit, de publica pœnitentia interpretemur. Atqui Basilides ad eam pœnitentiam agendam est conversus cum qua episcopatus recipiendi spem non *abjecit*, immo & illum a Stephano per obreptionem, cum ea in Ecclesia lex semper obtinuerit, ut iis qui publicam egissent pœnitentiam aut ad clerum adeundi aut in eum redeundi spes nulla relinqueretur. Neque igitur publica illius pœnitentia fuit. Quod autem beneficii loco duxisse *dicitur*, si vel laico communicante contingeret, *illustrat idem Cyprianus Epist.* 72. *ubi* de iis, qui adversus Ecclesiam rebellarant, ad Stephanum papam ita scribit. Addimus plane & adjungimus, frater carissime, consensu & auctoritate communi etiam si qui presbyteri aut Diaconi qui vel in Ecclesia prius ordinati fuerint & postmodum perfidi & rebelles exstiterint . . . . eos quoque hac conditione suscipi cum revertuntur ut communicent laici, & satis habeant quod admittantur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint. *Ideo igitur illi indultam sibi redeuntibus communionem laicam beneficii loco ducere debuerant, quia & ipsis antea certum pœnitentiæ tempus præscribere, & quoad illud exegissent, communionem illam differre licuisset; non quia diaconos, presbyteros aut episcopos hujusmodi solemnibus publicæ pœnitentiæ ritibus subjacere usus volebat. Enim vero si ex iis qui in libro* 2. *Gregorii Magni Ind. X. Epist.* 6. *de Demetrio quondam Neapolitano episcopo gravissimorum criminum reo legunt*, Pœnitentiæ reservatus sacerdotii honore privatus est; *aut. lib.* 6. *Ind. XIV. Epist.* 41. Massæ Nicoteranæ episcopus pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputatus est, *& alia his similia, nemo est qui locis illis* pœnitentiæ *nomine publicam aut solemnem pœnitentiam intelligat; quid vetat quominus idem nomen in decreto, quod Cornelius cum totius orbis Christiani episcopis sanxit eadem ratione usurpatum intelligat.*

VI. *Istud porro me valde movet, quod hoc Decretum non solius Cornelii, & Italorum sed & Africanorum, immo* omnium omnino episcoporum in toto orbe constitutorum *fuisse Cyprianus docet. Decretum enim tanto tamque generali consensu firmatum, nonnisi solemni aliqua lege abrogari debuit: aut si per se antiquari atque in desuetudinem venire potuisse quis suspicetur, illud certe fateatur necesse est vix fieri potuisse ut id tam cito in omnibus Ecclesiæ provinciis simul contingeret, nec ulla saltem in principibus viris superesset contrarii usus memoria. Atqui sæculo quarto clericis ut publicam pœnitentiam agerent, Romana in Ecclesia concessum non esse testis est Siricius epist.* 1. *n.* 18. *ubi illud velut antiquo aut etiam perpetuo usu receptum sic proponit*: Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci. *Hoc ipsum postea & Leo a Rustico* Narbonensi episcopo rogatus de presbytero vel diacono, qui cognito crimine suo pœnitentiam petunt, utrum ejus per manus impositionem danda sit, *epist.* 2. *c.* 2. *luculenter firmavit his verbis*. Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi; quod sine dubio ex apostolica traditione descendit: *An vero tantus pontifex sacrorum Canonum adeo rudis erat, ut consuetudinem ei legi contrariam quam sæculo tertio sanxissent totius orbis episcopi pro apostolica traditione venditaret? Verum quo magis disciplinæ quarti aut quinti sæculi cum disciplina tertii consensio perspecta habeatur, eadem consuetudo prædictis clericis non omnimodam pœnitentiam, sed tantum publicam negat. Quocirca mox addit Leo*: Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. *Æquum enim erat iis, a quibus digna satisfactio expetebatur, pacem & communionem non prius reddi, quam plene satisfecissent: adeoque hæc Leonis responsio* cum

cum superioribus Cypriani verbis in epistola ad Fidum componi facile potest.

VII. *Si autem mirum esset decretum de re gravissimi momenti, quam clerus Romanus tertio sæculo, quoad pontificem sibi dedisset Deus, definire non ausus esset, postmodum ab eodem clero cum sancto pontifice sibi cælitus præstito, ac pluribus aliis episcopis sancitum, cujus frequens usus memoriam continue refricare debuisset, ita in oblivionem venire potuisse, ut sequenti sæculo in eadem Ecclesia penitus ignoraretur, non minus stupendum videretur, quomodo fieri potuisset, ut & apud Afros, qui idem decretum expetierant, laudarant, confirmarant, atque usu circa lapsos comprobarant, eodem tempore pariter fuisse ignotum: adeo ut Optato sub finem lib. 2. dicere licuerit,* Multis notum est, & probatum persecutionis tempore episcopos aliquos inertia a confessione Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent imperavit. *Qua enim vel inscitia vel temeritate Optatus hoc affirmare ac Donatistas diaconis, presbyteris & Episcopis manus imponentes velut impii & inauditi flagitii ibidem arguere ausus esset, si nihil hi egissent, nisi quod superiore sæculo Cyprianus aliique Africani præsules cum Cornelio ac ceteris totius orbis episcopis præcepissent, atque exemplo suo firmassent? Sed Optatum ab omni inscitiæ culpa liberum esse, & in unos Donatistas temeritatis crimen cadere docet nos Carthaginense concilium, in quo (haud dubie ne quis temerarios schismaticorum ausus, & impias molitiones imitaretur) sæculo quarto labente can.* 11. confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus laicis imponatur. *Præterea & Augustinus Africanæ Ecclesiæ lumen lib. 1. de bapt. contra Donatist. c. 1. prædictis clericis* manus inter laicos non imponi *observat. In hac autem Augustini observatione, ac longe apertius in proximis Carthaginensis concilii verbis apparet pœnitentiæ clericorum saltem majorum, & pœnitentiæ laicorum distinctio.*

VIII. *Eadem non minus manifesta est in eo libello quem Hilarius Pictavensis episcopus anno 360. ineunte Constantinopoli constitutus Constantio Augusto obtulit. In eo quippe sic Imperatorem illum de injusta exsilii sui causa n. 2. alloquitur.* Circumventum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum, ea confidens conscientiæ meæ conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam exspectem, sed intra pœnitentiam laici consenescam. *Quod sane petiisset frustra, si eadem pœnitentiæ lege laicum clericumque promiscue constringi mos fuisset. Longe igitur falluntur, qui majores clericos non secus atque laicos publicæ pœnitentiæ aliquando obnoxios fuisse putant, dum hoc loco juvari se arbitrantur, quia episcopum permittere audiunt, ut* intra pœnitentiam laici consenescere *cogatur, sed advertere debuerant, ibi Hilarium ex certa integritatis & innocentiæ suæ conscientia non id, quod fieri solet, sed quod insolitum prorsus atque inusitatum est, nec eventurum omnino confidit, concedere. Neque vero magis inde conficitur, episcopos ad laicorum pœnitentiam amandari consuevisse, quam ex eo, quod Paulus Gal. 1. 8. dicit:* Licet nos aut Angelus de Cœlo evangelizaverit præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit, *conficere diceat Angelum cælestem anathemati esse adhuc obnoxium. Illis igitur non parum adversatur iste Hilarii locus, dum aliam episcopi, aliam laici pœnitentiam tum fuisse diserte docet. Hoc autem loquebatur Hilarius cum ex more quem in Occidente, cujus erat episcopus, usitatum noverat, tum ex eo quem in Oriente ubi degebat, videbat receptum; quique adeo & in Occidente simul & in Oriente pariter vigebat. Tanta vero totius Ecclesiæ consensio aliunde oriri non potest, nisi aut ex apostolica traditione, aut ex communi illa lege quam cum* omnium omnino episcoporum per totum mundum constitutorum *consensu latam Cyprianus tradit. Tantum igitur tunc decretum est, ut episcopis aliisve majoribus clericis lapsis, sublato honoris sui gradu, post satisfactionem atque pœnitentiam ipsis congruentem, pax & communio redderetur.*

IX. *Neque his repugnat quod de Natalii pœnitentia temporibus Zephyrini papæ ex Eusebii historia descripsimus. Ibi enim* quod

quod episcopus ille, si tamen episcopus fuit, sponte ex vehementi pœnitentis animi affectu gessit, non quod ei ulla lex ecclesiastica imposuit, legimus. Hæc autem in Ecclesia circa delinquentes omnium temporum regula constans fuit, ut nulli cujusvis conditionis reo non pœnitenti venia indulgeretur. Prius etiam quam hæc concederetur, digna criminum satisfactio exigi semper consuevit, nisi hæc aliunde compensaretur. Quapropter ut tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, ita & subsequentibus majores clerici gravissimorum criminum rei non modo ab honoris sui gradu dejecti, sed & dignis pœnis, quibus Deo læso satisfacerent, sunt mulctati. Hinc indigne tulit Cyprianus, quod Victori presbytero ante legitimum & plenum satisfactionis tempus *data pax fuisset. Hinc & Leo presbyteris & diaconis lapsis expetendam esse judicavit* secessionem privatam, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, fit etiam fructuosa. *Hinc & Johannes* II. *epist. ad Casarium ita Contumeliosum ab episcopatu dejecit*, ut & eumdem in Monasterium dirigi voluerit, ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut . . . a Jesu Christo misericordiam valeat promereri. *Hinc Gregorius Papa lib. 3. epist. 50. præcipit*: Paulum quondam episcopum in Monasterio, in quo est, in pœnitentia volumus permanere; *& lib. 5. epist. 14.* Statuimus diaconum & abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro ordine privatum in pœnitentiam deputare te convenit. *Si autem hæc aliaque hujusmodi loca de publica pœnitentia nemo interpretatur: cur similia de majoribus trium priorum sæculorum clericis, præter sententiam summorum pontificum atque patrum qui sæculis IV. & V. vixerunt, aliter intelligamus?*

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De Indulgentiis

DISSERTATIO XXXIV.

I. Indulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest: unus tempore Apostolorum qualis fuit relaxatio ab excommunicatione incestuoso illi Corinthio inflicta per Apostolum *Paulum*: secundus tempore Martyrum, cum ad eorum preces publica quibusdam pœnitentia remittebatur: tertius sub defectum pœnitentiæ publicæ, quæ sæculo 9. non parum minui cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem pœnæ peccatis impositæ, aut debitæ quædam Indulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pœnitentiæ publicæ usus: sed ea redimi vel Missis aliisque suffragiis, vel eleemosynis vel sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat. Patribus Concilii Cloveshoviensis anno 747. visa est nova pœnitentiæ per elemosynas redemptio, *nova adinventitio, periculosa consuetudo*. Quapropter *non sit*, inquiunt, *eleemosyna porrecta ad minuendam vel mutandam satisfactionem & reliqua expiationis opera a Sacerdote Dei pro suis criminibus jure canonico indictam, sed magis ad augmentandam emendationem suam ut eo citius placetur divinæ indignationis ira, quam suis provocavit sibi propriis meritis*. Totum hoc capitulum, scilicet 26. integrum esset referendum, nisi brevitati studeremus.

II. Prævaluit tamen paulatim ejusmodi redemptio pœnitentiæ, sed postea compendiosior visa est Indulgentiarum via. Istæ mortuis primum concessæ videntur. Nam *Joannes* Papa VIII. (Epist. 50.) Indulgentiam his, qui inbello contra paganos anno 878. occubuerant vel in futurum occumberent, concessit; eamdemque gratiam a Joanne IX. petierunt Bajoariæ Episcopi pro *Arnulfo* Imperatore mortuo (Metrop.

Salib. tom. 1. pag. 47.), cujus animam ipsius auctoritatis potestate absolvi postularunt. At vivis Salomon Constantiensis Episcopus in Cœna Domini *indulgentiam dedisse* perhibetur apud (Soldast. pag. 47.) *Ekkardum*; id est absolutionem, quæ in Cœna Domini quotannis ab Episcopo impertiri solebat.

III. Sed alia Indulgentiarum notio, cum peccatorum pœna vel partim, vel omnino remittitur: unde Indulgentiæ plenariæ, vel ad certum tempus definitæ. *Sergius* II. *indulgentiam trium annorum & trium quadragenarum*, omnibus qui ecclesiam Sanctorum *Sylvestri & Martini* visitassent, concessisse traditur. Sed vereor ut explorata sit hac de re auctoritas quam ex marmorea tabula *Baronius* descripsit ad annum 847. Indulgentias quidem sequenti sæculo legimus, sed non hoc modo definitas. Certior est illa, quam Salomon Constantiensis Episcopus a Papa accepit. Ille ob procuratam trium adversariorum suorum necem Romam petiit, *veniam* (Ekkard. cap. 1. pag. 45.) petiturus. A Papa *vero benigne susceptus, cum ibi supplicans aliquandiu moraretur, indulgentiam sibi petiit. Tandem ab Apostolico Indulgentiam adeptus.* Eamdem gratiam Udalricus Augustensis Episcopus accepisse memoratur (*S. Udalrici* vita num. 61.) apud *Gerardum*. Is quippe Romam ultimo profectus, *votorum* antea ibi dispositorum promissionibus devotissime expletis, & gravissimorum elementorum & Indulgentiarum donis acceptis reversus est. Ita, indefinite tunc temporis Indulgentiæ concedebantur; sequenti sæculo ad certum tempus vel in perpetuum, & quidem passim occasione dedicationis ecclesiarum. *Benedictus* IX. anno 1040. indulget, ut *omnis pœnitens*, qui ad limina ecclesiæ sancti *Victoris* Massiliensis recens dedicatæ *tritis passibus* venerit, Ecclesiæ fores sibi pateant, & indultis *facinoribus peccaminum, omnium criminum squaloribus absolutus*, libere ad propria lætus redeat, *eo scilicet tenore, ut transacta peccata sacerdotibus confiteatur & de reliquo emendetur.* At celebris præ ceteris & plena fuit Indulgentiarum gratia ab Alexandro (Chron. Casin. lib. 3. cap. 31.) II. impertita in dedicatione Ecclesiæ Casinensis, nempe tam iis quos tunc præsentes esse contigerat, quam omnibus qui per octo continuos dies eo conventuri essent confessorum peccatorum absolutione concessa. *Urbanus* II. anno 1098. Andegavos profectus est. *Tunc in Septuagesima*, inquit *Fulco* (Spicil. tom. 10. pag. 396.) *dedicata est* ecclesia sancti *Nicolai* ab ipso Papa; qui *edicto* jussit, ut *in eodem termino, quo dedicationem fecerat, Indictum publicum celebraretur unoquoque anno apud Sanctum* Nicolaum *& septima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur.* Idem factum anno 1120. a *Callisto* II. qui dedicata Maurinianensi prope Stampas ecclesia (Chesn. to. 4. pag. 369.) annuam peccatorum remissionem in dedicationis anniversario constituit. Anno 1146. Eugenius III. ad ferendas locis sacris suppetias animavit Indulgentiæ plenariæ beneficio, ut *omnium de quibus corde contrito confessionem fecissent, Indulgentiam obtinerent*, teste *Bernardo* (Epist. 322. n. 5. Vi Epist. 394.), qui alibi eam *largissimam* appellat. Sæculo insequente pœnitentibus, & confessis quadraginta dies de injunctis pœnitentiis ab *Innocentio* III. relaxati, his, qui ad Sanctum *Dionysium* reliquias sancti Dionysii Corinthiorum Episcopi veneraturi accederent, uti *Guillelmus* (Spicil. to. 11. pag. 501.) Nangius testatur. Verum Concilium Lateranense anni 1215. sub eodem *Innocentio* Indulgentiarum frequentiam cap. 62. improbat, *quia*, inquit, *claves* Ecclesiæ *contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.*

IV. Deinde ex eodem auctore *Bonifacius* VIII. anno 1300. *indultum faciens concedit plenam indulgentiam peccatorum omnium cunctis vere pœnitentibus & confessis, accedentibus per anni præsentis spatium, & per quemlibet futurorum annorum centesimum, ad beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas urbis* Romæ *voto peregrinationis humiliter ac devote.* Eadem Indulgentia *omnibus vere pœnitentibus* concessa est singulis quinquagenis per *Clementem* sextum anno 1350. testante *Nangii* Continuatore: quod demum ad singulos annos viginti quinque extensum est. Plenariæ id genus Indulgentiæ postea concessæ pro felici promotione cujuslibet Pontificis & quælibet gravi causa, sed addita sacræ

communionis conditione. Nec omittendum hoc loco quod *Clemens* sextus anno 1348. *absolutionem a pœna & culpa* (Ibid. pag. 509.) *ex peste decedentibus per suos Confessores* impertitur. Alias *Clementis* V. Indulgentias legesis in Spicilegii, tomo 4 (pag. 284. 290. & 295.)

V. Episcopi etiam jamdudum Indulgentiarum concessione usi sunt. Inter primos *Pontius* Arelatensis Antistes anno millesimo, cum Montis majoris ecclesiam dedicasset, hanc gratiam ei largiri voluit *cum suorum Canonicorum assensu*, ut si aliquis in eam veniens fuerat talis qui *per indictam sibi pœnitentiam non introeat ecclesiam, nec communionem sacri corporis Christi aut osculum pacis accipiat, nec capillos sibi tondat aut radat, nec linum vestiat, nec spiritales filiolos de sancto fonte suscipiat, nec feria secunda, aut quarta, aut sexta aliquid gustet præter panem aut aquam* (quæ sunt pœnitentiæ publicæ signa) *hic talis ad jam dictam ecclesiam si venerit in die videlicet dedicationis ejus aut semel in anno cum sua vigilia, & adjutorium dederit ad opera ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ modo noviter construitur in prælibato monte; ex parte Domini nostri Jesu Christi & ex nostra sit absolutus ab ipso die, quo suam vigiliam fecerit de tertia parte majorum peccatorum unde pœnitentiam habet acceptam, usque eo ad ipsum diem revertentis anni, vel datarum in quo dedicatio celebrabitur prælibatæ ecclesiæ: & habeat licentiam intrandi in totas ecclesias per totum ipsum annum, communicandi & pacem accipiendi, & tondendi & radendi & lini vestiendi & filiolos de sacro fonte suscipiendi, excepto Quadragesimali tempore & jejuniis de quatuor temporibus. Et si tres dies de septimana sunt ei vetati per pœnitentiam unum reddimus ei, ut comedat & bibat quod ei deus dederit. Et si duo, unum reddimus ei: & si unus, illum reddimus ei tali tenore, ut pascat tres pauperes* . . . . Denique illos *qui de minoribus peccatis sunt confessi, & habent acceptam pœnitentiam; si venerint ad dedicationem prædictæ Ecclesiæ, aut semel in anno cum sua vigilia, & cum adjutorio ad opera sanctæ Mariæ; absolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ usque ad unum annum, vel datarum in quo dedicatio celebrabitur prædictæ ecclesiæ*. Hæc fusius ex *Pontii* (Spicileg. t. 6. pag. 427.) epistola referre visum est, quod multum conferant ad hoc argumentum illustrandum: cetera quæ sequuntur consulat qui volet.

VI. Ejusdem ferme tenoris est alia epistola *Rajambaldi* (Ibid. pag. 441.) Episcopi pro dedicatione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Corteno, ut pænitenti, qui ad eam *in consecratione* ejus advenerit, *tertiam partem pænitentiæ* remittat Episcopus, & *Ecclesiam*, id est post ejus ingressum, *usque ad caput anni* ei reddat & pacem, simulque facultatem incidendi capillos &c. quæ ad annum 1065. referuntur. Hanc vero potestatem *Raimbaldus a sancto Petro* se accepisse dicit. Paulo aliter *Anselmus* Mediolanensis Pontifex, post dedicationem a se factam ecclesiæ sancti Sepulcri, inter alia (Puricel. pag. 481.) statuit, ut octo diebus ante recurrentem sollemnitatem, & octo postea, *esset pax & tregua per totum Comitatum*, ut quicumque ad ipsum Domini sepulcrum ire non potuerit, & ad istam ecclesiam accesserit, *remissionem suorum tertiæ partis delictorum habeat*. Actum anno 1100. Insignes sunt hac de re Hugonis Rothomagensis Pontificis litteræ de elevatione corporis Sancti *Gualteri* Abbatis Pontisarensis. Ea enim occasione *de pænitentiis criminalium quæ septennio concluduntur, pie confitentibus & vere pænitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His vero qui annorum quatuordecim pœnitentiam susceperunt, duo anni integri, & residui temporis pars tertia condonatur: viginti autem annorum tres anni, & residui temporis pars tertia. De pænitentis vero quadraginta annorum & amplius totam medietatem remitti & reliquorum annorum partem tertiam condonat. De parvulis vero qui baptizati, vel sine baptismo infra septem annos mortui sunt per negligentiam parentum, pænitentiam parentum ipsorum remittit, excepta sexta feria in hebdomada: in qua etiam si pœnitens ad Ecclesiam accesserit, qualem Charitatem ei Presbyter suus dederit, talem habeat. Si vero infirmus fuerit, aut mulier prægnans vel debilis quæ jejunare non posset, dicat septies* Pater noster, *& faciat bonum quod potuerit*.

rit. *Partem denique tertiam de pœnitentia minorum peccatorum remittit, sed & oblita peccata omnino condonat*. Ex quibus omnibus intelligimus, pœnas peccantibus pro gravitate criminum ad normam veterum canonum etiam tunc fuisse impositas, a quibus Indulgentiarum beneficio relaxatio tribuebatur.

VII. Præter dedicationem ecclesiarum & cultum quorumdam sanctorum specialem, alia fuit etiam causa instituendi Indulgentias, nimirum constructio ecclesiarum. Illud vero observatione dignum in lib. 2. de vita Sancti *Stephani* Abbatis Obazinensis apud clarissimum *Baluzium* (Miscel. tom. 4. pag. 130. & seqq.), quod cum Abbas piissimus ecclesiæ suæ jactis fundamentis urgeretur ab Episcopo, ut ad tanti tenoris operis supplementum, " *sicut* „ *fere cunctis ædificantibus mos est, po-* „ *pulos commoneret litteris Indulgentia-* „ *rum largitate refertis*: tamen ei vir san- „ ctus, *numquam acquiescere voluit, di-* „ *cens: Nos talem consuetudinem intro-* „ *ducere nolumus, ut populis scandalum* „ *& nobis ignominiam adquiramus, cir-* „ *cumeundo ecclesias, ostendendo beneficia,* „ *Indulgentias largiendo quas dare non po-* „ *terit nisi solus Deus*. " Cum vero idem domum novam alibi ædificare vellet, a quibusdam compulsus est commonitorias ejusmodi litteras a loci ejus Episcopo postulare, ut domui illi ædificandæ populus beneficia impertiret. Episcopo annuente, litteræ scribi cœptæ. *Cumque ventum esset ad Indulgentiarum locum, mandat Abbati, quantum indulgentiæ bis, qui in hac fraternitate se mitterent, vellet adscribi: cui ille ita remandavit*: " *Nos, inquit,* „ *Domine nostra adhuc premunt peccata,* „ *nec possumus levare aliena. Quod au-* „ *diens Episcopus lætus erubuit*, " & viri Dei factum magnopere laudavit, ut certe merebatur tantus animus, a cupidine adeo alienus.

VIII. Quod audis postulasse Episcopum, *quantum Indulgentiæ* Abbas vellet litteris adscribi; illud forsan ob id factum est quod tunc Indulgentiæ gratiam augere penes Episcopos staret. Postea vero ad quadraginta dies hæc potestas contracta est ante annum 1284. Ipso namque anno *Simon* Bituricensis Archiepiscopus Abbatiam Angliæ diœcesis Pictavensis visitans, multis cruce signatis pro negotio Aragoniæ (Ibid. pag. 211.) *auctoritate Domini Papæ, & Legati centum dies Indulgentiæ contulit, & auctoritate sua quadraginta*. Decem tantum Indulgentiæ dies ineunte sæculo 14. *Henricus* Episcopus Namnetensis iis indulget, qui remanent in Missa usque ad finem: Quod *Daniel* ejus successor pœnitentibus & confessis approbat, dum tamen ab elevatione Eucharistiæ sanctæ usque ad elevationem calicis steterint genibus flexis. Adeo languens erat tunc temporis pietas, ut hoc stimulo indigeret! Longe ardentior erat sæculo decimo fides ac devotio sanctorum Antistitum *Brunonis* & Wolfangi, qui etiam morte imminente, sacrum Viaticum *toto corpore* in terram *prostrato* susceperunt. Sed ut ad propositum revertar, etsi ad quadraginta dies passim redactæ essent Episcoporum Indulgentiæ, nihilominus *Joannes* de Ordine Tuetonicorum, Laconiensis Episcopus Monasterium Scuteranum Diœcesis Argentinensis in Alesatia visitantibus relaxat (Idoc. Coccius de Dagobert. cap. 9.) *centum dies criminalium & annum venialium* anno 1288. Generalis & plena est Indulgentia beatæ Mariæ de Portiuncula ab erudito *Baluzio* in tomo 4. Miscellaneorum. Ut paucis finiam *Dominicus* de Astallis, Episcopus *Fundanus* (Ital. Sac. tom. 1. col. 772.) nulla contritionis aut confessionis facta mentione quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxat singulis Fidelibus ecclesiam beati Martini in Valle cussa visitantibus in præcipuis anni festis: qui scilicet dictam ecclesiam & signum crucis super imaginem beatæ Mariæ Virginis a se impressum adierint, recitatis *Pater noster* & *Ave Maria*. Sed de Indulgentiis satis.

P. FR.

P. FR. JO. FRAN. BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

De Litaniis

DISSERTATIO XXIX.

I. *Litaniarum* antiquitatem, & modum diligentiore opera inferius exponam. Inter sacras hujusmodi preces locum habent faustæ quædam *Adprecationes*, quæ inter Missarum solemnia, post *Hymnum Angelicum*, concini olim consueverant, Jesu Christo & Sanctis invocatis in adjutorium Summi totius Ecclesiæ Pontificis, loci Episcopi, & Episcoporum & Clericorum ordinis; Principum etiam virorum, Imperatorum, Regum, judicum, & militum exercitus.

Quæ in usu erant *Aquilejæ* Sedem Patriarchalem tenente *Peregrino* I. ab anno 1123. ad annum usque 1162. prostant in nostris Ecclesiæ *Aquilejensis* Monumentis Capite LXII. Easdem hoc etiam loco sub oculos ponere præstat.

„ Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
„ Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
„ Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
„ Exaudi Christe
„ ℟. *Schola*. Eugenio Summo Pontifici, & universali Papæ vita.
„ Salvator Mundi
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Petre
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Paule
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Exaudi Christe
„ ℟. N. Imperatrici Augustæ a Deo coronatæ salus, & vita perpetua.
„ Sancta Maria
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Sancta Euphemia
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Sancta Thecla
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Exaudi Christe
„ ℟. N. Regi nostro a Deo coronato salus, vita, & victoria.
„ Sancte Felix
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Fortunate
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Hermogenes
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Exaudi Christe
„ ℟. N. Reginæ nostræ a Deo coronatæ salus, & vita perpetua
„ Sancta Anastasia
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Sancta Erasma
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Sancta Dorothea
„ ℟. Tu illam adjuva
„ Exaudi Christe
„ ℟. Pelegrino a Deo electo, vel consecrato Patriarchæ salus & vita
„ Sancte Marce
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Hermacora
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Sancte Helare
„ ℟. Tu illum adjuva
„ Exaudi Christe
„ ℟. Omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omni Clero salus, & vita
„ Sancte Gregori
„ ℟. Tu illos adjuva
„ Sancte Ambrosi
„ ℟. Tu illos adjuva
„ Sancte Augustine
„ ℟. Tu illos adjuva
„ Exaudi Christe

„ ℟. O-

„ ℟. Omnibus judicibus, & cuncto exerci-
„ tui Christianorum salus, & victoria
„ Sancte Maurici
„ ℟. Tu illos adjuva
„ Sancte Georgi
„ ℟. Tu illos adjuva
„ Sancte Theodore
„ ℟. Tu illos adjuva
„ - - - - - - - - - - -
„ Feliciter, feliciter, feliciter
„ Tempora bona habeat
„ Tempora bona habeat
„ Tempora bona habeat
„ Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat
„ *Schola eadem repetat verba*
„ Rex Regum. *Schola.* Christus vincit.
„ Spes nostra. *Schola.* Christus vincit.
„ Gloria nostra. *Schola.* Christus vincit.
„ Ipsi soli Imperium, gloria, & potestas per immortalia secula seculorum Amen. *Schola.* Christus vincit.
„ Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia secula seculorum Amen. *Schola.* Christus vincit.
„ Ipsi soli honor, laus, & jubilatio per infinita secula seculorum Amen. *Schola.* Christus vincit.
„ Hunc diem. ℟. Multos annos.
„ Istam Sedem ℟. Deus conservet.

Animadversione *Sanctorum nomina* digna sunt, qui peculiari veneratione apud *Aquilejenses* colebantur. Occurrunt simillimæ Litaniæ aut sacræ *Adclamationes*, faustæque *Adprecationes*, in aliis adhibitæ Ecclesiis. Inter Analecta Mabillonii illæ prostant, in quibus adprecationes fiunt pro *Hadriano Summo Pontifice*, *Carolo Rege Francorum*, *& Langobardorum*, *ac Patricio Romanorum*. Verba illa, *Tu illum adjuva*, barbara Romana lingua, qualis ævo illo recepta erat, efferuntur hoc modo: *Tu lo juva*. Hujusmodi Litaniarum mentio habetur in Annalibus Bertinianis ad annum 791. „ Constituerunt „ *Litanias* facere per triduum: Missarum- „ que solemnia celebrantes, Dei solatium „ postulaverunt *pro salute Exercitus*, *&* „ *adjutorio Domini*, *& pro victoria*, *&* „ *vindicta super Avaros*. "

Alias vulgavit Goldastus Tomo II. Rerum Alamannicarum Parte II. cum adprecationibus *pro Hludowico a Deo coronato magno & pacifico Rege*, *& Hemma Regina*, *ac nobilissima prole regali*, *& judicibus*, *atque cuncto exercitu Francorum*, *& Alamannorum*. Nemo non intelligit Ludovicum memorari, Ludovici Pii filium, Regem Germaniæ. Inscripta Litaniis hæc habentur verba: *Finita oratione post Gloria in excelsis Deo dicit Sacerdos: Christus vincit &c.* Locus ac tempus innotescunt, cum illas concini suetum erat in Missarum solemniis. *Adclamationes*, quæ postremo loco habentur, prolixiores sunt ac in nostris *Aquilejensibus*.

Illas etiam memorare præstat, quas vulgavit Jo. Baptista Sollerius in Actis Sanctorum ad diem XIV. Julii, in Commentario Prævio ad vitam Henrici Imperatoris §. VIII. num. 85. Inscriptio est: *Letan. ad Missam in die Sancto Paschæ*. Invocationes fiunt pro Summo Pontifice, pro *Henrico a Deo coronato magno & pacifico Imperatore*, pro *Chunigunda Regina*, pro *nobilissima prole regali*, pro N. *Doctore pacifico*, pro N. *episcopo & cuncta Congregatione*, pro *Judicibus & cuncto exercitu Christianorum*. Ex illis verbis, *Nobilissima prole Regali*, calumnia sumitur adversus castimoniam a S. *Henrico* in conjugio servatam cum sancta *Chunegunda*. Hanc pluribus argumentis refellit Sollerius. Digna est, quæ hoc loco non prætermittatur animadversio: hujusmodi *Litanias*, aut faustas Adprecationes pluribus communes fuisse Ecclesiis, eisdemque inferi consuevisse supplicationum formulas, quæ decantari & omitti pro casu vario debebant. Si namque Imperator aliquis non fuisset conjugatus, casu illo nec supplicatio locum habebat pro Imperatrice, neque nobilissima prole. Adhuc ergo probandum superest (ut unum prædictæ calumniæ verbum opponamus:) in Litaniis tempore *Henrici*, & *Chunegundæ* decantatis, pro nobilissima eorum prole supplicatum fuisse. Sollerium consule.

Similes demum alias *Litanias* promit Ducangius in Glossario. V. *Laus*, ex Codice MS. Ecclesiæ *Arelatensis*. Adnotat ille earumdem usum etiamnum in Ecclesia *Remensi* vigere, Archiepiscopo majoribus in festivitatibus Sacra faciente. In vita *Petri Urseoli* II. Venetorum Ducis apud Dandulum in chronico libro IX. Capite I. Parte

Parte XIX. anno 998. hæc habentur: *Episcopi* (Jadrensis, Veglensis, Arbensis, aliique,) *Sacramentis confirmaverunt, quod Feriatis diebus quibus Laudis pompam in Ecclesia depromere solebant, istius Principis nomen, post Imperatoris* (nomen) *laudis præconiis glorificarent*. Vetustam *Petri Ziani* Ducis chartam affert Pilonus in Historia Bellunensi, *anno* M.CC.XI. *Mensis Septembris indictione* XV. *Rivoalti*, scriptam; ubi Venetis Cretensibus prædictas laudes Dux indicit statis diebus celebrandas: *Laudes*, inquiens, *nobis, & successoribus nostris, in Archiepiscopatu, & Episcopatibus, decantare facietis quater in anno: in Nativitate Domini, in Pascha Resurrectionis, in Festo S. Marci, & in Festo Majoris Ecclesiæ Cretensis Litaniam*. Ritum hunc suo in Ecclesiis *Dalmatiæ* observatum tempore fuisse, testatur Joannes Lucius Libro II. de Regno Dalmatiæ Capite VI. apud Ducangium loco citato.

II. *Litaniam* dici debere, non *Letaniam* docent Monachi S. Mauri in Notis ad epistolam II. Libri XI. Sancti Gregorii Magni, & ad Fragmentum alterum in Appendice; quod evincunt ex verbo græco λιτάζομαι ex quo λιτὴ & λιτανεία derivantur. Alia Litania major; minores aliæ. Litania major ea est, quæ in die S. Marci Evangelistæ celebratur.

Hanc *Litaniam majorem*, sumptam videlicet pro supplicatione publica Processioni conjuncta, instituisse fertur S. Gregorius Magnus. Ad hanc pertinet Charta, de *Litania Majore* inscripta, quæ olim typis edita prostabat Libro II. ante Epistolam primam, sub *Indictione* X. quæ anno 591. a Septembri Mense incipiebat. At hocce Monumentum luculentissime docet, jam ante Sanctissimum Pontificem in usum fuisse *Litaniam majorem*. Id evincunt quæ sequuntur verba: „ Solemnitas *annuæ devotionis* nos, Filii Dilectissimi, „ admonet ut *Letaniam* quæ *Major* ab „ omnibus appellatur, solicitis ac devotis „ debeamus, auxiliante Domino, celebra„ re obsequiis. “ Tum dies agendæ supplicationis indicitur: ejusdemque inchoandæ, & complendæ loca designantur: „ *Sexta* igitur *Feria* veniente, a Titulo Bea„ ti Laurentii Martyris, qui appellatur „ *Lucinæ* egredientes ad Beatum Petrum „ Apostolorum Principem, Domino sup„ plicantes . . . . properemus. “ Anno 592. in diem 25. Aprilis incidebat Feria sexta. Hinc scitissime Baronius in martyrologio ad diem præfatam Aprilis XXV. adnotat, *Litanias Majores* non inventas a Gregorio Magno, sed *ad S. Petrum* anno illo indictas.

Diligentiorem *Processionis* hujus descriptionem offert Sacramentarium *Gregorianum* a Pamelio vulgatum. Egrediebatur ab *Ecclesia S. Laurentii in Lucina*: procedebatque per Portam Flaminiam ad *Ecclesiam S. Valentini*, tum ad *Molbi pontem* (seu Milvium), tum etiam ad *crucis Oratorium* prope S. Petri Ecclesiam: atque in ejusdem *S. Petri* demum *Ecclesia* terminabatur. In Sacramentario *Gregoriano*, quod typis edidit Muratorius, eadem nominantur loca: *ad S. Laurentium in Lucina, ad S. Valentinum, ad Pontem Molbi, ad crucem in Atrio* S. Petri. Hinc *Majorem* dictam *Litaniam* arbitrantur nonnulli ob longitudinem itineris; ita vocatam alii putant, quod plures pluresque fierent Sanctorum invocationes: vel etiam quod ex universo clero seculari, & Regulari, ac frequentiore populi concursu constaret. Tribus hisce rationibus *Major* dici poterat *Litania* apud *Aquilejenses*, qui eam *per omnes Ecclesias Civitatis* ducebant.

Diei 25. mensis Aprilis adsignatam exhibent vetusta Monumenta, nulla S. Marci Evangelistæ festivitatis injecta mentione. In Kalendario Joannis Frontonis ita legimus: „ Die XXV. mensis (Aprilis) „ *in Letania Majore*. Secundum Luc. cap. „ CXXIV. *Dixit Jesus discipulis suis: Quis* „ *vestrum habet amicum?* usque *dabit bo-* „ *num petentibus se*. “ Ante finem septimi seculi nullum extare *Festivitatis S. Marci* ea die vestigium dicitur in Ritualibus Codicibus, Kalendariis, & Sacramentorum libris.

Majorem hanc Litaniam viri docti eamdem putant cum *Litania septiformi*. Prostabat olim inter Epistolas Sancti Gregorii Libro XI. Indictione VI. æræ vulgaris anno 603. num. 2. denunciatio pro *septiformi Litania*. Hanc Monachi Sancti Mauri inscribunt *Orationem Sancti Gregorii*

rii ad plebem de mortalitate, rejeceruntque in Tomum I. ad calcem Homiliarum in Evangelia. Grassantem luem, quae sequuntur, indicant verba: *Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem prævenit; sed & languoris moras, ut cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur*. Post Tiberis inundationem, quæ anno 589. accidit Septembri mense, pestilentia erupit. Percussus insequentis anni 590. initio, idest Januario mense, *Pelagius* II. interiit. Paulo post *Gregorius Magnus* eligitur in Summum Pontificem. Mauritii Imperatoris adsensus expectabatur: minimeque sero ejus litteræ perlatæ sunt, ut nonnisi die 3. Septembris ordinatione sacra initiari eodem anno 590. potuerit. Eo temporis intervallo, augebatur dira pestilentia, vastabaturque continuis funeribus Roma. Romanos pene animum despondentes ut spe facta erigeret in Deum Sanctissimus Pontifex electus, totque inter flagella ad pœnitentiam provocaret, concionem ad populum habuit *de Mortalitate*: dignam sane, quam litteris consignaret Gregorius Turonensis, a suo Diacono, qui tunc Romæ erat, acceptam. Publicam etiam a Gregorio Pontifice indictam supplicationem, *Septiformem Litaniam* appellatam, refert Turonensis in Historia Francorum Libro X. Capite I. Hæc ejusdem distributio: „ ut *Clerus* egrediatur ab Ecclesia „ Sanctorum Martyrum Cosmæ & Da„ miani, cum Presbyteris regionis sextæ; „ *omnes Abbates* cum Monachis suis ab „ Ecclesia SS. Martyrum Gervasii & Pro„ tasii, cum Presbyteris regionis quartæ; „ *omnes Abbatissæ* cum Congregationibus „ suis egrediantur ab Ecclesia SS. Mar„ tyrum Marcellini & Petri, cum Presby„ teris regionis primæ: *omnes infantes* ab „ Ecclesia SS. Joannis & Pauli, cum Pres„ byteris regionis secundæ: *omnes laici* „ ab Ecclesia Sancti Protomartyris Stepha„ ni, cum presbyteris regionis septimæ: „ *omnes mulieres viduæ* ab Ecclesia San„ ctæ Euphemiæ, cum Presbyteris regio„ nis quintæ: *omnes mulieres conjugatæ* „ egrediantur ab Ecclesia Sancti Clemen„ tis Martyris, cum Presbyteris regionis „ tertiæ. Ac omnes demum ad Beatæ „ Mariæ semper Virginis Genitricis Domi„ ni nostri Jesu Christi Basilicam congre„ gentur. “ Eumdem describit ordinem Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum Libro III. Capite XXIV. quem in eadem Sanctissimi Pontificis *Concione*, Opusculo inserta de vita ejus num. XI. prætermittit. Discrepat Joannes Diaconus in ea, quam Gregorii vitam conscripsit, tum in ordine personarum, tum in Basilicis. Verba ejus sunt Libro 1. num. XIII. „ Lita„ nia clericorum exeat ab Ecclesia Sancti „ Joannis Baptistæ: Litania *virorum* ab „ Ecclesia Sancti Martyris Marcelli: Lita„ nia *Monachorum* ab Ecclesia SS. Joannis „ & Pauli: Litania *Ancillarum Dei* ab „ Ecclesia Beatorum Martyrum Cosmæ & „ Damiani: Litania *fœminarum conjuga„ tarum* ab Ecclesia Beati primi Martyris „ Stephani: Litania *viduarum* ab Eccle„ sia Martyris Vitalis: Litania *pauperum* „ & *infantium* ab Ecclesia Beatæ Cæciliæ „ Martyris. Convenire omnes debent ad „ Sanctæ Dei Genitricis Ecclesiam. “

Dissidium, quod inter Scriptores de ordine, & loco hujusmodi supplicationum versatur, conciliare nititur Baronius ad Annum 590. num. 12. „ Sed unde, in„ quiens, ista diversitas? Non aliunde pu„ to quam quod cum non semel ejusmo„ di indictæ fuerint Litaniæ, proque di„ versitate dierum affigerentur in Ecclesia „ inscriptiones singulæ diebus singulis, ex „ alia ipsarum alterius diei desumpserit „ Diaconus Gregorii (Turonensis): & ex „ alia alios retulerit inter Epistolas Gre„ gorii Magni, (& apud Joannem Dia„ conum.) “ Baronio favent Gregorii Turonensis verba, qui post Concionem superius memoratam sic ait: *Hæc eo dicente, congregatis clericorum catervis, psallere jussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant utrique chori psallentium ad Ecclesiam: clamantes per plateas urbis Kyrie eleison*. Animadverte verba illa, *per triduum*: quæ *Litanias Septiformes* non semel indictas fuisse evincunt. Item illa verba animadverte, *Kyrie eleison*: quæ sunt Litaniarum, quæ hodieque usurpamus, initium, in quibus nomina etiam Sanctorum invocantur.

Li-

Litaniam hanc septiformem pro eadem Monachi S. Mauri habent cum *Litania Majori*. Hinc illam cum animadverterent in laudata *Concione* convenire *in Basilicam Sanctae Mariae*, & istam in alia memorata *Charta* convenire in *Ecclesiam Sancti Petri*, pro genuino scripto *chartam* habentes, veluti dubiam aut spuriam rejecerunt *Chartam* in Appendicem ad Sanctissimi Pontificis epistolas. Cajetanus Maria Meratus in Notis & observationibus ad Gavantum Tomo 1. Parte IV. Tit. XI. num. VIII. distinguendas censet hujusmodi Litanias, *Majorem*, & *Septiformem*. Qua posita distinctione, ratio cadit, quae Doctissimis viris injecit scrupulum. Cur eas vero non distinguas? In charta mentio fit *Litaniae Majoris*, quae ante Gregorium instituta fuerat: *eratque jam solemnitas annuae devotionis*, diei 25. Aprilis illigata. Agitur in Concione de *Litania*, quae vocatur *septiformis*, ab ipso Gregorio instituta, ad avertendum grassantis pestilentiae flagellum.

Haec anno 590. ad finem vergente habita est, antequam Gregorius die 3. Septembris ordinaretur Pontifex ... Unde „ monendus est lector, (verba sunt Baronii num. 12.) *Concionem* illam per„ peram relatam esse in ipsius Gregorii „ Epistolarum librum XI. sub *Indictione* „ *sexta*, (quae annum Christi indicat 603.) „ ..... Praestat ex hac parte audire Hi„ storicos omnes, testantes indictam ab „ ipso Gregorio fuisse *quarto Kalendas Se-* „ *ptembris*, *Indictione octava*. " De anno Christi 590. indicato dubium nullum: incerta vero dies illa 29. Augusti. At *Litaniam Majorem* indictam prodit *Charta* superius memorata *veniente sexta Feria*: eademque *Charta* prostabat olim Libro II. epistolarum *sub Indictione decima*, seu anno 592. Quo scilicet anno, littera Dominicali E insignito, in diem 25. Aprilis incidebat Feria sexta. Annum 603. loco citato definit Meratus; perperam ut puto.

III. In *ordine* MS. superius citato per circulum anni, secundum consuetudinem Ecclesiae Civitatis Austriae, *Litaniam Majorem* praecedit *benedictio aquae cum Sale*. Hanc solemnem benedictionem vocat *Majorem* Missale ejusdem Ecclesiae seculo ineunte quartodecimo scriptum: ejusdemque scopum, ritumque offert, ut sequitur. In „ *Letania Majori* incipit *major* benedictio „ salis & aquae, ad omnia valde necessa„ ria, & maxime pro peste animalium. „ Quae benedictio secundum *ordinem Ma-* „ *joris Ecclesiae civitatis Austriae* fit in *Fe-* „ *sto S. Marci*: in quo hora prima diei „ apporteturde sale puro, & de aqua re„ centi & munda in congiis, situlis, & „ aliis vasis. Et omnia illa ponantur in „ medio Ecclesiae. Interim autem pulsentur „ campanae ad Officium: & post pulsatio„ nem Clerus in choro cantet Primam, „ Tertiam, & sextam. Et interim Sacerdos „ indutus Pluviali desuper, Ministrique „ Dalmaticis, cantata Sexta, stent in me„ dio chori. Et praeparatis Cruce, cereis, „ & thuribulo, ipse Sacerdos una cum „ Ministris, & omni clero processionaliter „ sub silentio vadant ad locum, ubi sal „ & aqua depositi sunt. Et ibi ordinatis „ choris, dictus Sacerdos stans cum mini„ stris in medio, ad latus salis, & aquae, „ in primis dicat ter: *Deus in Adjutorium* „ *meum intende*. Post haec legantur *septem* „ Psalmi poenitentiales. Finitis septem „ Psalmis, cantentur unanimiter *Litaniae*. „ Tum *oratio*. Lectio libri Regum: In „ *diebus illis dixerunt viri civitatis ad* „ *Eliseum*. Evangelium: *Vos estis sal ter-* „ *rae*. Exorcismus salis. Alius. Alius. „ Oratio. Alia. Alia. Exorcismus aquae. „ Alius. Alius. Oratio. Alius exorcismus „ aquae. Oratio super salem & aquam. „ Praefatio .... *Vere dignum* ... *aeter-* „ *ne Deus, caeli, & terrae, cujus virtuti* „ *subjecta sunt universa*, *Sanctus*, *San-* „ *ctus*, *Sanctus*. Oremus. *Praeceptis salu-* „ *taribus*. *Pater noster*. Tum aliae ora„ tiones. Congregantur animalia. Effun„ ditur aqua benedicta. Processio sequitur „ ad S. Joannem Baptistam, jam supe„ rius memorata.

Haec benedictio salis & aquae, quae *Major* appellabatur, in *Festo S. Stephani* peragi in Ecclesia *Aquilejensi* consueverat. Ritum integrum exhibet Rituale Aquilejense anno 1575. impressum. „ *Adjuto-* „ *rium nostrum in nomine Domini*. Introi„ tus. *De necessitatibus meis eripe me*, „ Oratio. *Deus cujus antiqua miracula*. „ Lectio libri Regum. *In diebus illis di-* „ *xerunt viri civitatis ad Eliseum*. Se-

„ cun-

„ cundum Joannem. *Vidit Joannes Jesum*
„ *venientem ad se*. Offertorium. *Sicut in*
„ *holocaustis arietum & taurorum*. Exor-
„ cismus salis. *Exorcizo te creatura salis in*
„ *nomine Dei Patris omnipotentis*, *& in*
„ *caritate Domini nostri Jesu Christi*. E-
„ xorcismus aquæ: *Exorcizo te creatura*
„ *aquæ per Deum verum*, *per Deum San-*
„ *ctum*. Alius. *Exorcizo te creatura aquæ*
„ *in nomine Dei Patris*. Alius. *Te ergo*
„ *creatura aquæ adjuro per Deum vivum*.
„ Oratio. *Deus qui ad salutem humani ge-*
„ *neris*. Exorcismus salis. *Exorcizo te crea-*
„ *tura salis per Deum vivum*. Benedictio
„ Salis. *Benedic omnipotens Deus hanc crea-*
„ *turam salis*. Oratio. *Rogamus te & sup-*
„ *plicamus*. Exorcismus salis. *Eorcizo te*
„ *creatura salis*. Benedictio salis. *Virtutis*
„ *tuæ invictam fortitudinem deprecamur*.
„ Alia. *Domine Sancte*, *Pater omnipotens*,
„ *benedic hanc creaturam salis*. Benedictio
„ aquæ. *Domine Sancte*, *Pater omnipotens*
„ *instaurator*, *& conditor omnium elemen-*
„ *torum*. Benedictio Salis. *Domine Sancte*,
„ *Pater omnipotens*, *æterne Deus*. Exorcis-
„ mus salis. *Exorcizo te creatura salis*.
„ Oratio: *immensam elementiam tuam*. Ex-
„ orcismus aquę. *Exorcizo te creatura aquæ*.
„ Exorcismus: *Deus qui ad salutem huma-*
„ *ni generis*. Postea immittat sal in a-
„ quam dicens. *Fiat hæc commistio salis*
„ *& aquæ*. Benedictio salis & aquæ. *Deus*
„ *invictus virtutis auctor*. Oratio. *Deus*,
„ *cui cherubin & Seraphin in sublimi*
„ *throno sedenti*. Præfatio. *Per omnia se-*
„ *cula .... vere dignum & justum est ....*
„ *æterne Deus cujus virtuti subjecta sunt*
„ *universa .... Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* ..
„ Oremus. *Præceptis salutaribus moniti ...*
„ *Pater noster ..... Libera nos quæsumus*
„ *Domine ab omnibus malis præteritis*, *præ-*
„ *sentibus*, *& futuris*: *& custodi nos in*
„ *omni tempore bono per liberatorem*, *&*
„ *redemptorem Dominum nostrum Jesum*
„ *Christum filium tuum*. *Qui tecum*. O-
„ ratio. *Quæsumus Domine*, *tuum salubre*
„ *remedium ..... Agnus Dei qui tollis*
„ *peccati mundi*... Oratio. *Domine Deus*
„ *omnipotens æterne*, *officii nostri functio-*
„ *ne*, *immeriti deprecamur*. Alia. *Deus*
„ *invisibilis*, *qui per cuncta divisus es*. ℣.
„ *Vox Domini super aquas*. ℣. *Homines*
„ *& jumenta salvabis Domine*: Benedictio
„ salis & aquæ. *Domine sancte*, *Pater O-*
„ *mnipotens*, *instaurator & conditor*. Hic
„ Sacerdos aspergat, & thurificet sal, &
„ aquam, dicens. *Præsta*, *quæsumus Do-*
„ *mine*, *per hujus creaturæ aquæ asper-*
„ *sionem*. "

Orationes variæ indicatæ, & *benedictio-nes*, ac varii salis & aquæ *exorcismi* prostant integri fere omnes apud Martenium inter varias, quas affert *Benedictiones salis*, *& aquæ ad Ecclesias dedicandas* Libro II. Capite XIII. Sola afferre initia satius fuit ut *Aquilejensium*, *& Forojulensium* ritus in hac solemni aquæ benedictione innotesceret. Solemnitatem ejus auget *Missa*, quæ *Sicca* dicitur, inter exorcismos, & benedictiones celebrata. Recole attentius, quæ omnia adnotavimus: eaque negotio nullo consona perspicies Guillelmo Durando, *Siccam Missam* libro IV. Capite I. num. 23. his verbis describenti: " Quinimo si ex de-
„ votione, non ex superstitione, velit,
„ *totum Officium Missæ* dicere *sine sacrifi-*
„ *cio*: accipiat omnes vestes Sacerdotales,
„ & Missam suo ordine (*Introitum*, *Ora-*
„ *tionem*, *Lectionem*, *Evangelium*) celebret
„ usque ad finem *Offerendæ* (seu Offer-
„ torii:) dimittens *secreta*, quæ ad sacri-
„ ficium pertinent. *Præfationem* vero di-
„ cere potest, (quæ specialis est, ritui
„ benedictionis adaptata.) De *canone* ve-
„ ro nihil dicat; sed *Orationem Dominicam*
„ non prætermittat. Et quæ ibi sequun-
„ tur sub silentio dicenda non dicat. Ca-
„ licem, vel hostiam non habeat: nec de
„ iis, quæ super Calicem seu Eucharistiam
„ dicuntur, aliquid faciat vel dicat. Potest
„ etiam dicere, *Pax domini sit semper*.
„ Melius est tamen alia omittere. " Hanc Martenius illustrat Missam. Libro I. Capite III. art. I. Antiquitatem ejus scrutatur: ejusque recenset patronos, & adversarios. Plura conveniunt, alia differunt in *Benedictione aquæ*, quam in *vigilia Epiphaniæ* peragendam Rituale *Romanum* præscribit.

IV. Sequuntur *Rogationes* in triduo ante Domini gloriosam, ac triumphalem Ascensionem. In antiquis quibusdam Sacramentorum libris dictas *Litanias Minores*, quamvis in aliis etiam *Majores*, adnotat Martene libro IV. Capite XXVII. num. I. In Missali *Aquilejensi* impresso legimus: in

Le-

Litania Majori. Præter supplicationes, atque Cleri, ac plebis processionem ad Ecclesias adsignatas, Missa prostat in eodem *Aquilejensium* Missali, quæ alibi etiam celebrari consueverat, hodieque consuescit. „ „ Introitus. *Exaudivit de Templo Sancto* „ *suo*. Non dicitur. *Gloria in excelsis Deo:* „ nec *Credo*. Oratio. *Præsta quæsumus* „ *domine omnipotens Deus*. Lectio Jacobi „ Apostoli. *Carissimi, confitemini alterutrum*, vers. *Alleluja*. ℣. *Confitemini Domino*. Secundum Lucam. *quis vestrum* „ *habebit amicum*. Offertorium. *Confitebor* „ *Domino nimis in ore meo*. Secreta. *Hæc* „ *munera quæsumus, Domine*. Præfatio „ quotidiana. Communio. *Petite & accipietis*. Complenda *vota nostra*. “

Rogationes, ante Pontificatum Leonis III. Qui anno 795. sedere cœpit, receptas non fuisse, testis adest Anastasius Bibliothecarius: „ Ipse vero constituit, inquiens, ut „ *ante tres dies* Ascensionis *Dominicæ Litaniæ* celebrarentur: scilicet *Feria secunda*, egrediente Pontifice, cum omni „ clero & cuncto populo, cum hymnis & „ canticis spiritualibus, ab Ecclesia Dei „ genitricis ad Præsepe, pergendo ad Ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana. *Feria tertia* vero exeuntes „ ab Ecclesia Sanctæ Sabinæ Martyris, „ & pergentes ad Beatum Paulum Apostolum. *Feria quarta*, exeunte ab Ecclesia Hierusalem, & pergentes ad Ecclesiam Beati Laurentii Martyris foris „ muros. “ Romæ receptæ appellari fortasse potuerunt *Litaniæ Minores*, ad *Majores* illas comparatæ, quæ die 25. Aprilis habebantur: quæ nempe solemnitate majori, majori etiam cleri & populi concursu, ac longiore processionis itinere celebrari consueverunt.

Frequentior scriptorum opinio est, *Rogationum* primum fuisse auctorem *Mamercum* Episcopum Viennensem, seculo sexto. Hugonem Menardum consule in notis ad Sacramentarium *Gregorianum*, Mabillonium in *Liturgia Gallicana*, Edmundum Martene Capite XXVII. memorato num. 2. Josephum Binghamum, aliosque. Ab his diligentius *Rogationum* origo discussa, egregieque varii eas peragendi ritus declarati.

V. Litanias, *Majores*, *Minoresque*, eo etiam appellare sensu liceat, quæ magis, minusque prolixæ sunt, ac plures vel pauciores continent sanctorum invocationes. Hoc sensu *Minores* voco, quæ Capite XXVIII. num. 1. descriptæ sunt ex Rituali Aquilejensi in *Ordine ad ungendum infirmum*. Sunt prorsus eædem, nonnullis *rogationibus* exceptis, quæ *Sabbatho Sancto*, & in *Vigilia Pentecostes* canendæ præscribuntur in Benedictione Fontis. Prolixiores alias exhibent Mss. Codices, in utriusque Ecclesiæ, *Aquilejensis*, & *Forojulensis*, Tabulariis adservati.

Specimen affero hujusmodi Litaniarum, quæ prostant in Ms. Processionario *Forojuliensi*. Omnes invocantur & singuli Apostoli, & Evangelistæ, ac rursum *S. Timotheus*, & *S. Titus*. Martyres numerantur *Stephanus*, *Laurentius*, *Vincentius*, *Hermacoras*, *Fortunatus*, *Donatus*, *Romulus*, *Silvanus*, *Venustus*, *Hermogenes*, *Pulius*, *Fabianus*, *Sebastianus*, *Joannes*, *Paulus*, *Cosmas*, *Gervasius*, *Protasius*, *Blasius*, *Justus*, *Modestus*, *Quirinus*, *Pantaleon*, *Christophorus*, *Crisintinus*, *Jacobus Intercisus*, *Victor*, *Alexander*, *Abdon*, *Senes*, *Julianus*, *Theodorus*, *Symphorianus*, *Claudius*, *Nicostratus*, *Castor*, *Simplicius*, *XL. Martyres*, *Achacius*, *Elyadus*, *Mansas*, *Minias*, *Osvvaldus*, *Marcellus*, *Audisax*, *Habacuc*, *Emerentianus*, *Macarius*, *Projectus*, *Amandus*, *Redastus* ... *Valentinus*, *Vitalis*, *Tiburtinus*, *Valerianus*, *Petrus Martyr*, *Juvenalis*, *Gordianus*, *Epimachus*, *Vitalis*, *Agricola*, *Herejus*, *Achilejus*, *Pangracius*, *Agapitus*, *Gengolfus*, *Telegrinus*, *Urbanus*, *Nicomedes*, *Marcellinus*, *Petrus*, *Primus*, *Felicianus*, *Prothus*, *Hyacintus Basilides*, *Marchus*, *Marcelianus*, *Processus*, *Martinianus*, *septem Fratres*, *Apollinaris*, *Hermolaus*, *Sixtus*, *Hyppolitus*, *Cyriacus*, *Smaragdus*, *Firmus*, *Rusticus*, *Magnus*, *Genesius*, *Florianus*, *Rufus*, *Terentianus*, *Antoninus*, *Adrianus*, *Mauritius*, *Cornelius*, *Cyprianus*, *Lambertus*, *Eustachius*, *Theopistes*, *Dionysius*, *Gereon*, *Anicus*, *Amellus*, *Desiderius*, *Crispus*, *Crispinianus*, *Theonistes*.

Sancti Confessores invocantur, *Silvester*, *Martinus*, *Augustinus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Gregorius*, *Eusebius*, *Nicolaus*, *Leo*, *Joannes*, *Os auri*, *Beda*, *Heraclius*, *Aymon*, *Damasus*, *Zeno*, *Prosdocimus*,

timus, Lanfrancus, Amandus, Rubertus, Severus, Remigius, Aegidius, Wilibaldus, Gumbertus, Seminianus, Thomas de Aquino, Homobonus, Paulus primus Eremita, Patricius, Benedictus, Antonius, Maurus, Hilarion, Honorificus, Columbanus, Gallus, Leonardus, Silvanus, Quintus ... Dominicus, Franciscus, Antonius, Ludovicus, Bernardinus.

Sanctarum Mulierum invocationes sunt, *Mariae Magdalenae, Marthae, Agnetis, Luciae, Apolloniae, Catharinae, Dorotheae, Euphemiae, Theclae, Erasmae, Barbarae, Julianae, Ursulae cum sodalibus, Cordulae, Babillae, Potentianae, Praxedis, Primerinae, Justinae, Fumiae, Petronillae, Sabinae, Inclitae, Felicitatis, Perpetuae, Christinae, Maurae, Coronae, Rosae, Clarae, Margaretae, Hadvvigis, Cunigundae, Walpurgis, Mariae Aegyptiacae, Anastasiae, Helenae, Caeciliae, Bibianae, Gerdrudis, Regulae, Sotheris.* Alia Sanctarum Mulierum nomina desiderantur. Prolixae haud absimiles Litaniae prostant apud Martene Libro III. Capite XV. in Ordine I. & VIII.

VI. De prima hujusmodi precum origine sic habet Walafridus Strabo, Seculi noni Scriptor, de Rebus Ecclesiasticis Capite XXVIII. „ *Litanias* non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanae; sed etiam cuncta quae supplicationibus fiunt, orationes (al. rogationes) appellari. *Litania* autem *Sanctorum nominum*, postea creditur in usum assumpta, quam Hieronymus martyrologium, secutus Eusebium Caesariensem, per anni circulum conscripsit: ea occasione ab Episcopis, Chromatio, & Heliodoro illud opus rogatus componere, quia *Theodosius* religiosus *Imperator* in Concilio Episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem Episcopum, quod omni die missas explicans, *eorum Martyrum* quorum natalitia essent, *nomina plura* commemoraret. „ Privatas, publicasque preces Deo factas ad implorandam misericordiam ejus, dictas esse, λιτὰς & λιτανείας negaverit nemo. Sumi etiam *Litaniam* pro illa supplicatione, *Kyrie eleison*, in Graecis Jacobi, Basilii, & Jo. Chrysostomi Liturgiis repetita, adnotat Joannes Bona de Divina Psalmodia Capite XIV. §. IV. Sanctus Benedictus eodem sensu sic ait in Regula Capite IX. *Post hos* (psalmos) *lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda, & versus, & supplicatio Litaniae, idest Kyrie eleison: & sic finiantur vigiliae nocturnae*. Rem hanc declarat *Vasense* Concilium II. anno 529. celebratum Canone III. „ Quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiae Provincias, dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad *Matutinum*, & *ad Missas*, & ad *vesperam* Deo propitio intromittatur. "

De *Litaniis* hoc nos loco agimus, quibus invocatio Sanctorum continetur. Nutat, quam indicat Walafridus, earum origo. Editum abs Hieronymo Martyrologium, hoc illi Opus a Chromatio & Heliodoro injunctum, ac genuinas demum esse, quae hac de re Episcopis istis ac Hieronymo litterae tribuuntur, lis est apud viros eruditos. Animadvertere liceat, in vetusto Martyrologio, quod edidit ac illustravit Florentinius, singulorum mensium initio haec legi inscripta verba: *Litanias indicendas mense Januario, mense Februario*, &c. voce illa Sanctorum commemorationes, singulis mensibus ac singulis mensium diebus assignatae, dictae videntur *Litaniae*. Inquirit nihilominus laudatus Auctor Admonitione praevia VIII. *An forte initio cujuscumque mensis Litaniae ex illius mensis Martyribus ad divinam opem implorandam peragerentur, vel an in capite mensis inditerentur, aut una ejusdem mensis, die, aut hebdomada perficiendae?* Nihil se invenisse expressum testatur, nisi frequentem antiquitus fuisse *Litaniarum* usum: verbaque refert Gennadii de viris illustribus Capite XCIX. inquientis, S. Honoratum Massiliensem *Litanias ad supplicandam Dei clementiam cum plebe sibi credita pro viribus egisse*. Seculo V. ad finem vergente florebat Honoratus.

Litaniarum originem ad apostolicos viros refert Nicolaus Serrarius Tomo III. Opusculorum. Etsi namque *Litaniarum* quarumdam (inquit) vel potius *Processionum*, in quibus Litaniae canebantur, au-

auctor aliquis ex antiquitate proferri possit, ut Gregorius Magnus, vel præcessor alius Pontifex *Litaniæ Majoris die 25. Aprilis*, & Mamercus Episcopus Viennensis *rogationum*; attamen primus innotescit auctor nullus, qui preces ipsas, aut Sanctorum invocationes invexerit: unde quovis auctore vetustissimo vetustiores reputantur. In hanc sententiam totus it Joannes Bona loco superius citato. Insignis adest Chrysostomi locus in Homilia contra ludos, & theatra Tomo II. in editione Montfauconii, *Ante tres dies*, inquientis, *in irrumpente pluvia ingenti . . . λιτανείας & supplicationes fuere: totaque civitas nostra, quasi torrens, ad loca Apostolorum currebat, advocatosque implorabamus Sanctum Petrum, & Beatum Andream, par illud Apostolorum, Paulum item & Timotheum*. Hunc loco malo dolo prætermisit Joseph Bingamus de Originibus seu Antiquitaribus Ecclesiasticis Libro XIII. Capite I. §. X. Satis vero nobis est, aliquorum Sanctorum invocationem memorari ab Chrysostomo in Litaniis.

Animadverte, prædictas a Chrysostomo memoratas *Litanias* intelligi debere tum *Sanctorum invocationes*, *tum processiones Cleri & populi* vel ad Deum placandum in adversis casibus, vel ad agendas ipsi gratias pro collatis beneficiis. Ex Martyrologiis, quæ postmodum scripta fuere, Sanctorum nomina, quæ in Litaniis invocarentur, sumpta fuisse nullus dubito. Fusiores vero, aut breviores instruxerunt Episcopi, aut Ecclesiarum præfecti pro variis opportunitatibus accommodatæ. Reformatæ demum sunt a *Pio quinto*, qui tum nobiliores Sanctos qui invocarentur, delegit: tum petitiones etiam rerum quibus indigemus, ad convenientem redegit numerum.

Egimus supra *de Litania Majori in die 25. Aprilis*, *itemque de Rogationibus* triduo celebrandis ante Domini Ascensionem, & quæ demum de *Litania Septiformi* a Gregorio Magno instituta. In Ecclesiasticis Monumentis vetustis frequens occurrit mentio *Litaniæ septenæ, quinæ, ternæ, vel septiformis, quinqueformis, triformis, & simplicis*. Item *Litania nona* memoratur. Supplicationes ita nuncupatas in codicibus *Aquilejensibus*, & *Forojulensibus* legimus nusquam. *Septiformem*, quam Gregorius Magnus instituit Litaniam, dictam a septem choris vel ordinibus, qui e diversis egrediebantur Ecclesiis loco citato adnotavimus. Sensum alium suggerunt peritissimi scriptores, qui voces prædictas adhibitas animadvertunt ad significandas *Litanias*, quæ ita concinebantur, ut singulæ invocationes aut semel, aut ter, aut quinquies, aut septies, aut novies repeterentur. Alias alii explicationes proferunt. Consulendos memoro Mabillonium in Ordines Romanos, Edmundum Martene de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, ac Io. Chrysostomum Trombellum Canonicum Regularem & Abbatem in Dissertatione Epistolari in quasdam veteres Litanias quam pro sua humanitate nomini meo inscriptam voluit. Prostat typis edita Tomo XXXII. Collectionis Calogerianæ.

VII. Peculiares quædam *Virginis Deiparæ Litaniæ* postremo loco proferendæ sunt ex vetusto Codice, quem olim possidebat perillustris, Bojanorum Familia in Civitate Forijulii.

„ Incipiunt Letaniæ Beatæ Mariæ Virgi-
„ nis.
„ Kyrie eleison.
„ Christe eleison.
„ Christe audi nos.
„ Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
„ Fili Redemptor mundi Deus.
„ Spiritus Sancte Deus.
„ Qui es trinus, & unus Deus.
„ Sancta Dei Genitrix, adjuva nos.
„ Sancta Maria, Mater Christi.
„ Sanctissima, ora pro nobis.
„ Sancta Maria, virgo Virginum.
„ s. Maria, Dei Genitrix virgo.
„ s. Maria, Mater innupta.
„ s. Maria, Mater inviolata.
„ s. Maria, Virgo perpetua.
„ s. Maria, gratia Dei plena.
„ s. Maria, æterni Regis filia.
„ s. Maria, Christi Mater, & Sponsa.
„ s. Maria, Templum Spiritus Sancti.
„ s. Maria, cœlorum Regina.
„ s. Maria, Angelorum Domina.
„ s. Maria, Scala cœli.
„ s. Maria, porta Paradisi.
„ s. Maria, mater, & domina.
„ s. Maria, spes vera.
„ s. Maria, virgo dulcissima.

„ s. Ma-

" s. Maria, nova mater.
" s. Maria, omnium spes fidelium.
" s. Maria, caritas perfecta.
" s. Maria, imperatrix nostra.
" s. Maria, mater misericordiæ.
" s. Maria, fons dulcedinis.
" s. Maria, mater æterni Principis.
" s. Maria, mater veri consilii.
" s. Maria, mater veræ fidei.
" s. Maria, nostra refectio.
" s. Maria, per quam renovatur omnis
" creatura.
" s. Maria, generans æternum lumen.
" s. Maria, omnia portantem portans.
" s. Maria, virtus divinæ Incarnationis.
" s. Maria, cubile thesauri cælestis.
" s. Maria, generans Factorem.
" s. Maria, consilium cælestis arcani.
" s. Maria, thesaurus fidelium.
" s. Maria, nostra salus vera.
" s. Maria, pulcherrima Domina.
" s. Maria, hilaris, & plena lætitiæ.
" s. Maria, mater veri gaudii.
" s. Maria, iter nostrum ad Deum.
" s. Maria, advocatrix nostra.
" s. Maria, stella cœli clarissima.
" s. Maria, præclarior luna.
" s. Maria, solem lumine vincens.
" s. Maria, æterni Dei mater.
" s. Maria, delens chirographum nostræ
" perditionis.
" s. Maria, delens tenebras æternæ noctis.
" s. Maria, fons veræ sapientiæ.
" s. Maria, lumen rectæ scientiæ.
" s. Maria, inæstimabile gaudium no-
" strum.
" s. Maria, præmium nostrum.
" s. Maria, cælestis patriæ desiderium.
" s. Maria, speculum divinæ contempla-
" tionis.
" s. Maria, omni dulcedine plena.
" s. Maria, omni honore dignissima.
" s. Maria, cælestis margarita.
" s. Maria, cælestis vitæ janua.
" s. Maria, porta patens & clausa.
" s. Maria, per quam intratur ad Deum.
" s. Maria, immarcescibilis rosa.
" s. Maria, pulchritudo Angelorum.
" s. Maria, flos Patriarcharum.
" s. Maria, Desiderium Prophetarum.
" s. Maria, thesaurus Apostolorum.
" s. Maria, laus Martyrum.
" s. Maria, glorificatio Sacerdotum.
" s. Maria, immaculata virgo.
" s. Maria, decus virginum.
" s. Maria, caritatis exemplum.
" s. Maria, omni mundo pretiosior.
" s. Maria, omni thesauro desiderabilior.
" s. Maria, altior cælo.
" s. Maria, Angelis nitidior.
" s. Maria Archangelorum lætitia.
" s. Maria, omnium Sanctorum exulta-
" tio.
" s. Maria, honor, laus, & gloria nostra.
" s. Maria, dulcissima mater nostra, &
" Domina.
" s. Maria, piissima Regina.
" s. Maria, gloriosa puerpera.
" s. Maria, virga Jesse.
" s. Maria, virga Aaron.
" s. Maria, oliva ubera.
" s. Maria, mater desolatorum.
" s. Maria, protectio peccatorum.
" s. Maria, consolatio desperatorum.
" s. Maria, refrigerium miserorum.
" s. Maria, fons misericordiæ.
" s. Maria, fons hortorum.
" s. Maria, gloria virginum.
" s. Maria, virgo peccati carens.
" s. Maria, maris stella.
" Christe audi nos
" Christe, exaudi nos
" Kyrie eleison

" Succurre mihi, Sancta virgo virgi-
" num Maria, intervenientibus tuis sacris
" ad Dominum Jesum Christum: ut ip-
" se misereatur mihi peccatori propter suam
" magnam misericordiam, & non derelin-
" quat me: sed salvum faciat servum suum
" sperantem in se. Amen."

Nonnulla in his *Litaniis* virgini Deiparæ attributa leguntur, quæ ad trutinam Theologicam revocata, minus consona videri possunt. Nullus ego dubitaverim, eas haud unquam publice dictas in Ecclesia. Pro singulari erga Deiparam devotione, privatus quispiam aut eas composuit, aut sibi componi curavit, privatim recitandas. Præter Litanias communes de *Sanctis*, in Breviariis, & Missalibus, ac Pontificali, & Rituali Romano contentas, ac præter Litanias *de Beata Virgine*, quæ vulgo *Lauretanæ* vocantur, alias non licet publice recitare sive in Ecclesiis, sive in Oratoriis, sive sacris in supplicationibus, aut Processionibus, absque facultate sacræ Rituum Con-

Congregationis, sub pœnis arbitrio Ordinarii, vel Inquisitoris fidei infligendis. Decretum Clementis VIII. consule anno 1601. editum apud Stephanum Quaranta in Summa Bullarii.

VIII. De Templorum, seu Basilicarum, aut Ecclesiarum consecratione, vel dedicatione pauca verba postremo loco addenda sunt. Vocem utramque pro eadem subjecta re accipio, quin hærere eo in discrimine debeamus, quod affert Gillebertus Lunicensis Episcopus duodecimo seculo jam labente *De usu Ecclesiastico* apud Ducangium V. *Consecrare*, inquiens: „ *Dedicat* „ Pontifex atrium, templum, altare, ta- „ bulam altaris. *Dedicare* enim est locum „ Deo offerre, benedicere, & sanctificare. „ *Consecrat* autem Episcopus utensilia Ec- „ clesiæ, quæ fere omnia Sacerdotibus „ sunt communia, vestimenta videlicet „ Sacerdotalia, & Pontificalia, altaris ve- „ lamina; calicem, patenam, & corpo- „ ralia, & vasculum Eucharistiæ, chris- „ ma, oleum, vas chrismale, thus, & thu- „ ribulum, baptisterium, arcam vel scri- „ nium Reliquiarum, ciborium, idest al- „ taris umbraculum, crucem, tintinnabu- „ lum, & ferrum judiciale. Ea enim tan- „ tum *consecrat*, quæ a communi usu „ in cultum divinum separantur. " Vocis utriusque aliud discrimen prætereo, quod selectissimæ eruditionis copia ennarrat Alexius Symachus Mazochius de Campano Amphiteatro Capit. III. in Diatriba *de Dedicationibus*.

Vetustus, aut sequioris ætatis *Ordo* nullus incidit in manus, qui sacros Ritus, ac ceremonias, & precationes exhibeat, queis Templa in Provincia nostra consecrarentur. *Romanos* mores usurpatos fuisse nullus dubito: neque vero dedicari ullo unquam tempore Ecclesias *erectione sola signi crucis*, vel *mensæ sacræ collocatione* consuevisse, adversum Heterodoxos differit Josephus Bingamus, & ipse Heterodoxus, in Originibus Ecclesiasticis libro VIII. Capite IX. §. 2. Consecrationis Templi, quod Popo Patriarcha erexit, monumentum exstat in silice: MXXXI. Indictione XIIII. III. idus Julii. *Ego Popo hujus Aquilegensis Ecclesiæ Patriarcha, una cum duobus Romanis Episcopis Cardinalibus, & XII. Coepiscopis, præsidente Domino Joanne XVIII. Papa urbis Rome, imperante vero Chuonrado Imperatore Augusto, consecravi hoc Templum*. Hac de re egimus in Monumentis ejusdem Ecclesiæ Capite LX. Ab ætate Constantini Magni mos invaluit, ut Ecclesiarum, ac Altarium dedicationes in Oriente, & Occidente plerumque fierent in Conventu Episcoporum. Eam ob causam Comprovinciales Antistites, aliique honoris gratia invitari consueverant: ipsique non solum ut spectatores aderant, ac testes, verum suas etiam quisque partes adimplebant. Martenius adnotat de antiquis Ecclesiæ Ritibus libro II. Capite XIII. hanc dedicationem Ecclesiarum sibi in *Italia* non adjudicasse quinto seculo, & sexto Episcopos Diœcesanos, nisi *impetrata prius a summo Pontifice potestate*; qua de re nonam Epistolam allegat *Gelasii* Papæ *ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam*, & Epistolam XLV. Gregorii Magni Libro VI. in Parisiensi Monachorum Sancti Mauri editione, ad *Leontium Episcopum Ariminensem*. At in his *Italiæ* Provinciis, quæ decem numerantur ac *urbis vicario* olim parebant, peculiaris erat Romanorum Pontificum auctoritas, & solicitudo: quæ ad alias septem *Vicario Italiæ* obnoxias Provincias non pretendebatur. Consule, quæ late disseruimus Capite XIX. ibidem nostris in Monumentis. Duo illi, qui *Romani Episcopi Cardinales* appellantur, honoris tantum, solemniorisque celebritatis causa, *Aquilejensis Templi* dedicationi, aut consecrationi interfuisse dicendi sunt.

Ventionum, nobile Provinciæ oppidum, anno 1338. receperat in potestatem *Bertrandus* Patriarcha. Hac data occasione, loci Templum, frequenti Episcoporum conventu, solemnique sacra pompa, supremo Numini dicavit, sacravitque. Vetusta in pariete pictura visitur, quæ Patriarcham, cæterosque Antistites, sacras vestes indutos, propriisque nominibus insignitos exhibet. Subjecta legitur Epigraphe: „ in Xpi noie am. Annis sue Na- „ tivitatis currentib. MCCCXXXVIII. In- „ dictione VI. die 11. Agusti. Ad lau- „ dem, & gloriam Dei Oipotentis, ejus- „ que intemerate Genetcis Virgis Marie. „ nec non ad honorem Beatissimi Andree „ Apli sub cujus vocabulo & noie Reve- „ rendissimus in Xpo Pater & Dnus Dnus

Ber-

„ Bertrandus Dei gratia Sancte Aquilegen. Ecclesie dignissimus Patha consecravit hoc Templum. una cum Reverendo Patre Dno Petro Archiepo Nazareno nec non Dnis Epis Guidone concordien. Vitale Emonen. Johanne Parentino. Andrea Caprolano. Johane Sawnen. Marcho Domocensi. Augustino Pellonen. & Petro Lesinen. Quos quidem Dnos Archiepum & Epos ad ipsam consecrationem celebrandam prudens & notabilis vir Bartolomeus Solusanus de Venzono tunc camerarius ipsius Ecclesie pariter congregavit. Et sicut Creatori altissimo placuit ante prædictor. Præsulum segregationem presatus Bortolomeus Camerarius sue vite diem clausit extremam. Cujus funeri Presules prefati omnes interfuerunt pro eius aia divina psallentes officia. que perpetuo feliciter in pace quiescat. Amen. “

De *Petro Nazareno Archiepiscopo* agunt in Italia Sacra Ugellus, & Fontana in Theatro Dominicano. Palestina Turcarum armis anno 1190. occupata, ne Titulus, ac dignitas *Ecclesiæ Nazarenæ* delerentur, *Nazareni* Archiepiscopatus titulus *Baruli*, seu Barlettæ, in oppido Apuliæ constitutus est. *Petrum*, illustrem Ordinis Prædicatorum alumnum, huic præfecit Ecclesiæ Joannes XXII. anno 1330. quam ipse quindecim annis administravit. *Marcum Domocensem* intellige Antistitem *Domoci*, seu *Demonici*, vulgo *Domochi*, quæ Thessaliæ urbs est sub Archiepiscopo Larissæ. *Pelonem*, cujus infulas gestabat *Augustinus*, sub Metropoli Scythopoleos collocat Notitia Patriarchatus Jerosolymitani apud Emmanuelem a Schelstrate. Sed *Joannis*, qui post Andream *Caprulanum* numeratur, ob litteras evanescentes divinare non licet. Scriptus videtur *Savnensis*. Emoniensis Episcopus dicitur *Vitalis*, quem *Natalem* appellant plura hujus ætatis monumenta.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De Ordinum Ecclesiasticorum numero apud veteres tum Orientis, tum Occidentis Ecclesias; & de Orario quid rei esset.

DISSERTATIO XXXVI.

I. NON est præsentis mei propositi illa discutere, quæ inter Theologos oppositis partibus, & sententiis disputantur, utrum minores ordines sint Sacramenta, necne; utrum ex divina immediate, an ex Ecclesiastica institutione ortum ducant. Apud omnes orthodoxos in confesso est, Episcopatum, Sacerdotium, Diaconum esse Sacramenta non genere, sed specie adinvicem distincta, divinitusque instituta. De Subdiaconatu aliisque inferioribus adhuc sub judice lis est. Tonsuram vero negant propemodum omnes esse Sacramentum; nihil esse asserentes quam præparationem, seu dispositionem ad Ordines suscipiendos. Septenarium ordinum Ecclesiasticorum numerum penes Latinas Ecclesias jam inde a primis sæculis invaluisse plane compertum est. Presbyterorum scilicet, sub quibus Episcopi comprehenduntur, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum: hos enim cunctos recenset Clemens Papa discipulus Petri epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini: & Cornelius Pontifex in epist. ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. hist. Eccl. cap. 42. Item Cajus Pontifex in epist. ad Felicem; cujus etiam meminit Damasus Papa. Concilium etiam sub Sylvestro can. 3. Item Laodicenum can. 24. & Carthaginense quartum can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. cui subscribit Augustinus Hipponensis, atque (ut mediorum temporum testificationes sileam) novissime Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 2.

II. Hypodiaconatum non fuisse olim sacris

sacris ordinibus accensitum liquido constat ex cap. nullus in Episcopum dist. 60. & diserte docet Innocentius tertius c. a multis, de ætate ord. sed cum posterior Ecclesiæ constitutio sacris adnumeravit Ordinibus, ea nunc eidem competit dignitas per Ecclesiæ institutionem, & si non jure divino. Numerum septenarium istum astruunt pariter leges civiles, qualis est Valentiniani, Valentis, & Gratiani, qua tribuitur personalium onerum immunitas diserte Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, & Acholytis. l. Presbyteros 6, C. de Episcop. & Cler.

III. An vero iidem omnes Ordines penes Orientis Ecclesias similiter recepti, usitatique fuerint, non perinde perspectum est, ut in Occidentalibus. Acholytorum apud Græcos, & si vox ipsa Græca sit, vel nulla mentio, vel saltem ambigua, utrum de speciali ordine Ecclesiasticos intelligenda, an generalius de quocunque assecla seu comite, id enim Græca vox significat. Martyr quidem Ignatius in epist. ad Antiochenos, recenset ordines Presbiterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Janitorum, Exorcistarum: iisdem adjungit Cantores, & laborantes, non tamen Acolithos, ut neque Synodus Antiochena, cujus can. 10. a chorepiscopo ordinari posse asserit Lectores, & Exorcistas, & Hypodiaconos, de Acolithis nihil enunciat; a solis vero Episcopis Presbyteros, & Diaconos initiari. Quos vero martyr Ignatius vocat κοπιῶντας *laborantes*; id nomen non ordinis, sed officii erat; quemadmodum & ψάλτας id est Cantores, quos eadem epistola commemorat. Docet enim Epiphanius in compendio, istorum versari officium in fidelium defunctorum Cadaveribus sepelliendis, quales pollinctores profana vocabat antiquitas, & quales antiquus auctor libri de septem gradibus Ecclesiæ, ad Rusticum Narbonensem, inserti inter opera Hieronymi, vocat fossarios. Synodus Laodicena can. 24. recenset singillatim Presbyteros, Diaconos, idest Ministros (hi sunt Subdiaconi) Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios. Justinianus Imperator, Novella 3. cap. 1. & 2. testatur fuisse in Constantinopolitana Ecclesia Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, & Ostiarios. Sed neque Cantorum, quos Ignatius, Concilium Carthaginense quartum, & Justinianus Augustus commemorant, ullus erat specialis ordo, sed merum officium, cum constet ex Carthaginensi canone, id munus non ab episcopo, sed a simplici Sacerdote conferri solitum. Synodus quoque Laodicena can. 22. meminit ordinis Lectorum, simulque officii Cantorum, & can. 7. ὑπηρετῶν quos ait portarum habere præfecturam. Hosce ὑπηρέτας seu subministros nonnulli existimant non alios esse, quam Hypodiaconos, quibus cura januarum navis Ecclesiæ incumbebat. Cum vero nonnulli negant esse nunc Græcorum ullos ordines, quam Lectorum: si hoc ita sit, nuperum est; cum ex superius adductis priscorum Græcorum testimoniis, per omnem Græciam viguisse minores Hypodiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, & Ostiariorum, seu janitorum ordines, liquido constet.

IV. Quod vero, apud præfatos Canones Laodicenos 22. & 23. solis permittitur Sacerdotibus, & Diaconis orarii gestatio & usus: Hyperetis autem, & Lectoribus prohibetur: sciendum est, Orarii nomine diversa significari: in primis vero sacri ornamenti genus, quod vulgo *stolam* dicunt, & prælongæ laciniæ formam habet. Vocabulum istud, in hoc ipso significato, Græci Latinique suæ singuli linguæ attribuunt. Balsamon enim Græcus canonum scholiastes, scribens in hunc ipsum Laodicenum can. 22. deducit ejus etymon a verbo quod est *videre* ac observare: quia Diaconus assistens Presbytero celebranti, Clericis in pulpito quoties novus ab ipsis cantus sit exordiendus. Est tamen vox illa originis Latinæ ab orando; quia orarii usus est in publicis orationum ministeriis. In Græca Chrysostomi Liturgia ὀράριον, & ἐπιτραχήλιον pro eodem gestamine usurpantur: est enim τράχηλος *collum*, & ἐπιτραχήλιον *collare*, seu colli amictus; quia orarium collo circumaptatum Concilium secundum Bracarense, anno Christi 563. sub Joanne tertio Papa collectum, præcipit can. 9. ut Diaconi superposito scapulæ orario utantur: quam rem multo pridem Sylvester Pontifex constituerat in Romano Concilio c. 6. Deinde Concilio Toleta-

no quarto c. 4. constitutum ita legimus. *Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero propter quod orat sive prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat*. Beda in collectionibus, cap. de septem ordinibus hæc scribit: *Bene etiam* orationibus convenit orarium, conveniens officio vestimentum.

V. Alteram ecclesiasticam Orarii significationem alii comminiscuntur de longa, & talari veste; & sane propria & vulgaris est significatio, non orarii quidem, sed stolæ tam sacræ, quam profanæ. Vocabulum enim stolæ, Græcis, Latinisque longe ante Christum usurpatum, non potest ad significationem Ecclesiasticam restringi. Dicitur quoque id genus vestimenti ποδήρης eo quod ad pedes usque demittatur, Apoc. 1. *similem filio hominis vestitum podere*. Porro illam orarii pro talari veste significationem vere dixi esse commentitiam: errori causam dedit perverse intellectus can. 28. Concilii Moguntini. Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis. Ibi enim orarium quidam exponunt de talari veste. Sed nunquid talare vestimentum commune pariter erat Diaconis, & tamen canon Moguntinus vult orarii perpetuam gestationem, esse differentiam, & privilegium Sacerdotalis dignitatis. Quo supposito, si Diaconi hujusmodi orarium extra publicum officium gestassent, attentassent usurpare insignia dignitatis alienæ: & tamen Clerici minores, nedum Diaconi longis vestibus amiciri tenebantur; cum tamen ipsis orarium gestare non liceret extra Ecclesiam, & divina officia. Quod tamen jubebat Synodus Moguntinensis a Presbyteris perpetuo deferri, tum ob dignitatis venerationem, tum etiam ut ubique expediti essent ad sacras preces, & sacramenta etiam in repentinis, & inopinatis eventibus ministranda: quam etiam ob causam Synodus Arausicana prima can. 1. jussit Sacerdotibus, : iisque baptismi ministris, ut indesinenter sacrum Chrisma secum deferrent. Explodatur igitur ista Orarii, prolonga, promissaque ad pedes tunica, significatio.

VI. Orarium denique etiam apud profanos auctores commune linteum, uti detergendo destinatum significat, quod alias sudarium, aut sudariolum vocitatur. Fuit etiam consuetudo vetus tam Græcis, quam Latinis, tum in theatris, tum in Ecclesiis, ut in signum applausus, & favorabilis acclamationis populus oraria, idest linteos, & sudaria rursum jactaret. Refert Flavius Vopiscus in Aureliano, tunc primum oraria populo Romano in Theatris, & comitiis distribui fecisse, quibus utebatur ad favoris significationem. Narrat Eusebius *hist. Eccles. lib.* 7. *c.* 30. de Paullo Samosateno Antiochiæ Episcopo, & hæresiarca vanissimo, voluisse, ut sibi in Ecclesia concionanti populus lintea elevando & jactando applauderet, perinde ac in theatris: ὡς ἐν θεάτροις κατασείειν τὰς ὀθόνας: quem locum Rufinus ita exponit. *Ab auditoribus vero non favorem*, neque *plausum expectare solum, sed theatrali more oraria sibi moveri affectabat*. Pontius Diaconus, Sancti Cypriani Episcopi & Martyris Discipulus in historia Martyrii ejus refert, a fidelibus linteamina, & oraria in loco præparata, & deposita fuisse, ut martyris fluentem cruorem exciperent. Ambrosius in oratione quam habuit in obitu fratris Satyri, perhibet de ipso, quod cum adhuc catechumenus esset, & navis qua vehebatur immani tempestate jactaretur, jam proxima naufragio, metuens mysterii vacuus e vita discedere, petiit a convectoribus qui erant mysteriis initiati divinum Sacramentum, & orario involutum, fecit sibi ad collum alligari. Quem de orario locum, mirum est aliquem somniasse stola Liturgica involutum, per ignorantiam illius lintei ac orarii, quod Dominicale vocabatur, quo divinum Sacramentum moris erat excipi: mysteriis autem initiati, ubi nihil additur, intelligendi sunt dumtaxat laici baptizati. Orarium etiam communi usu linteamen proprie ac sudarium, ut probatum est, significar, indiscriminatim in rebus sacris, & profanis.

PETRI DE MARCA PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI

De Chorepiscopis

DISSERTATIO XXXVII.

Ex Libro II. de concordia Sacerdotii & Imperii capp. XIII. & XIV.

I. NON alienum erit ab instituto de chorepiscopis breviter agere, & dubitandi causas, quæ Synodos Galliæ adeo suspensas tenuerunt, decretique a Leone lati rationes discutere, præsertim, cum antiqui canones, qui majores nostros adeo moleste habuerunt variis eruditorum interpretationibus etiam hodie torqueantur. Integrum sibi esse Chorepiscopi existimabant episcopali munere in omnibus fungi, quod in canone decimo synodi Antiochenæ *manus impositionem Episcoporum percepisse, et ut Episcopi consecrati fuisse dicantur*, eisque disertis verbis subdiaconorum & gradus inferioris clericorum ordinatio permissa sit, & subjectarum sibi Ecclesiarum gubernatio & cura commissa. Etsi autem eodem canone & Ancyrano vetita fuerit Chorepiscopis Presbyterorum & Diaconorum ordinatio, attamen non videtur omnino prohiberi, sed tantum, si tentata fuerit sine Episcopo, ut loquitur Concilium Antiochenum, id est, absque ejus mandato ut illi interpretabantur. Deinde illa ordinatio non rescinditur, ut vitiosa, sed pœna dejectionis indicitur Chorepiscopo, quæ pœna desuetudine aboleverat tempore Caroli Magni. Contra vero reponebant Episcopi, eodem canone Antiocheno Chorepiscopi ordinationem civitatis Episcopo tributam, ideoque Chorepiscopum inter Episcopos recensendum non esse, qui a tribus Episcopis ordinari debent ex præscripto Nicænæ Synodi. Addebant ex Concilio Sardicensi & Laodiceno Episcopos in civitatibus tantum instituendos esse, non autem in vicis & pagis, ut chorepiscopos, quos inde *Villanos* Episcopos Capitularia vocant; ut ex adverso veros & legitimos Episcopos *regularium cathedralium & canonice ordinatorum* Episcoporum nomine significant. Hæc sunt verba capitularis. *Nam Episcopi non erant; quia nec ad quandam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus Episcopis ordinati.* Expendenda est canonum Synodi Ancyranæ, Neocæsariensis & Antiochenæ sententia, ut chorepiscoporum munus intelligatur. Sane frequentes in oriente fuisse chorepiscopos, e subscriptionibus Concilii Nicæni colligitur; ubi inter Episcopos duo chorepiscopi provinciæ Cœlesyriæ, unus provinciæ Ciliciæ, quinque provinciæ Isauriæ, & duo provinciæ Bithyniæ subscribunt vices suorum Episcoporum agentes, ut mihi quidem videtur. Subscripsit etiam Ephesino Concilio Cæsarius Chorepiscopus Cappadociæ. Eorum gradus a veteribus probatus est; cum octavo Canone Nicænæ Synodi Chorepiscopatus æque ac presbyterium in clero recenseatur, & in Synodo Neocæsariensi chorepiscopi inter Ecclesiæ comministros numerentur, eorumque munia Synodis Ancyrana & Antiochena præscripta sunt. Superiorem dignitatis gradum præ ceteris Presbyteris, non solum ruris, sed etiam civitatis, obtinuisse, unice docet laudatus Canon Nicænæ Synodi, & secundus Concilii Chalcedonensis, si ordinem scripturæ sequi velimus.

II. Cæterum episcopatus apicem non obtinebant, ut docet apertissime Concilium Neocæsariense; quod ad similitudinem septuaginta discipulorum institutos fuisse Chorepiscopos adnotavit, ut hoc discrimine eos ab Episcopis separaret, qui Apostolis successerunt. Cui addenda sunt verba ultima canonis Antiocheni, quæ chorepiscopum ab Episcopo civitatis ordinandum præcipiunt: *Chorepiscopum vero civitatis Episcopus*

scopus ordinet, *cui ille subjectus* est. Quare cum canone quarto Nicænæ synodi cæterisque canonibus antiquis constet, ordinationem Episcopi ab omnibus vel saltem a tribus provinciæ Episcopis celebrari debere, planum est, ordinationem chorepiscopi a civitatis Episcopo peractam non tribuere consecrato dignitatem episcopatus. Unde recte Leo I. Galliarum & Germaniarum Episcopis rescripsit, chorepiscopos eosdem esse secundum canones cum Presbyteris & pontificatus apicem non habere. Cujus epistolæ verba a synodo Hispalensi post ducentos annos transcripta sunt: quamvis emunctæ naris hominibus Leonis epistola e verbis Hispalensis synodi consarcinata videatur. Quam sententiam sequi non possum, quia ultima clausula [1] canonis *ex auctoritate apostolica se illa definivisse* synodus testatur, Leonis rescriptum significando. Deinde synodus Regensis, postquam irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus Episcopis circa Armentarium esse declarasset, In una Ecclesia Chorepiscopum institui permittit. Ubi chorepiscopatus conceditur ei, qui nunquam fuit Episcopus.

III. Sed ejusdem canonis Antiocheni prima verba opponuntur, quæ secundum Dionysii Exigui interpretationem chorepiscopis ordinationem episcopalem tribuunt. Græca enim illa, *εἰ καὶ χειροτεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες*, his verbis sincere reddit: *quamvis manus impositionem Episcoporum acceperint*; & vice glossematis addit, & *ut Episcopi consecrati sint*. Hæc sunt verba, quæ Synodos Gallicanas olim in varias sententias distraxerunt, quæque viris eruditissimis hodie persuaserunt, chorepiscopatui adjunctam olim fuisse episcopalem ordinationem. Attamen hæc controversia facili negotio componi posse videtur, si chorepiscopatum distinguamus ab eo, cui collatum est illud ministerium. Itaque hæc erit certissima regula, chorepiscopatum esse ministerium, cui Presbyteri & aliquando etiam Episcopi admoventur. Chorepiscopatus enim est ministerium ad levandam Episcopi sollicitudinem in pagis & vicis parœciæ sive diœceseos episcopalis. Presbyterium vero est ordo, qui manuum impositione confertur ad conficienda, & dispensanda Sacramenta; quemadmodum episcopatus ordinis potestate censetur, adjuncta administratione parœciæ. Porro cum civitatis nomen, cui præest Episcopus, agrum omnem seu regionem complectatur, quæ in laterculo imperii illi civitati contribui solet, quæ per castella, oppida, vicos & possessiones sparsa, in antiquis canonibus *παροικία* dicitur Episcopus quidem curam universæ parœciæ gerit sed ita, ut sollicitudinem suam inter plures dividat. Quæ præter Presbyteros civitatis, qui matrici Ecclesiæ operam suam navant in sacrificiis peragendis, Sacramentis erogandis, fundendis precibus, homiliis recitandis, ceterisque sacris ministeriis, per vicos ordinat Presbyteros ad eadem munia in vicanis Ecclesiis exercenda: quo se conferunt possessores ex rusticanis parœciis, ut verbis Synodi Chalcedonensis utar. Parœciæ enim vocabulum nunc universam Episcopi diœcesim significat, nunc villas seu rusticas vicorum appendices, ubi possessores & rustici agros exercent. Olim autem in oppidis tantum aut vicis Presbyteri instituti erant qui inde *πρεσβύτεροι ἐπιχώριοι* dicuntur, id est *ἐν ταῖς χώραις* seu vicis ordinati: quos recte Gentianus Hervetus vicanos reddidit Dionysius *Presbyteros ruris*, & alibi *Presbyteros qui sunt in agris*, Martinus Bracarensis *forasticos* Presbyteros reddidit. Ea enim tempestate Ecclesiæ in vicis constructæ erant, villis autem & possessionibus oratoria tantum privata de consen-

1 Imposuit Illustrissimo Archiepiscopo auctoritas collectionis quæ vulgo tribuitur Isidoro, ubi in fine canonis VII. Concilii secundi Hispalensis hæc verba leguntur: *quæ omnia olim a sede apostolica prohibita esse noscuntur*. Verum illud pro certo tenendum est, hoc additamentum nuspiam extare, quam in Collectione illa Pseudo-Isidori, abesse a ceteris editionibus. Immo vetustissima collectio canonum Hispanica MS. in bibliotheca Colbertina, quæ post Concilium Toletanum XII. composita esse videtur, sic canonem istum Hispalensem refert ut nulla in eo mentio habeatur Chorepiscoporum, sed Presbyterorum, ut in editione Loaisæ. Quo etiam modo eum refert vetustissimus codex Conciliorum Ecclesiæ Urgellensis. Præterea neque eadem collectio Hispanica, neque codex Urgellensis habent additamentum illud: vide, quæ nos de ea re diximus in Notis ad Gratianum dist. 68. cap. 4. *Quamvis*.

sensu Episcoporum excitabantur, orationis causa, non autem ad celebrandam liturgiam, quod a canonibus, & a Justiniano vetitum erat, ut pluribus alibi dicetur.

IV. Sed præter Presbyteros aliquot etiam administros muneris sui habebat Episcopus, in iis scilicet, quæ administrationem respiciebant. Præcipui erant chorepiscopus, Archidiaconus, & Archipresbyter: quibus addi possunt œconomus & defensor. Non est hujus instituti, officia Ecclesiarum orientalium, & occidentalium expendere. Satis erit, id unum observasse, chorepiscopatum inter officia recenseri ut archidiaconatum & archipresbyteratum, quemadmodum recte adnotavit Concilium Aquisgranense anno octingentesimo trigesimo sexto. Presbyteri & Diaconi gradus sunt in Ecclesia, & ad sacramentum ordinis pertinent. Sed archidiaconatus complectitur ministerium adjunctum gradui, ut archipresbyteratus, ministerium adjunctum presbyteratui, quemadmodum explicat Isidorus Hispalensis. Eodem pacto chorepiscopatus est officium & ministerium ab Episcopo civitatis delatum ad vicanas Ecclesias, quæ Presbyteris erant commissæ, administratione sua disponendas. Administrationem enim & διοίκησιν non autem solam sacramentorum erogationem & verbi prædicationem, chorepiscopis tribuit Concilium Antiochenum. *Sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint*. Inde profectum chorepiscopi nomen, quod ἐν τῇ χώρᾳ id est, in pago civitati contributo, administratione episcopali uteretur, & vicariam Episcopis operam præstaret. Unde eleganter Ferrandus Diaconus in Breviario canonum chorepiscopos *vicarios Episcoporum* interpretatur, ratione habita muneris. Quod gerunt erga vicanas Ecclesias & parœcias rusticanas. Non enim ad nominis originem respexit, sed ad sollicitudinem, quam subjectis sibi Ecclesiis chorepiscopi sibi impendebant. Interpretationi canonum, quam secutus est Ferrandus, apprime convenit illa qua usus est Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, & Isidorus in collectione sua, ubi chorepiscopi *vicarii Episcoporum* esse dicuntur. Quæ dixi, probari etiam possunt e collectione canonum Arabicorum, quorum usus in oriente: *Chorepiscopus est loco Episcopi super villas & monasteria & sacerdotes villarum, quæ sub potestate ejus sunt*. cap. 58. *Chorepiscopus & Archidiaconus sunt tanquam duæ manus & duæ alæ, quibus Episcopus volat*. cap. 64. *Diaconus memoriam faciat nominatim primum Patriarchæ, deinde Archiepiscopi, Episcopi, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi; quia isti sunt gubernatores Ecclesiæ; idcirco nominandi sunt ad altare; quandoquidem per eos omnia Ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in Ecclesia superiores*.

V. Quare ut supra monui, chorepiscopatus ministerium est & officium, quod Presbytero alicui sedulo ab Episcopo civitatis imponebatur, collato ut plurimum chorepiscopatu cum ordinatione ad presbyteratum. Ceterum accidebat aliquando, ut chorepiscopatus conferretur alicui Episcopo vacanti, qui jam episcopalem consecrationem aliunde accepisset. Tunc chorepiscopatus delatus solum ministerium & Ecclesiarum, quæ in agris essent, administrationem concedebat; sed is, cui deferebatur, verus Episcopus erat ob susceptam ante chorepiscopatum manus impositionem. Ne quis autem speciem, quam propono, a me confictam putet de chorepiscopatu concesso ei, qui jam Episcopus esset, canonem octavum Nicænæ Synodi perpendat velim, qui Novatianis Episcopis a schismate potius, quam ab hæresi redeuntibus gratiam facit retinendæ dignitatis episcopalis, vel saltem chorepiscopatus locum obtinendi. Sane nemo diffiteri potest, quin iste a Novatianis transfuga χειροθεσίαν τῶν ἐπισκόπων susceperit, ut loquitur Concilium Antiochenum; sed eam consecrationem aliunde sumpsit, quam e ministerio chorepiscopatus. Deinde in eodem Concilio Antiocheno videmus Episcopos vacantes sive σχολάζοντας, qui ordinati ad parœciam suam non accedunt ob contumaciam populi vel aliam ob caussam, sine vitio tamen suo: quibus permittitur honoris & ministerii communio, ea conditione, ut negotiis Ecclesiæ, in qua morantur, se non permisceant. Si Episcopi hujus repulsam ægre ferens vicinus Episcopus chorepiscopatus ministerium ei contulerit, plane huic chorepiscopo tribuendum erit,

erit, quod observavit Synodus Antiochena, eum ut Episcopum consecratum fuisse. Itaque prima illa verba, quæ nostræ sententiæ objiciebantur, regulam non labefactant, quæ chorepiscoporum ordinationem Episcopo tribuit, eosque in Presbyterorum numero recenset, sed exceptionem adhibent, quia fieri potest ex variis negotiorum figuris, ut Episcopus adsciſci possit in chorepiscopatum. Eam autem exceptionem iis verbis explicant, ut proclive sit ex ea regulam firmare: *Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum suum recognoscant*. Quasi diceret: Etiamsi accidere possit, ut præter regulam chorepiscopatus ab Episcopo aliquo exerceatur; tamen modum ministerii sui excedere non potest. Ex eo autem, quod vacantibus Episcopis chorepiscopatus conferri potest, non existimandum est, omnes Episcopos vacantes, aut in presbyterii gradum judicio canonico dejectos, chorepiscopos dici posse. Soli enim illi eo nomine fruentur, quibus Episcopus civitatis ministerium illud imposuerit, cum canones Episcopi arbitrio illud reliquerint.

VI. Dejectis Chorepiscopis a dignitate episcopali, reliqua est administratio & cura qua Presbyteris rusticanarum Ecclesiarum & vicorum imminebant, plebes in officio pietatis continebant, promovendos in clerum discutiebant, Subdiaconos, Lectores, Exorcistas, & ceteros inferioris gradus clericos auctoritate sua ex Episcopi sententia constituebant, de Presbyteris & Diaconis ad Episcopum referebant, præcipuam & singularem pauperum curam gerebant. Ecclesias aliquot Chorepiscoporum administrationi subjectas fuisse, docui supra e concilio Antiocheno; quod etiam Subdiaconorum & inferioris gradus clericorum ordinationes illis permittit. Quo in negotio sic versabantur, ut Presbyteri & Diaconi, qui cum promovendis familiarius egerant, de illis ad Chorepiscopos referrent: qui deinde testimoniis discussis, & Episcopo consulto, ministros cooptabant in clerum. A consuetudine, quam e patrum canonibus profectam ait Basilius, Chorepiscopos discessisse conqueritur, plurimosque in unoquoque pago a solis Presbyteris & Diaconis in clerum allectos φόβῳ τῆς στρατολογίας id est, metu tyrocinii seu delectus militum. Itaque adscriptos clero a Presbyteris in laicos redegit, & præcepit, ne deinceps chorepiscopi aliquem etiam inferioris gradus clericum constituant; ante quam ad Episcopum retulerint, qui promovendorum meritis suffragetur. Cum autem canonicæ disciplinæ peritissimus Basilius repetat a canonibus patrum, quos ipse renovat, chorepiscopis injunctam necessitatem, ne Subdiaconos & ceteros ministros in clerum adscribant sine sententia Episcopi, non incogitanti effluxisse verba illa existimandum est. Hoc autem a canone Antiocheno manare potest. Quin potius inde colligitur, liberas tunc fuisse chorepiscopis promotiones illas absque Episcoporum mandato vel consilio. Quare aliunde trahenda hæc restrictio, quæ ordinationem quidem chorepiscopis relinquit, sed de meritis aut numero promovendorum sententiam Episcopi expectari debere præcipit. Quod a Synodo Laodicena ducendum est, qua cavetur, ne in villulis, aut in agris Episcopi constituantur, sed περιοδευτὰς id est, *visitatores*, ut reddit Dionysius Exiguus; quod idem est cum Chorepiscopis, ut mox dicam. Aliquot annis ante hanc synodum decretum fuerat a Concilio Sardicensi, ne Episcopi ordinarentur per vicos & modicas civitates: *Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo aut modica civitate, cui sufficit unus Presbyter: quia non est necesse; ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas*. Amovet ergo Synodus Laodicena Episcopos a vicis, eisque, qui jam constituti erant, eam legem præscribit, ut *nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis*; id est, ut nihil eorum tentent, quæ muneris episcopalis partes attingunt, quin prius ad civitatis Episcopum retulerint. Tum subdit canon: *similiter & Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant*. Quod pertinet ad Presbyteros περιοδευτὰς seu visitatores, de quibus locutus est, qui nihil agere debent absque consilio & sententia Episcopi in iis, quæ munus visitatoris respiciunt, id est, chorepiscopatus ministerium. Huc plane respexit Basilius. Quod non solum col-

colligitur ex eo, quod nullus canon proferri potest, præter istum, qui illius sententiæ suffragetur, sed etiam e verbis, quæ mutuatur e canone Laodiceno: *Ne quem adscribatis in Clerum, ante quam ad nos retuleritis; aut sciatis, quod laicus censebitur, qui præter sententiam nostram in ministerium receptus fuerit*, ἄνευ ἡμετέρας γνώμης. Hæc verba deprompta sunt e canone Laodiceno, ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου unde constanter asserere audeo eundem esse chorepiscopum & περιοδευτήν: uterque in agris instituitur, ut rusticans paroecias visitet, unde περιοδευτοῦ nomen; ne quis scilicet existimaret vico alicui sic addictum, ut in alias curas assurgere non posset. Quo sensu accipiendus est Zonaras, cum adnotat, circuitores istos, & lustratores hac vel illac circumcursare ad fidelium salutem καθέδραν οἰκείαν μὴ ἔχοντες id est, nulli sedi adscriptos, quia scilicet ex se chorepiscopi munus nulli vico specialiter addicit, cum in generali aliquo ministerio versetur, nisi aliter visum fuerit Episcopo, qui Periodeutam alicui Ecclesiæ vicanæ adscribere potest, collato & adjuncto munere ceteras visitandi. Quæ videtur mens fuisse Synodi Laodicenæ, cum ante chorepiscopi ministerium clero civitatis adscriptum potius videretur, quam vicanæ alicui Ecclesiæ affixum. Nova appellatio Periodeutarum a Synodo Laodicena profecta, quæ chorepiscopi nomen ad comprimendos ministros illos aversata videtur, in oriente obtinuit. Unde actione quarta Concilii Chalcedonensis fit mentio Alexandri Presbyteri & Periodeutæ, & actione decima Valentini, qui Presbyter erat & Periodeuta. Modum, quem in visitandis Ecclesiis & monasteriis sibi subjectis observabant chorepiscopi in oriente, docet collectio canonum Arabicorum canone quinquagesimo quinto.

VII. Ceterum, quod attinet ad Presbyterorum & Diaconorum ordinationes, chorepiscopis omnino eas adimit canon Antiochenus: *Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est*. Quod non ita est intelligendum, ac si ex mandato Episcopi permitti illis posset ea ordinatio. Accedere quidem potest ordinationi ab Episcopo celebrandæ; sed solus eam peragere non potest. Eleganter Balsamo: *Illud autem, sine Episcopo, qui est in urbe, non accipitur pro eo, quod est sine ejus mandato; sed pro eo, quod est sine illius consecratione. Etsi enim fuerit Chorepiscopo mandatum, ut Presbyterum ordinet, & hoc fecerit, irrita erit ordinatio, quod non sit ei a canonibus data Presbyterum ordinandi potestas.* Quæ contra sententiam Zonaræ, etsi tacito ejus nomine, Balsamo disputat. Hoc decretum hauserat Synodus Antiochena e Concilio Ancirano; cujus canonem Græcum recitabo, ut restituam veram lectionem, & eadem opera sinceram ejus explicationem aperiam, quæ ob illud vitium viros eruditissimos latuit: χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ. Ex hac lectione, quam collectio canonum Zonaræ & Balsamonis exhibet, duplex sensus elici potest juxta varias interpretationes, quas ambigua phrasis Græca ferre potest. Ita enim verti potest. *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed neque Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per litteras in aliena parœcia vel ita; sed neque Presbyteros civitatis* accusandi casu, non dandi, ut in superiori interpretatione. Juxta priorem explicationem potestatem adimit Presbyteris urbicis, ne Presbyteros aut Diaconos ordinent, nisi eis licentia per litteras facta fuerit ab Episcopo in aliena parœcia. Quod ineptum est, & alienum a regula quæ Presbyterorum ordinationes solis Episcopis tribuit, idque in sua cujusque parochia. Si accusandi casu legas, prohibebitur Chorepiscopis Presbyteros & Diaconos ordinare, imo etiam Presbyteros urbicos, sine litteris Episcopi, in aliena parœcia, quod quid absurdius dici possit, non video. Anne, cui vetita est Presbyteri vicani ordinatio, non etiam potiori jure vetita est urbici, ut de hac iterum urgenda non sit interdictio, quasi de re minoris momenti ageretur, quæque superiori prohibitione non esset comprehensa? Deinde, quid est illud, *in aliena parœcia*: ac si Chorepiscopis libera esset ordinatio Presbyteri in sua parœcia sine litteris, vel ab iis tentari posset ordina-

natio Presbyterorum cum Episcopi consensione ac litteris in aliena parœcia. A Zonara vel Balsamone, qui hanc ultimam interpretationem sequuntur, nullum subsidium sperari potest: quia ut fatetur Balsamo, seculo illo chorepiscoporum gradus omnino exoleverat. Ideo commentandi labore supersedit. Vel forte, quod desperaret sinceram sententiam canonis se assecuturum.

VIII. Mendosus omnino canon Græcus, e quo tot ineptiæ sequuntur. Ejus vero lectio constituenda est ex antiquis versionibus. Dionysius Exiguus, qui veterem satis confusam castigavit, sic habet: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque parochia.* Sed editio vulgata Dionysii mutila est; ubi restituenda sunt hæc verba, *aliquid agere*, quæ inserere oportet post ista, *Presbyteris civitatis*. Etenim epitome canonum, ab Hadriano I. concinnata e versione Dionysii Exigui, integra verba illa retinuit, quæ desunt in editione codicis canonum: *ut chorepiscopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent, nec Presbyter aliquid agat in parochia sine præcepto Episcopi.* In capitulari Aquisgranensi Caroli M. canon his verbis profertur, quæ concinunt cum Interpretatione, quæ extat in collectione Isidori: *Vicariis Episcoporum, quos Græci chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid jubere, vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.* Ferrandus Diaconus Carthaginensis, qui eodem tempore floruit, quo Dionysius, videtur hæsisse interpretationi a superiore non dissimili. Ait enim in Breviatione canonum titulo LXXIX. *Ut chorepiscopi, id est vicarii Episcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantum Subdiaconos. Concil. Anquiritan. tit. 13. Concil. Antioch. tit. 10.* Superest alterum membrum canonis Ancyrani, quod agit de Presbyteris civitatis. Ejus sententiam refert Ferrandus titulo XCII. *Ut Presbyteri civitatis sine jussu Episcopi, nibil jubeant, nec in unaquaque parochia aliquid agant. Concil. Sardic. tit. 13.* Legendum [1] *Concil. Anquir.* Nulla enim fit mentio Presbyterorum civitatis in Concilio Sardicensi, sed in solo Ancyrano, dicto canone. Tres istæ interpretationes constanter legunt. *Presbyteris civitatis*, dandi casu, *& in unaquaque parochia*, unde sine dubio emendari debet textus Græcus legique ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ non autem ἐν ἑτέρᾳ ut præfert lectio Zonaræ. Mutilum etiam alia ex parte Græcum contextum esse, constat ex iisdem interpretationibus. Hiatum enim hujus sententiæ, *sed nec Presbyteris civitatis sine litteris Episcopi & jussu in unaquaque parochia*, his verbis supplent *aliquid agere*. Itaque in Græco contextu deest τι πράττειν, aut quid simile. Quo loquendi modo utitur synodus Laodicena in simili specie: *Presbyteri præter consilium Episcopi nibil agant*, μηδὲν πράττειν scilicet coercita est Presbyterorum urbicorum functio ad arbitrium Episcopi, de quo litteris constare oportuit. Quod esset Chorepiscopi munus erga promovendos ad presbyteratum in agris & vicis, colligere licet ex administratione rusticarum parœciarum, quæ illi credita erat. Scilicet morum inquisitio, imo & delectus eorum, qui adscribendi erant, ad eum pertinebat. Quod in oriente locum habuit, ut docet collectio canonum Arabicorum can. LX. *Non enim licet, ut ullus ministret in sacello sive capella diœcesis sine licentia chorepiscopi, quandoquidem ipse est caput illorum.* Istud omnibus Presbyteris arrogant epistolæ Nicænæ synodi, ut designent eos, qui mererentur adsciscí in clerum quæ curam chorepiscopi non excludunt.

IX. Exi-

[1] Quamvis emendatio illustrissimi Archiepiscopi certa sit, hinc tamen emendandus non erat Ferrandus, cum omnia breviationis illius exemplaria habeant *Concilio Sardicensi*. Quod ideo moneo, quia in ea breviationis editione, quæ exstat inter opera Ferrandi Diaconi, & in Bibliotecha juris canonici tom. 1. pag. 451. editum est contra fidem veterum librorum & editionum *Concilio Anquiritano tit. 13.* Fatetur autem Chiffletius, se ita emendasse contra fidem veterum librorum, quia illi constabat, illic Concilium Sardicense perperam pro Ancyrano subnotatum esse per oscitantiam librarii.

IX. Eximiam pauperum curam chorepiscopos gessisse dixi, secundum mentem synodi Neocæsariensis, cujus hæc est sententia. Presbyteris agrorum liberum non esse, ut orationem faciant in Ecclesia civitatis coram Episcopo vel urbis Presbyteris. Unde sequi videbatur, idem statuendum de chorepiscopis, qui rusticanis paroeciis præerant: maxime, cum essent secundi ordinis Sacerdotes. Hoc enim significant verba illa, *ad similitudinem septuaginta* constitutos esse. Presbyteros enim, sive minoris gradus præceptores, cum septuaginta discipulis componebant veteres: ut patet ex Hieronymo, qui duodecim fontes explicans allegorice in epistola ad Fabiolam de LII. mansionibus: *Nec dubium*, inquit, *quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus aquæ derivatæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores. Luca Evangelista testante duodecim fuisse Apostolos & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittebat*. Attamen etsi inter Presbyteros recenseantur chorepiscopi, canon decernit eum honorem illis deferri, ut offerant *honorati*, præsente Episcopo & Præsbyteris civitatis. Cujus moris eam rationem reddit, quia comministri sunt, & impensum studium pauperibus exhibent. Quorum verborum hic est sensus, chorepiscopos non esse adscribendos, quia Episcopum sollicitudine episcopali in pagis visitandis levant, ejusque vices gerunt, ideoque συλλειτουργοὶ dici possunt unde fit & ex studio, quod erga pauperes exhibent, ut *offerant honorati* τιμώμενοι quæ synodi verba, ne sint otiosa, ita intelligi debent, ut chorepiscopi solenniori & celebriori pompa in sacris ministeriis obeundis procederent, quam Præsbyteri civitatis, eo satellitio clericorum stipati, quod episcopalem quendam honorem referret, licet revera eorum gradus ad typum septuaginta discipulorum esset expressus. Curam vero pauperum præcipuam gerebant, quos arbitrio Episcopi & suo ministerio procurabant, ita, ut miseris species quædam frumentationis præberetur. Quare inter cetera chorepiscopi munia in opusculo Ebbonis refertur peregrinorum & pauperum exhibendorum studium, maxime cum morbo vexantur: *Hospitalitatem sectari, infirmos visitando, obsequia benignitatis & benedictionis & sanctæ unctionis inferre*. Ex eo profectum, ut in canonibus Arabicis chorepiscopis cura immineat præficiendi aliquem, qui juxta vires uniuscujusque vici eos reditus colligat; qui ab Episcopo ad alendos pauperes & recreandos peregrinos impendi debent.

X. Aliquando tamen chorepiscopatus conferebatur angustioribus finibus exercendus, ut contigit in causa Armentarii, cujus ordinatio ad Episcopatum Ebrodunensem a duobus tantum Episcopis peracta rescissa est a synodo Regensi anno quadrigentesimo nono. Concessum tamen est Armentario, ut chorepiscopi nomine Ecclesiam unam obtinere posset, si quis Episcopus eam illi conferre voluerit, sed iis legibus, quæ chorepiscopatum illum in angustias redigunt. Vetatur enim, ne duarum Ecclesiarum gubernationem obtinere possit, ne quis ei locus decernatur quem curiæ & civitatis species aut ordo nobilitat, ne vel ultimum clericum ordinet in sua Ecclesia, ne unquam in civitatibus offerre præsumat, etiam sub Episcoporum absentia. Attamen hoc unum chorepiscopatus vestigium illi relinquunt, ut *in sua Ecclesia neophytos confirmare & ante Presbyteros offerre possit*. Sed recisæ illæ facultates satis evincunt, ordinario jure chorepiscopis eas competivisse etsi aliis probationibus destitueremur.

XI. Ex iis, quæ hucusque disseruimus, manifeste constat, cur Ferrandus Diaconus, Isidorus Hispalensis, & antiqua canonum interpretatio chorepiscopos vicarios Episcoporum & concilium Parisiense ministros esse dixerint. Hinc explicandus est locus Sidonii eruditorum disputationibus famosus, qui de Claudiano Mamerti Viennensis Episcopi fratre loquens, quem ejus *consiliarium in judiciis, vicarium in Ecclesiis, & procuratorem in negotiis* fuisse observat, antistitem ordine in secundo esse scripsit.

Antistes fuit ordine in secundo;
Fratrem fasce levans episcopali,
Nam de Pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

 Vel

Vel me tacente nemo est, qui non videat, merum chorepiscopum describi, qui vices Episcopi gerit etsi nomine, & dignitate episcopali non fruatur. Secundus ordo presbyteratum significat; in quo ita constitutus erat Claudianus, ut antistes esset, id est, primas partes presbyterii obtineret in solicitudine episcopali. Quare emendandus est Gennadii locus: qui Claudianum istum Episcopum Viennensem appellat. Ait enim de Salviano loquens: *Scripsit expositiones extremæ partis Ecclesiastis ad Claudianum Episcopum Viennensem*. Rescribendum est, *chorepiscopum*. Nunquam enim episcopatum Viennensem obtinuit, cum illi Mamertus superstes fuerit. Vir eruditus Joannes Savaro in Notis ad Sidonium putabat, Claudianum Archidiaconi munus exercuisse in Ecclesia Viennensi, unde adeptus esset antistitis nomen ordine in secundo. Quæ explicatio aliena est a modo loquendi veterum, qui 1. Presbyteros in secundo sacerdotio, Diaconos in tertio constitutos dicebant, 2. quartum ordinem a capite subdiaconatum, 3. Presbyteros secundi ordinis præceptores, 4. secundi in Ecclesia ordinis; quemadmodum apud Græcos Gregorius Nazianzenus, a patre in presbyterium adscriptus, se in secundas sedes promotum scripsit ἐς θρόνον τῆς δευτέρας. Itaque Archidiaconus erat Primicerius tertii ordinis Diaconorum. Sed chorepiscopus erat antistes ordine in secundo.

XII. Tandem Leo primus Galliarum & Germaniarum Episcopis respondens aliquot annis post synodum Regensem, chorepiscoporum ministerio fines quosdam præscripsit, arctiores, quam essent antiquitus. Nam præter Diaconorum & Presbyterorum ordinationes, quæ antiquis canonibus erant vetitæ, baptizatorum consignationes, quæ etiam ipsi armentario relicta fuerat a Synodo Regensi, altarium & virginum benedictione illis interdixit, licet Presbyteris committi solerent. Sed ordinationem Subdiaconorum liberam illis reliquit, quæ etiam a Concilio Hispalensi habito anno DCXIX. vetita non est; licet eo tempore huic gradui lex cœlibatus adjuncta fuisset, non solum ex Gregorii Magni decreto, sed etiam ex consuetudine antiquiori, quæ canone Concilii Agathensis confirmata est anno quingentesimo sexto.

Dubitarunt Galli de chorepiscoporum ministerio anno DCCXLVII. Qua de re Pipinus Major domus Francorum retulit ad Zachariam summum Pontificem qui canonem decimum Concilii Antiocheni, servandum esse decrevit, quo Subdiaconorum ordinatio diserte illis permittitur. Eo responso plene satisfactum non iis dubitationibus, quæ ancipitem tenebant Ecclesiam Gallicanam. Cuique enim comperta erat definitio synodi Antiochenæ. Sed de verborum genuino sensu erat quæstio. Quare necessaria fuit altera relatio, quæ temporibus Caroli Magni missa est ad Leonem III. qui controversiam solvit juxta definitiones decessorum suorum, id est Leonis I. & Zachariæ, & juxta præscripta canonum, id est Synodi Ancyranæ, Antiochenæ & Neocæsariensis, decrevitque, irritas esse Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum ordinationes, infantium consignationes, Ecclesiarum & virginum benedictiones, quæ omnia ab Episcopis iterum erant rite peragenda. Recte quidem & canonice Presbyterorum & Diaconorum ordinationes a chorepiscopis tentatas rescidit. Sed hæreo in ordinationibus Subdiaconorum; quæ illis diserte permissæ cum essent a Concilio Antiocheno, nec dum erant vetitæ ullo decreto. Non moror enim stramentitiam epistolam sub Damasi nomine in collectione Isidori publicatam. Occasionem tamen sumpsisse videntur Leo III. & Episcopi Gallicani a verbis ambiguis epitomes canonum ab Hadriano I. concinnatæ: cujus usus frequens erat in Gallia, ut patet e variis locis capitularium, ubi verba ipsa hujus epitomes referuntur. Etenim breviarium decimi canonis Antiocheni ita *conceptum est*. *Quod Chorepiscopi ordines inferiores usque ad subdiaconatum dare possint*. Unde Leo & Synodus Gallicana in re dubia interpretationem adversus chorepiscopos facientes, subdiaconatum ab eorum ordinatione subduxerunt. Quare Synodus Meldensis anno DCCCXLV. eisdem verbis usa est, dum vetat, ne ordines ecclesiasticos tribuant, *nisi usque ad subdiaconatum*. Suspicabitur aliquis hac tempestate in oriente restrictam fuisse Chorepiscoporum auctoritatem ad Lectorum solas ordinationes, ex canone XIV. septimæ synodi, quæ juxta veterem con-

consuetudinem à Chorepiscopis promovendos esse Lectores decernit. Sed observandum est eo canone non agi de jure Chorepiscoporum in clericis cooptandis, sed de lectione publica sacrarum scripturarum, e suggestu & ambone Ecclesiæ; quæ a pueris pronuntiabatur ad Clerum designatis, sed nondum ab Episcopo adscriptis. Canon vetat a quoquam in synaxi eas prælegi, nisi manus impositionem acceperit ab Episcopo, aut a monasterii Abbate aut a Chorepiscopo de sententia Episcopi, juxta veterem consuetudinem.

XIII. Licet autem Chorepiscoporum ministerium damnatum fuerit a Leone Papa, & a synodo totius regni, vetitumque, ne Chorepiscopi a quibuscunque Episcopis deinceps fierent, attamen eruperunt iterum, egeruntque altas radices in Galliis. Sed repressa est eorum audacia a Concilio Parisiensi anno DCCCXXIX. quod præcipue in id invehitur, in quo ab iis tunc peccabatur, nempe in baptizatorum confirmatione: qua illis a patribus interdicitur, ea ratione, quod in Concilio Neocæsariensi ad formam septuaginta discipulorum constituti fuisse dicantur, ut Episcopi Apostolorum locum obtinerent; quibus donum Sancti Spiritus per manuum impositionem [illegible] adendi facultas, non autem d[illegible], concessa fuisse legitur in Act[illegible]. [illegible]bitur forte aliquis, nec immerit[illegible] redivivos excitaverit Chorepisco[illegible], & unde tanta illorum pervicacia pro[illegible]etur, ut rebus tam gravi auctoritate definitis stare nollent. Sed omnem admirationem deponet, si is consideraverit, imperfectam esse legem, quæ vetat, sed, si quid contra factum sit, non irritum decernit, cujus generis erat hæc interdictio, ne Chorepiscopi ordinentur. Quare, cum ab arbitratu Episcoporum hæc institutio penderet: eadem ratione, qua fovebantur olim a quamplurimis Episcopis, ab iisdem vel retenti, vel restituti sunt. Causa vero, quæ gratiosos Episcopis reddebat Chorepiscopos, ea est, quod in se susciperent omnem curam & laborem episcopalis ministerii, & desidiæ Episcoporum patrocinarentur: qui sollicitudine pascendi gregis levati, secularium more, genio suo indulgebant, ut elicitur e capitularibus & e synodo Meldensi. In capitularibus diserte scriptum est, Chorepiscopos factos ab Episcopis *suis quietibus ac delectationibus inhærentibus*. Synodus Meldensis animadverti statuit in Episcopum, qui *propter desidiam, aut secularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit*. [1]

XIV. Quænam autem esset hac tempestate Chorepiscopi potestas, accurate docet Ebbo Remensis Episcopus in eo opusculo, quod de ministris Ecclesiæ Remensis scripsit, id est, Præposito, Archidiacono & Chorepiscopo: *Chorepiscopi vero ministerium est, omnem Sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere atque dirigere*, & quæ sequuntur. Jus dandæ consecrationis ex præcepto Episcopi Ebbo metitur. Synodus Meldensis Chorepiscopis modum præfixit juxta canones, præcipueque prospexit, ne post obitum Episcopi aliquid *ex episcopali ministerio, specialiter Episcopo debito, attentarent: quia inquiunt, ex hoc magnum scandalum & divisionem rerum Ecclesiasticarum atque dilationem in canonice ordinandis Episcopis Dei Ecclesiis accidisse conspeximus*. Quæ verba lucem accipient e Flodoardo; qui Leon[illegible] interpellatum ab Hincmaro scripsit [illegible] ordinationibus a Chorepiscopis peractis, præcipue post obitum alicujus Episcopi. Occasione enim ministerii Chorepiscoporum, quo satis consultum videbatur ecclesiasticæ administrationi, Reges differebant electiones Episcoporum, & interim Ecclesiasticæ facultates secularium usibus cede-

[1] Istud ipsum paulo asperioribus verbis urget Hincmarus in epistola XLV. cujus meminit Flodoardus lib. III. hist. Remensis cap. XXIX. quæ ante hos quadraginta annos ex codice Virdunensi edita est ab eruditissimo viro Jacobo Sirmondo. Hincmarus ergo respondens cujusdam Episcopi consultationibus, hæc adversus Episcoporum desidiam scribit in capite XVI. illius epistolæ: *Sed & scandalum in Ecclesia misit, sicut & quidam Episcopi etiam a longe præcedentibus temporibus scandalum pro sua quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis quæ Summis Pontificibus conveniunt, agere permittentes; quos apostolica sedes sæpius reprobavit & apostolico mucrone recidit, sicut in decretalibus eorum, qui voluerit recensere, inveniet.*

cedebant. *In hac vero Epistola*, inquit Flodoardus, *de his, quos temeritas Chorepiscopalis ordinare, vel, quod Spiritum Sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit. Et quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageret, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur sicut. & in nostra Ecclesia jam secundo actum fuisset.*

XIV. Si extarent Hincmari epistola & Leonis IV. rescriptum, profecto magnum adjumentum afferrent ad hujus materiæ discussionem: quæ licet a Synodo Meldensi sincere decisa esset si ambiguitatem circa Subdiaconos demas, attamen variis deſidum Episcoporum contentionibus iterum revocata est in dubium, adeo, ut Nicolaus I. tractus fuerit in partes pro Chorepiscopis. Etenim anno octingentesimo sexagesimo quarto consultus a Rodulfo Archiepiscopo Bituricensi de Presbyterorum & Diaconorum ordinationibus collatis a chorepiscopis in Gallia, respondit validas quidem esse ordinationes illas; sed vetuit similia a chorepiscopis præter regulas tentari in posterum, ne ad eos dignitas Episcoporum transferretur. Hoc autem argumentum ad sententiam suam fulciendam adducit: *Adformam enim septuaginta chorepiscopi facti sunt; quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* quæ responsio, quamvis a canonibus omnino aliena, excusatos tamen reddit Gallicanos Episcopos, si varias in partes distraherentur, cum ipsi Romani Pontifices in hac quæstione contraria rescripta ediderint. Hoc solum pro defensione Nicolai proferri potest, quod *diversis occupatos negotiis, cursim* respondere coactus fuerit ut ipse præfatur in dicta epistola. Non obtinuit, tamen apud Belgicos Episcopos hæc responsio; ut colligere licet e synodo Metensi, quæ anno DCCCLXXXVIII. coacta hæc statuit: *Ut basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est: quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii & Leonis vacuum est & inane, quicquid in summi Sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio, & quod ipsi iidem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.* Plus detrimenti chorepiscopis attulit invidiosa hæc Nicolai sententia, quam tot synodorum definitiones, cum nihil sibi reliqui esse viderent Episcopi, si Presbyterorum ordinationes a chorepiscopis tentatæ, irritæ non essent, etsi a canonibus vetitæ. Accedebat incommodum, quo vacantes Ecclesiæ laborabant, cum prætextu ministerii, quod a chorepiscopis impendebatur, Principes ab electionibus concedendis cessarent, ecclesiasticis proventibus ad suorum utilitatem revocatis. Tacita ergo definitione potius, quam expressa, ad executionem Capitularis rerum experimento consultiores facti, Episcopi conspirarunt, a constituendis chorepiscopis abstinentes; tuncque sollicitudinem animadvertendi in Presbyteros & pagorum visitandorum, quæ præter cetera chorepiscopis competebat, Achidiaconis concesserunt. Desierant chorepiscopi sub finem seculi undecimi ut colligere licet ex Sigeberti historici hallucinatione, qui ex hac muneris accessione, quæ sua tempestate penes Archidiaconos erat, eos cum chorepiscopis confudit. *Damasus*, inquit, *Papa decrevit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur chorepiscopi, id est villarum & regionum Episcopi.* Desuetudo hujus ministerii in patriarchatu Constantinopolitano id quoque induxit, ut chorepiscopi munus idem esset cum eo, quod delegatis a Patriarcha vel Metropolitano impositum erat, qui monasteria visitabant ad coercendos immorigeros, controversias Abbatum & monachorum dirimendas, & restaurandam disciplinam monasticam mittebantur. Delegati ejusmodi Ἔξαρχοι, seu Præfecti dicuntur; quorum potestas iis mandatis comprehenditur, quæ relata sunt in collectione Juris Græco Romanis. Scholiastes Harmenopuli Exarchos istos cum antiquis chorepiscopis temere confudit, in eam opinionem ductus, quod reliquo chorepiscoporum ministerio hæc quoque pars visitandorum monasteriorum in oriente adjuncta sit, ut patet ex collectione Arabica. Perseverant namque adhuc in oriente chorepiscopi. Sed in patriarchatu Alexandrino, deletis Episcopis soli chorepiscopi curam Patriarchæ in administratione Ecclesiarum levant, quod ducentis abhinc annis inductum fuisse, testatur Cyrillus Alexandriæ Patriarcha iis litteris, quas in Valachia scripsit an-

anno millesimo sexcentesimo duodecimo. Hic est Cyrillus, qui post aliquot annos in sedem Constantinopolitanam provectus, meritas pœnas dedit, quod a veteri ecclesiæ illius traditione desciscens, & ab Hieremiæ Patriarchæ censura, qua Confessionem Augustanam olim notaverat aliquot articulis professionis Hollandicæ subscripsisset.

P. JOH. HYACINTHI SBARALEÆ

ORD. MINORUM S. FRANCISCI CONV.

De Chorepiscopis

DISSERTATIO XXXVIII.

I. PErleganti mihi cupidissime & rerum Ecclesiasticarum in primis antiqua revolventi, perquirentique, quid quaque in re verius haberetur, quidve probabilius; illa de *Chorepiscopis* occurrit investigatio plane non inutilis; utrum Episcopi re ipsa fuerint, an non: eorum enim qui de ipsis pertractarunt, aliqui quidem eos *Episcopos* exstitisse tutati sunt; sed reliqui fere omnes, præcipueque Galli *Presbiteros* eos tantummodo fuisse scripserunt. *Galli* quippe, qui omnium primi in Occidente & ferme soli cum *Germanis* Chorepiscopos admiserunt: primi etiam post ul. vel IV. secula bellum illis inferre cœperunt. Nam cum medio circiter octavo Ecclesiæ seculo in Gallia *Gauziolenus* quidam Ecclesiam moderaretur Cenomanensem, jussu *Pippini* Regis oculis privatur; iccirco quod ipse *Aerlemundum* sibi Ecclesiam tyrannide opprimenti ab eodem *Pippino* substitutum dolo obcœcasset: mox tamen ipsum *Gauziolenum* quamquam oculis captum suam regere Ecclesiam ita permisit Rex, ut *Seufridum* ordinaret *Corepiscopum*, qui vices suas in illa suppleret Parœcia: quo mortuo successere unus post alterum *Desideratus* & *Berthodus* itidem *Corepiscopi* sub eodem Episcopo *Gauzioleno*: qui post obitum *Bertodi* alium ibi Corepiscopum ordinari a *Carolo* Magno postulavit.

II. Rem Princeps retulit ad *Synodum* Episcoporum; quibus absurdum visum est, quod apud Cenomanos eatenus gestum fuerat; scilicet ut *Chorepiscopi* peregissent omnia, quæ Episcopi erant: cautumque, ne *Chorepiscopi* deinceps Chrisma conficerent, Virgines sacrarent, Spiritum S. traderent, Ecclesias, seu Altaria consecrarent, & Oleum denique ad infirmos ungendos benedicerent, nisi a tribus Episcopis assent ordinati; sicque ordinati a titulo villano *Chorepiscopi* nomen, non *Episcopi* ab ordinatione sortirentur, nec quidquam in Ecclesia citra consensum Episcopi aggrederentur. His conditionibus a *Carolo* permissum, ut *Gauziolenus* sibi Chorepiscopum ordinare posset; inquit *Mabilonius* Analect. to. 3. & Annal. Bened. lib. 21. n. 74. subditque chorepiscopum adlectum fuisse *Merolum* Sacerdotem, atque a tribus Episcopis ordinatum ad titulum S. *Petri* in Vico canonico nomine Salico, & post *Hodingum*, qui *Gauzioleno* ad biennium successit ex Chorepiscopo Cenomanen. Episcopum jussu *Caroli* Regis creatum, idque circa ann. 772., cum initio insequentis anni jam eum sedisse constet; cumque *Pippino* Regi *Carolus* successerit anno 768. liquet Gallorum *Synodum* de hac re inter ann. 768. & 771. habitam fuisse; unde & novum *Chorepiscoporum* genus, & origo cœpit belli chorepiscopis inferendi, ob idque & comminiscendarum *Epistolarum Damasi Leonis M.* & *Joannis* III. cum intelligerent sibi obstare & Canonem 10. Antiochenum, qui ab *uno Episcopo* Chorepiscopum ordinari præcepit; & 3. Regensem, qui Chrisma conferre permisit Armentario Chorepiscopo, & alia plura.

III. Qua de re mihi faciendum erit, ut ostendam *Chorepiscopos* tam primi veterisque generis, & qui ab uno tantum ordinabantur Episcopo quam secundi novique, & a Galliis seculo VIII. excogitati generis

ris qui a tribus consecraretur Episcopis, fuisse veros Episcopos, minores tamen *Polepiscopis* dignitate, uti & loco, & partim jure in Gallia, patim vero injuria esse percussos, atque condemnatos, idque ratione primum, ac auctoritate; postea momentorum adversariorum confutatione. Itaque 1. quicumque consecratur ea consecratione, qua fiunt, consecranturque Episcopi, verus est Episcopus; ea ipsa consecrabatur *Chorepiscopus*: ergo verus erat Episcopus. Sumptio & per se ipsa liquet: & etiam a simili; cum ille verus sit Presbyter, & verus Diaconus, qui qua Presbyter, & qua Diaconus fieri consuevit, consecratione ordinatur. Assumtum ostendit canon X. Antiochenus, *qui chorepiscopi vocantur, quamvis impositionem manuum acceperint, & ut Episcopi consecrati sint*: inquit paraphrastes Dionysius Exiguus, & Isidorus: ergo &c. quamobrem Baronius ad ann. 357. n. 67. ex hujus Concilii Canone 8. & 10 Scribit Chorepiscopos *vicarios* quidem fuisse Episcoporum; sed *qui erant Episcopi consecrati, conferreque Ordines sacros poterant*.

IV. Nec juvat recens quorundam effugium, qui ad hujus argumenti, canonisque vim prævertendam duplex *Chorepiscoporum* genus sunt commenti, unum ut Episcopi consecratum; alterum vero non. Quoniam veteres Galli, quum illos exagitandos sibi sumpserunt, generatim de ipsis, non autem de uno illorum genere tractarunt: atqui omnes affirmant ordinatos fuisse consecratione *Episcopali*, sive qua fit Episcopus: ergo illud duplex Chorepiscoporum genus purum putum quorundam recentiorum dicendum est. Assumtum probatur: In Capitul. Reg. Franc. anno 803. cap. 6. de eis dictum est: *Episcopi namque non fuerunt; quia nec a tribus Episcopis, nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati fuerunt*: & cap. 4. decretum dicitur in Synodo Ratisponen., ut eorum omnia iterentur; nam *Episcopi non erant, quia nec ad quamdam civitatis Episcopalem sedem titulati erant: nec canonice a tribus Episcopis ordinati*: cujus decreti partem accepisse videntur a suppositis Damaso, Joannique III. Epistolis, quarum in prima legitur: *quod enim Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet*: in secunda vero: *omnia quoque Concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis fuerit factus Episcopus*; qui quidem non inficiantur Chorepiscopos ordinatos ordinatione Episcopali; sed non rite facta, ideoque *invalida* factos autumarunt. Cur enim non dixerunt: *Chorepiscopi* Episcopi non sunt, quia non *Episcopali*, sed *Presbiterali* ordinatione consecrati sunt; id quod caussam evicisset? at quum eos refelleret aperte canon Antiochenus; iccirco *Episcopalem* illos quidem ordinationem habuisse sunt fassi, sed prave traditam, ideoque irritam, ac invalidam. Quod quam falsum fuerit, paulo post videbitur.

V. Confirmat hoc assertum Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus vir doctrina insignis, qui epist. ad Drogonem Meten. Episcopum de *chorepiscopis* acriter in eos invehens Episcopos, qui eisdem Chorepiscopis *Episcopalia munia* non permittebant, sed ab ipsis consecratos *iterum consecrarent*, inquit: *vanum est, quemquam consecrationem Episcopalem habere, si ministerium Episcopi ei non licet agere? Ad quid ergo invocatur Spiritus Sanctus ab Episcopo ordinatore . . . . Si ipse invocatur . . . . post consecrationem, quam rite peregit, mox reprehenderit? Ad quid enim Episcopus cujuslibet Civitatis chorepiscopum sibi vult, ac decernit ordinare; si ipsam ordinationem suam nullam efficaciam arbitratur habere?* Nec Auctor iste explicari potest de *chorepiscopis*, qui ut Episcopi consecrati fuerant; non autem de omnibus Chorepiscopis; quemadmodum interpretatur Witasses Obj. 8. cum Rabanus verba fecerit de Chorepiscopis *cujuslibet Civitatis*; de iis, qui non a tribus Episcopis, vel Synodo Provinciæ, sed ab uno *Episcopo ordinatore* consecrati erant, de iisque, quorum ordinationes a nonnullis *iterabantur*: uno verbo de iis, quos Gallicani Antistites, Conciliaque pronunciarunt non esse Episcopos, sed *Presbyteros*, & ad LXX. discipulorum formam; quod plane de illis, qui juxta Gallos vere *Episcopali* ordinatione consecrati erant, minime dicebatur.

VI. Huc accedat illud *Nicolai* I. Epist. 19. Append. 1. ad Rodulfum Bituricen. Ar-

Archiepiscopum n. 1. scribentis: *A chorepiscopis asseris multas esse in Regionibus vestris ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum effectas; quos quidam Episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus; nec innocentes oportere percelli; nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes; ad formam enim LXX. chorepiscopi facti sunt; quis quis dubitet Episcoporum habuisse officia? sed quid sacri Canones vetant, ne omnes sibi omnia vendicent; ac per hoc dignitas Episcoporum ad chorepiscopos suos videatur transferri; fiatque vilior honor Episcopi; decernimus nihil in hoc praeter regulas ulterius fieri*; Quibus edocuit, Chorepiscopos vi ordinationis potuisse, sed non debuisse illas peragere *ordinationes*. Neque suppositionis pars haec Epistolae postulari potest, ut aestimat Thomassinus; siquidem unus est totius Epistolae stylus: & nihil Pontifex astruit, quod non senserint multi SS. Patres, Jo: Chrysostomus, Hieronymus cum Antiocheno Concilio. Nec etiam minus verisimile videtur Archiepiscopum Rodulfum post tot Sedis Apostolicae, Conciliorumque decreta de *Chorepiscopis* iterum consuluisse Nicolaum I. cum extet aliud ejusdem Nicolai responsum ad consulta Arduici Vesontion. Archiepiscopi in Append. 3. ejus Epistolarum cap. 5. hujuscemodi: *de chorepiscopis, de quibus consulis: utrum Presbyteros, & Diaconos valeant consecrare; sacri te canones satis poterunt edocere. Quomodo autem Chorepiscopos posse dicimus Ecclesias consecrare, quas nulli Episcoporum licet sine nostro praecepto secundum sanctas regulas dedicare? Inde vos Episcopos tanquam terminos a Patribus positos transferentes merito reprehendimus.*

VII. Quo dicto Pontifex sine dubio respexit, innuitque illud *Gelasii I.* Epist. 9. ad Episcopos Lucaniae &c. n. 4. & 25. ubi prohibet, *Basilicas*, *Ecclesias*, *& Oratoria dedicari* ab Episcopis *sine praecepto Sedis Apostolicae*, quod innovavit & Nicolaus c. *Ecclesia* d. 1. de consecrat.; & quanquam Gelasius Episcopis *Suburbicariis* scribens videri possit, id voluisse illis non licere sine *Metropolitani* Antistitis facultate, atque permissu: Nicolaus tamen de quibuscunque Episcopis intelligendum, aut putavit, aut voluit; certe Siricius Papa epist. 4. ad Afros n. 1. nomine *Sedis Apostolicae* asserit intelligi *Primatem*. Quo tamen loco notare est, Nicolaum scribere Arduico de chorepiscopis: *Sacri te canones satis poterunt edocere*: cur non adduxit decretales suorum praedecessorum *Damasi*, *Leonis M.* *& Joannis III.* Epistolas, aut *Leonis III.* ad Carolum M. responsum, Galliarumque *Concilia*; nisi quia aut illa non vidit, aut non multum illis detulit? Porro quanti facienda sit Nicolai I. auctoritas, edisserit Adrianus II. Epist. 35. ad Adonem Viennen. Archiepiscopum anno 868. scripta hisce verbis: *siquidem acta praefati Pontificis* (Nicolai) *tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli; quanto ipse nobis post longa tempora inter nubila praesentis vitae quasi quoddam novum sidus apparens & vitae, vel doctrinae suae fulgore, auctore Deo, errorum tenebras abigens non quod abolendum, sed quod imitandum sit, & fecit, & docuit.*

VIII. Probatur 2. Discrimen illis praesertim temporibus *Episcopum* inter, & *Presbyterum* sola *ordinatio* constituebat; uti perhibent Ss. Jo: Chrysostomus homilia 11. in Epist. 1. ad Timoth. & Hieronymus Epist. 101. al. 83. ad Evagrium; atqui *chorepiscopis* jus erat conferendorum ordinum nedum minorum, sed etiam majorum; Igitur Episcopi vere illi erant, non autem Presbyteri: assumtum habetur ex conciliis Ancyrano, & Antiocheno; illo can. 13. *Fas non est chorepiscopos ordinare Presbyteros*, vel *Diaconos*, *sed neque urbis Presbyteros, nisi eum literis ab Episcopo permissum fuerit*, in aliena *Parochia*: isto can. 10. *Constituant autem Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas; & eorum promotionem sibi sufficere existiment: Presbyterum autem & Diaconum ordinare non audeant sine Episcopo Civitatis, cui ipse, & pagus subjicitur*. Quod si quis opponat, etiam *Presbyteros* ordines vel minores olim conferre potuisse ex c. *Requisivit* de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit &c. discat id delegata eos fecisse potestate, non autem ordinaria ut Chorepiscopi: quapropter Gelasius proxime commemoratus Epist. 9. n. 6. de Presbyteris edixit: *nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine Sum-*

mo Pontifice Subdiaconum, aut Acolytum jus habere faciendi: tres alios vero inferiores forsan illis aliqua ratione permisit: sed non *majores ordines* unquam Presbyteris, ut conferrent, legitur permissum. Erratque Morinus par. 3. de Sacr. Ordinat. Exercit. 4. de chorepiscopis cap. 3. dum *simplices Presbyteros* putat Ecclesiastica Chorepiscopali ornatos dignitate per canones Ancyranum, & Antiochenum fuisse delegatos ad consecrandum Presbyteros in pagis, & villis; neque tamen id mirum; Gallus enim erat.

IX. Confirmatur ex Magni Basilii Epistola ad *Chorepiscopos*, qua perspicue scribit, eos quidem consuevisse *Sacerdotalem* conferre dignitatem; sed ipsos increpat, quod indiscussos, & sine examine ministros promoverent, ac sine suo assensu; minaturque deinceps tales deponendos fore; nam inquit: *Eos, qui Ecclesiæ ministrant, recepta olim in Ecclesiis consuetudo diligentissime probatos admittebat, & omnis eorum vitæ agendæ ratio curiose inquirebatur ... & hæc quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis versabantur: referebant autem ad chorepiscopos, qui acceptis suffragiis a sinceris testibus, & eorum admonito Episcopo, ministrum deinde in Sacerdotalem numerum cooptabant*. Verum quidem est, Græcum exemplar habere ἱερατικῶν, quod etiam *Sacratum* sonat, nedum *Sacerdotalem*; attamen id clare probat, *chorepiscopos* consuevisse *Sacratos* ordines aliis conferre; Basiliumque tradere ea, quæ valde sunt Antiocheno Concilio consentanea. Cum quo maxime consonat Ebbo Rhemensis Archiepiscopus in descriptione Officii Ecclesiæ Rhemen. Ministrorum, quæ ad calcem Historiæ Flodoardi habetur; ubi de *Episcopi officio, ordinationibus, confirmatione*, alisque tractatis ait: *quibus in caussis nisi jussus Chorepiscopus nullatenus excedat*: igitur jussus potest ordinare, confirmare &c. Neque autem quod interdum quibusdam ex caussis *chorepiscopis* interdicebantur ordinationes, inde duci potest, eos veros non fuisse Episcopos: uti quum Synodus VII. can. 14. prohibuit, ne iidem sine consensu Episcopi *Lectores* constituerent; quod & de omnibus ordinibus edixisse videtur Laodicena Synodus can. 32. Nam & Gelasius, qui supra n. 4. & 21. interdixit *Episcopis* Suburbicariis uti Metropolitanus; ne *Ecclesias, Oratoria*, ac *Altaria* sine suo dedicarent præcepto: & synodus Carthagin. II. can. 9. ac Hispalensis II. c. 7. vetuit, ne *Presbyteri*, præsente Episcopo *agenda celebrare*, aut *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi conficere* præsumerent; ut & Neocæsariensis can. 13.

X. Probatur 3. Nomen ipsum *Chorepiscopi* dignitatem prodit; ipsumque nequaquam simplicem Presbyterum esse manifestat: nam quid est *Chorepiscopus*, nisi ruris, aut Regionis Episcopus? ita namque latine redditur Græca vox χώρα vel χώρου; & propterquid *Episcopi* titulum hic retulit; nisi quia velut Episcopus consecratus fuit: & officia Episcopalia exercere poterat & in conciliis Nicæno I., Neocæsariensi, Epesino, Chalcedonensi, Noviomensi, Carisiacen. I. Suessionen. III. & Duziacen. *Chorepiscopos*, legimus subscriptos, memoratosque inter *Episcopos* non quidem semper suorum Episcoporum loco, cum id non ostendatur, sed tanquam & ipsi Episcopi; qui enim aliorum loco, atque nomine sive Chorepiscopi, Episcopique, sive Presbyteri intererant, id Acta significabant, ut illa Chalcedonensis, & si quæ sunt, quæ occurrant: igitur cum *Chorepiscopi* non dicantur quampluribus in Synodis aliorum nomine interfuisse, id factum asserere, est nullo momento, temereque rem interpretari, atque referre. Quod autem in Ephesino, & in Chalcedonensi Conciliis *Jacobus* quidam dicatur modo *Chorepiscopus*, & modo *Presbyter*, nequaquam nostram expugnat opinionem, ut quidam arbitrantur; nam ibi Jacobus Presbyter alius est a Jacobo *Chorepiscopo*: qui quoniam ab Eutychio Principe vocatur *Episcopus*, recte Lupus Act. VI. Appendicis ad Ephesinum Concilium adnotat id eo factum, quod chorepiscopi *consecratione* non simplices Presbyteri sed veri Episcopi essent. Quare duo, qui in Synodo Neocæsariensi interfuisse leguntur *Chorepiscopi Cappadociæ* a Sozomeno judicati sunt Episcopi; dum lib. 6. cap. 4. memorat Prapidium apud *Cappadoces in multis pagis munere Episcopali* functum: Et quid est, quod in magna illa Carthagin. Catholicos inter, & Donati-

natiftas Collatione anno 411. Alipius Tagasten. Episcopus de *Donatistis Episcopis* cum objiceret, improperaretque: *scriptum est, omnes istos in fundis, vel in villis esse Episcopos ordinatos, non in aliquibus Civitatibus*: numeri ostentandi caussa, Petilianus Constantien. Donatistarum Antistes reposuit: *sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos sane, & crebros sine populis*: Collat. 1. n. 181. & 182. nisi *Episcopos* dicere, qui Chorepiscopi? Nec omittendum est, *Cæsarium Civitatis Alcæ*, vel *Areæ Chorepiscopum* inter Episcopos Conciliorum Ephesini, & Chalcedonen. subscripsisse Act. 1. *Chorepiscopum* quoque censeo *Leonem* illum, quem Gulielmus Malmesburien. lib. 2. de Reg. cap. 10. dicit *Episcopum Trevirensem*; sed Epistola Joannis XV. anno 990. edita apud eum appellat *Leonem vice Episcopum S. Trevirensis Ecclesiæ*: nam & Ferrandes Diaconus *Chorepiscopos* dicit Episcoporum *vicarios*.

XI. Confirmatur hoc ipso, quod semper *Chorepiscopi* superiores Presbyteris in omnibus monumentis inveniantur, cum eisdem semper prælati referantur; ut in Actis Nicæni Concilii I. can. 8. de *Catharorum* Episcopo ad Ecclesiam Catholicam redeunte legitur statutum, ut Episcopus Catholicus *provideret ei aut Chorepipatus, aut Presbyterii locum; ut in clero prorsus esse videatur*. Similiter *Ancyrana* synodus can. 13. concessit *Chorepiscopis* jus ordinandi Presbyteros, & Diaconos, nec non urbicos Presbyteros cum literis tamen Episcopi: & Neocæsariensis itidem can. 13. non minimum discrimen posuit inter ruris Episcopum, & ruris Presbyterum: *Antiochena* vero can. 10., ut visum est n. 8. vel idem, vel amplius quam *Ancyrana* eis tribuit. Sed Chalcedonense Concilium can. 2. dicit: *si quis Episcopus ... propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel chorepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum &c.* & S. Athanasius Apolog. 2. n. 85. habet: *Mareotes Regio est Alexandriæ, in qua nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus; sed universæ illius Regionis Ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos habent vicos maximos, qui decem circiter sunt, immo plures numero*: Etiam S. Basilius M. Epist. ad chorepiscopos de Ecclesiarum Ministris scribit: *hæc quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis versabantur: referebant autem ad Chorepiscopos &c.* Ac ut plures aliorum auctoritates prætercam, illud solum synodi Regensis anno 439. coacte memorabo, quo can. 3. Armentarium *Chorepiscopum* monet; meminerit se agere uti *superiorem Presbyterorum, & inferiorem Episcoporum*, nempe Civitatum; uti pagus, & rus civitate noscitur inferius: unde Antiochena synodus can. 8. eis permisit posse dare pacificas Epistolas, quod Episcoporum est.

XII. Hactenus & ratione, & auctoritate ostensum est, *chorepiscopos* vere fuisse Episcopos; restat nunc, ut respondeatur argumentis, quibus oppositum probare conantur contrariæ sententiæ defensores; quorum agmen ducit Sorbonicus Doctor *Witasse* Tract. 6. de Sacramento Ordinis par. 2. q. 1. Append. de *Chorepiscopis*: probatque 1. ex synodo *Ancyrana*, quæ omnium prima (si verum est, eam anno circiter 314. habitam fuisse) chorepiscopos memoravit, & can. 13. al. 12. de iisdem ita sanxit: *Chorepiscopis non licet Presbyteros, & Diaconos ordinare*; igitur, inquit Witasses, *Episcopi* non erant illi; cum inauditum sit, Episcopis legitime institutis, nec officio interdictis Presbyteros, & Diaconos ordinare non licuisse.

Respondetur primum, Auctorem hunc parum sibi constare, cum *Episcopos* fuisse non diffiteatur Prob. 3. eos Chorepiscopos de quibus agit *Antiochena* Synodus: quæ tamen can. 10. decrevit de eisdem, ut *Presbyterum, & Diaconum ordinare* non auderent: similiter Prob. 4. *Episcopos* dicit eos, de quibus disponit Laodicena Synodus can. 57. & ex Episcopis Chorepiscopos factos autumat ita ut *nihil agerent sine consensu Episcopi* ex eadem Synodo. Deinde est etiam inauditum, *Presbyteros* offerre non posse; & tamen id illis ruris vetuit Synodus *Neocæsariensis* can. 13. facere in civitate præsente Episcopo, vel Presbyteris urbis tanquam in loco alieno. Postea si inauditum est, *Episcopis* Civitatum non licere Presbyteros, & Diaconos ordinare; inauditum non est, id non licere Episcopis ruris, sive *Chorepiscopis*, qui sunt Episcopi minores, & Episcopis urbium subiecti; proindeque in aliena Parœcia, atque Diœcesi: quamobrem uti non licet Episcopo vulgo *titulari*,

ri, & alicujus Episcopi Civitatis *coadiutori* ordinare quemquam sine permissu Episcopi; ut ex Concilio Trident. ostensum est supra Cap. IV. n. 13. *de sacris Ordination.* ita nec Chorepiscopo licere potest; ea propter Rigiboldo Chorepiscopo Rhemen. crimini datum est, quod in *Presbyterum* ordinarit *Gothscalcum Suessonicæ Parœciæ Monachum inscio Civitatis suæ Episcopo* ex Actis Concilii Carisiacen. 1. an. 849.

XIII. Nec est, quod dicat, Synodum *Antiochenam* interdixisse quidem Chorepiscopis Presbyteros, & Diaconos ordinare *sine Episcopo Civitatis*; sed non cum ejusdem Episcopi permissu. Nam quid aliud edixit *Ancyrana* Synodus? *Fas non est Chorepiscopos ordinare Presbyteros, vel Diaconos; sed neque urbis Presbyteros, nisi cum literis ab Episcopo permissum fuerit, in aliena Parochia*: quam lectionem & textus Græcus, & Vulgaris Dionysii translatio, Simeon Logotheta, Aristenus, Zonaras, Balsamon, & Blastares Græci constanter retinent; etsi complures alii, ut corrigerent, eam depravarint. Cujus canonis sensus non is est, quem sibi effinxit Witasse, sed non licere Chorepiscopis nedum in sua Parœcia Presbyterum, & Diaconum ordinare, ut habet & Antiochenus Canon; sed neque vocatis a populo alienæ Diœcesis vel sede vacante, vel Episcopo illius Diœcesis impedito urbis illius *Presbyteros* ordinare, aut etiam urbis suæ *Presbyteros* ad alienam Parœciam se transferentes, ut ibi ordinarentur, fas non erat ordinandi sine literis, ac permissu *Episcopi*. Refert Witasses inter varias hujus *Ancyrani* Canonis versiones & illam, inquit, *Adriani* I. Papæ ex *Epitome Canonum*, quam Carolo Magno obtulit anno 774. antiquissimæ versioni adhærentis; quæ est: *ut chorepiscopi Presbyterum, vel Diaconum non ordinent: nec Presbyter aliquid agat in Parochia sine Præcepto Episcopi*. Verum illa Canonum *Epitomes* non est Adriani P.P. sed alicujus Galli ex integra Canonum Collectione ab eodem Adriano anno ut creditur 787. Carolo M. oblata, desumta, interpolata, vel potius depravata post seculum VIII. in odium, ut videtur, chorepiscoporum; cum canonem X. Antiochenum his verbis exhibeat: *quod Chorepiscopi ordines inferiores usque ad Subdiaconatum dare non possunt*: quod prorsus falsum est: & Carolus M. anno 789. in capitul. Aquisgran. integros canones *Antiochenum*, & *Neocæsarien.* de Chorepiscopis Isidorianæ versionis adduxit. Deinde quoquo modo se habeat lectio Canonis Ancyrani: longe præstat, potiorque est *Antiochenus* illo; hæc enim Synodus posterior est, & ex 97. Episcopis conflata; *Ancyrana* vero ex solis 18. Episcopis.

XIV. Probat 2. & quidem efficacius, inquit ille ex Synodi Neocæsarien. Canone 14. *Presbyteri ruris in Ecclesia Civitatis Episcopo præsente, vel Presbyteris urbis ipsius offerre non possunt ...: Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem, & formam septuaginta videntur esse; ut comministri autem propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur*; al. *offerant honorati*: sed dum in eo maxime sistit, quod Chorepiscopi dicantur ad *formam* LXX. discipulorum Christi fuisse, qui Presbyteri extitisse creduntur; & in voce *quoque*, quasi dixerit & ipsos Chorepiscopos fuisse Presbyteros: observare est, synodum non affirmare, Chorepiscopos esse, sed *videri* ad formam septuaginta esse; & quid Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Diaconus, Romanus, Theodoretus, Nicolaus I. aliique plures de Presbyteris, ac LXX. Discipulis edixerint. Quantum autem ad vocem *quoque*; usus est Doctor Sorbonicus Dion sii versione; sed Isidorus, & Hervetus transtulerunt *autem*, & forsan verius; cum Græca lectio habeat eam vocem, quæ Latinis sonat *autem*, *sed*, *vero*, *porro*, &c. plerumque. Ut ut igitur vertatur; nihil efficacius eruitur ex hujus Synodi Canone pro ea opinione, quod *Chorepiscopi* non sint Episcopi, præsertim cum ibi dicantur Episcoporum *Comministri*, al. *Consacerdotes*; & plusquam Presbyteri honorari præcipiantur. Postea *Synodus* ea fuit, dumtaxat 17. Episcoporum cœtus; ideoque videat; an conferri cum *Antiochena* 97. Antistitum possit, ac debeat.

XV. Probat 3. ex Synodi Antiochenæ canone X. qui ita habet: *ii, qui sunt in vicis, & pagis, vel qui Chorepiscopi nominantur; etiamsi impositionem manuum Episcoporum acceperint, placuit S. Synodo, ut suum modum sciant; & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura, &* modo-

moderamine contenti sint: *Constituant autem Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas; & eorum promotionem sibi sufficere existiment: Presbyterum autem, & Diaconum ordinare non audeant sine Episcopo Civitatis, cui ipse, & pagus subjicitur ... Chorepiscopus autem fiat ab Episcopo Civitatis, cui subjicitur*: atque ex eo duo colligi; & Chorepiscoporum *duo* fuisse genera; quorum alii ut *Episcopi* consecrati erant, alii vero non; & Chorepiscopum non fuisse *verum Episcopum*, cum ab uno tantum Episcopo consecraretur; quando verus Episcopus a tribus saltem Episcopis consecrari deberet ex Nicæno Concilio.

Respondetur utrumque falsum esse: *primum* quidem explosum est, & confutatum jam n. 4., præsertim cum hoc Concilium nonnisi de uno chorepiscoporum genere disponat: si duo extabant; quomodo differendum, disponendumque de alio, quis unquam pertractavit? *alterum* quoque falsum apparet; cum quis ab uno tantum Episcopo in Episcopum ordinatus *illicite* quidem promotus asseratur, sed non *invalide*; ut multa facta demonstrant tam in Latina Ecclesia, quam in Græca: *Nicænus* enim canon 4. ad disciplinam pertinet, non autem ad fidem; quapropter aliquando certis de causis nil vetat, quin relaxari queat. Postea non de *ruris* Episcopo sancit ille sed de Episcopo *Civitatis* qui sane ordinatione pares erant, impares tamen dignitate; quamobrem antonomasticе nomine *Episcopi* Civitatis Antistes significabatur loci caussa, sicut *Archiepiscopus*, vel Metropolitanus Antistes comparate ad alios Episcopos ratione loci; ob quem non ordinatione, sed dignitate, ac jurisdictione major erat; etsi omnes veri Episcopi agnoscerentur.

XVI. Probat 4. ex Laodicena Synodo ex 32. Episcopis constituta, quæ can. 57. edixit: *Non oportet in vicis, & pagis Episcopos constitui; sed circuitores: eos autem, qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine consensu Episcopi*: putatque loqui Synodum de Episcopis *vicorum* non instituendis; de quibus agunt & Sardicense Concilium can. 6., & Leo Magnus Epist. 87. ad Mauros Episcopos; cum verba faciat de *chorepiscopis*: an non enim ati habet & Canon Antiochenus proxime commemoratus: *ii, qui sunt in vicis, & pagis; vel quichorepiscopi nominantur &c.?* idque etiam elicitur ex his, quæ eadem Synodus Laodicena subjungit: *eos autem, qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine consensu Episcopi Civitatis*: nam ubi reperire est, ut Episcopi vicorum, castellorumque subessent imperio Episcoporum urbium? nullibi gentium; cum tamen hujusmodi essent in Asia, Africa, & Europa, immo in Italia quoque *vicosabinas, vicohabentinus, vicofeniculensis, vicoequensis &c.* Episcopatus multo post eam Synodum erecti. Quocirca falsum est; Canonem hunc Laodicenum utraque in Ecclesia Græca scilicet & Latina posthac firmius obtinuisse; sive de Episcopis vicorum, Castellorumque; sive de Chorepiscopis sit sermo: quemadmodum & falsum est, ex eo Canone haberi, Episcopos vicorum factos esse chorepiscopos, ut vult Witasse; nam ob quam noxam mutati sunt illi, ut ex Episcopis veris ac liberis, minimeque subjectis fierent, ut ipse comminiscitur, non veri, aliisque Episcopis subjecti, atque ministri? statuit igitur laudata Synodus non oportere *chorepiscopos* constitui: sed cum fuerit Synodus Provincialis ac privata; nonnisi Provinciæ suæ Antistites obligabat. Et quum adjecit; eos, qui jam extabant, *chorepiscopos nihil agere sine consensu Polepiscopi*, sive urbis Episcopi; nihil pronunciavit, quod ostenderet *chorepiscopos* non esse veros Episcopos, siquidem etiam illi, qui *titulo tenus* tantum sunt Episcopi, & aliorum adjutores, nihil agere possunt sine consensu Episcopi, cui opitulantur; & tamen veri sunt Episcopi.

XVII. Probat 5. ex Theodoreti Epistolis 113. ad Leonem Papam, & 116. ad Renatum Romanum Presbyterum, quibus mittere se scribit *Presbyteros Hypatium, & Abramium chorepiscopos*: ergo, inquit, omnes *Chorepiscopi* veri nominis Episcopi non erant, sed tantum vulgo Presbyteri.

Respondetur; conc. antecedenti nego consequentiam: & inquiro: si *chorepiscopi* non erant, quin etiam essent Presbyteri; cur chorepiscopos dixit *Presbyteros*, si satis erat dicere *chorepiscopos*: errorem igitur exputent interpretis: qui quoniam *Presbyter* Græce modo dignitatem, & modo ætatem significat, estque Latinis *senior*; cum se-

seniores vertere debuisset, *Presbyteros* existimavit, conscripsitque. Præterquamquod antiquitus *Episcopi* quoque urbium præcipuarum leguntur dicti *Presbyteri* a Scriptoribus magni nominis; sic S. Irenæus præ ceteris apud Eusebium Hist. lib. 5. cap. 24. ad Victorem PP. scribens inquit: *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui jam tu praes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum &c.* nisi ibi quoque vertendum fuisset *Seniores*, ut & apud alios, quoniam & vetus Metensium Chronicon ita habet; *qui ab Apostolis ordinabantur Presbyteri, cæteris præeminebant ut Episcopi.* Utcumque sit; nihil nos urget Theodoreti dictum, & auctoritas & ob ea, quæ jam sunt exposita, & quæ ulterius dicenda supersunt.

XVIII. Probat 6. ex Hispalensi II. Synodo a S. Isidoro circiter anno 619. celebrata, in qua cap. 7. legitur: *Septimo examine relatum est nobis veneratissimum quondam Agapium Cordubensis urbis Episcopum frequenter chorepiscopos, vel Presbyteros destinasse (qui tamen juxta Canones unum sunt) qui absente Pontifice Altaria erigerent, Basilicas consecrarent: quod quidem non est mirum id præcepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum: & statim a sæculari militia in Sacerdotale ministerium delegatum*: ergo chorepiscopi sunt meri Presbyteri.

Respondetur, primas quidem hujus Synodi editiones ita habere; sed castigatior editio a Loaysa ad MSS. codicum antiquorum fidem facta, & in sequentibus Conciliorum collectionibus vulgata neque *chorepiscopos*, neque *parenthesim* habet; & profecto recte, ut ut repugnat Witasse. Nam Chorepiscopi aut nunquam in Hispania fuerunt, ut verius nonnulli scripserunt: aut non eo quidem tempore: siquidem *Martinus Bracarensis*, qui eodem tempore vixit ac Agapius Cordubensis Antistes, quique anno 572. Canonum Græcorum Collectionem pro Hispanis adornavit, accommodavitque; Canonem Neocæsariensem 13. convertens, alteram partem, quæ de *Chorepiscopis* agit, prætermisit non alia de caussa, quamquod in Hispania non erant: inquit enim can. 56. *Forasticis Presbyteris præsente Episcopo, vel Presbytero Civitatis offerre non licet, nec ministrare in populo nisi forte illis absentibus*: & S. Isidorus junior Hispalen. Episcopus circa ann. 630. Epist. ad Leudefridum Cordubensem Antistitem de *Ecclesiasticis officiis* conscripta nullum chorepiscoporum verbum habuit, legiturque c. *Perlectis* d. 25. Quod enim idem Isidorus lib. 2. de *Divinis officiis* canonem x. Antiochenum de *chorepiscopis* produxerit; id egit eo quod opus illud non tam pro Hispanis, quam pro universali Ecclesia condiderat. Cur in tot tantisque Hispaniæ Conciliis nunquam occurrit *Chorepiscoporum* nomen; nisi quia eo in Regno nunquam sunt admissi, & nunquam instituti? Codices igitur Synodi Hispalensis II. corrupti fuerunt ex commentitia Epist. 86. al. 88. Leoni Magno affixa de *Chorepiscopis*; quæ magna ex parte cum ex hac Synodo, seu Synodi cap. 7. conflata fuerit; addideritque confictor ea quæ ad *chorepiscopos* attinent; inde ab aliquo rerum Ecclesiasticarum imperito in Acta Synodi intrusa sunt, & etiam adinventa; ut illa (*qui tamen juxta Canones unum sunt*): quinam sunt hi Canones? nulli prorsus, nisi aliqui Gallorum Conciliorum longe post hanc Synodum coactorum.

XIX. Probat 7. ex Epistolis *Damasi*, *Leonis Magni*, & *Joannis III.*, quarum etiam partem duarum exhibet Gratianus c. *Chorepiscopi*, & c. *Quamvis* d. 68., easque etsi supposititias esse non diffitetur Witasse; tamen cum prodierint, inquit, *seculo* saltem VIII. & magnam apud omnes auctoritatem obtinuerint; ex eo colligit, eo saltem seculo, ac deinceps vulgatissimam hanc fuisse de Chorepiscopis fidem: cum non sit credibile Auctorem qui illas effinxit, aliter de *Chorepiscopis* docuisse, quam communis ferret opinio.

Respondetur falsum esse, vel saltem valde incertum, tres illas Epistolas intra seculum VIII. esse confictas; cum de ipsis eo tempore nemo verba fecerit, & nemo eis usus fuerit. *Zacharias* enim Papa anno 747. Pippino Majori domus Franciæ, Francorumque Antistitibus scribens Epist. 7. qua 27. eorum Capitibus respondit, ad illud de *Chorepiscopis* nil aliud attulit nisi *Neocæsariensem*, & *Antiochenum* Canones versionis Dionysii Exigui; & *Carolus Magnus* in Capitul. Aquisgran. anno 789. edito lib. 1. cap. 9. Gallicanis Præsulibus adu-

duxit canonem 13. *Ancyranum*, & 10. *Antiochenum* integrum versionis Isidori Mercat.; qui Canones haud parum Gallorum Conciliis adversantur. Concilium pariter Parisien. VI. anno 829. cap. 27. lib. 1. de *chorepiscopis* exhibuit Canonem *Neocæsariens.* & *Antiochenum* quamvis mutilatum Dionysianæ translationis. Sed & *Nicolaus* I., ut retuli n. 6. & 7. respondens duobus Archiepiscopis Galliarum Bituricensi & Vesuntionensi de *Chorepiscopis* Canones tantummodo commemoravit, non suorum antecessorum Epistolas: & *Leo VII.* anno 937. Epist. 3. ad Germaniæ, Galliarumque Episcopos rescribens solum *Antiochenum* X. Canonem produxit. Primum, quod sciam, harum Epistolarum mentio occurrit in *Metensi* Concilio anno 888. convocato, ubi c. 8. dictum est, *Chorepiscopos* esse *Presbyteros* juxta decreta *Damasi*, *Innocentii*, *& Leonis*; & loco *Joannis* dixit Innocentium. Verum est, in capitul. Reg. Franc. lib. 7. c. 187. legi, *Leonem* III. P. P. rescripsisse, *chorepiscopos* non semel a *prædecessoribus suis damnatos* fuisse, quibus memoratas Epistolas innuisse videri potest; sed de hac re num. sequenti disséro.

XX. Probat 8. ex communi Sedis Apostolicæ, nempe Leonis III., & Ecclesiæ Gallicanæ de *Chorepiscopis* decreto an. 803. in Ratisponen. Concilio publicato, ut habetur ex capitul. Reg. Franc. lib. 7. cap. 187., ubi definitum est, *Chorepiscopos* non esse Episcopos; nihilque ministerii Episcopalis ab eis peragi potuisse; sed inter *Presbyteros* constituendos esse, constitutosque fuisse; quod & confirmatum fuit in pluribus Conciliis *Parisiensi* VI. an. 829., *Meldensi* anno 845., *Parisiensi* anno 849., & *Metensi* anno 888.

Respondetur, non minimam subesse rationem suspicandi, eos, qui ad *Chorepiscopos* deprimendos confixerunt tres Rom. Pontificum Epistolas, aliqua quoque *Capitularia* ob eam rationem aut excogitasse, aut corrupisse: sunt enim quædam, quæ neque sapientiæ, neque integritati, atque constantiæ & Romani Pontificis, & Galliarum Episcoporum congruere videntur. Vidimus superius n. 2., *Concilium Parisiense* vel aliud anno circiter 770. decrevisse, ne deinceps *Chorepiscopi* fierent, nisi a tribus Episcopis ordinarentur, quotiescunque munia Episcopalia exercere vellent: quo facto novum est *Chorepiscoporum* genus exortum; cui simile, vel idem fere est, quod hodie dicitur *Titularium*, *Suffraganeorum*, aut *Coadjutorum*. Et quidem Agobardus *Chorepiscopus* Lugdunensis a tribus ordinatus Episcopis asseritur apud Adonem ad annum 814., quod si ita fuit: cur igitur dubitare de eorundem Chorepiscoporum Ecclesiasticis actionibus, ut necesse fuerit, legare Romam ad Summum Pontificem *Arnonem* Salisburgen. Archiepiscopum pro rei definitione? & quo pacto Pontifex respondere potuit: quicquid a *Chorepiscopis* actum fuerat *de Episcopali ministerio*, nihil esse; sed omnia a *canonice ordinatis Episcopis* iteranda esse ac reformanda; *nam Episcopi non erant*; inquit, si a tribus fuerant Episcopis ordinati?

XXI. Sed demus, quosdam, vel omnes ad antiquum *Chorepiscoporum* genus rediisse, eorum scilicet, qui ab uno tantum Episcopo ordinabantur: qua ratione in dicto Capitulari Carolus Magnus dixit, se ob Chorepiscoporum quæstionem misisse Romam *Arnonem* Archiepiscopum ad Leonem Papam, *qui* (Arno) *nobis*, *& scriptis ab eo* (Leone III.) *renuncians hæc non esse necesse iterare*, *vel definire*, *quia sæpissime a suis prædecessoribus*, *& a multis SS. Episcopis*, *atque Synodalibus sanctionibus eos esse prohibitos*, *atque damnatos: & ideo non est necesse ventilare*, *sed definita tenere*. *Dixit enim nullum fore Presbyterum*, vel *Diaconum*, *aut Subdiaconum ab eis ordinatum*; *nec Ecclesiam ab eis dedicatam*; *nec virginem consecratam*; *nec quemquam confirmatum &c.?* quinam sunt hi Leonis III. *prædecessores*, qui SS. *Episcopi*, & quæ *Synodales* sanctiones, quæ *sæpissime* Chorepiscopos prohibuerint, atque damnaverint? tres tantum suppostitiæ, & supra memoratæ leguntur Epistolæ *Damasi*, *Leonis M. & Joannis* III. ne ab ipsis quidem Gallis in tot eorum contra Chorepiscopos determinationibus unquam adductæ nisi an. 888. in Metensi Concilio. Qua veritate *Leo III.* vir & sapientia & integritate magnus quivit affirmare, *sæpissime* Chorepiscopos a suis prædecessoribus esse prohibitos, & damnatos, si Papa Zacharias paucis ante eum annis ad Gallos scribens attulit, confirmavit-

vitque X. Canonem *Antiochenum*, qui nedum Chorepiscopos probat, sed & illis ordinationem permittit *Sacrorum* etiam *Ordinum*, modo Civitatis Episcopus admitteret: attulit insuper, confirmavitque XIII. Canonem *Neocæsariensem*; qui jubet Chorepiscopos *honorari*: si ut dixi n. 19. ipse Carolus Magnus anno 789. Aquisgran. in Capitular. obtulit Antistitibus Gallarum integros Canones *Ancyranum*, & *Antiochenum* de Chorepiscopis observandos? & erit, qui credat, ad ann. 803. vere potuisse duci a Rom. Pontifice, *sæpissime a suis prædecessoribus, & a multis SS. Patribus, atque Synodalibus Sanctionibus Chorepiscopos esse prohibitos, atque damnatos*: non ego sane: *credat Judæus apella*, aut soli Chorepiscoporum osores.

XXII. Ulterius in eo Capitulari refertur, dixisse Leonem III. *nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum a* Chorepiscopis *ordinatum: nec virginem consecratam, nec quemquam confirmatum*. Sed Synodus Ancyrana, & Antiochena tantummodo Presbyteros, & Diaconos ordinare *sine consensu Episcopi* Civitatis prohibet Chorepiscopis, non omnino, non *Subdiaconos*, quos etiam *Presbyteris* assentiente Pontifice ordinare concessit Gelasius 1. Epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ &c. validamque eam ordinationem fore etiam inconsulto Pontifice sensit Alexander III. c. *Requisivit* de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcop. *Virgines consecrare*, & *Neophytum confirmare*, Regensis in Gallia Synodus anno 439. permisit Armentario *Chorepiscopo*: & Stephanus II. anno 757. in Privilegio Fulrado *Abbati* S. Dionysii Parisien. concesso facultatem *Tabulas*, & *Chrisma consecrandi* attribuit; est autem *Tabula* lapis in medio Altaris, super quo sacrum celebratur; ut habetur ex Capitulis Rhemen. Archiep. Hincmari: & ut omittam vetera alia de hac re decreta, verisimile quidem est, eos *Chorepiscopos* omnia, quæ ad munus Episcopale peragebant, cum suorum Episcoporum assensu fecisse; non igitur nulla, neque iteranda erant; & si quoque sine consensu Episcoporum egissent; *illicite* facta, sed non *invalide* censeri poterant, propterea quod sive ab uno, sive a tribus consecrati fuissent Episcopis, *Episcopalem* obtinuerant consecrationem, ideoque vere *Episcopi* erant.

Utique Juenin in Comment. de Sacram. Dissert. 7. q. 6. de *Subdiaconatu* cap. 3. sentit Leonem III. a Gallicis Antistitibus consultum respondisse; locutumque esse de ordinationibus a Chorepiscopis præter Episcoporum, quibus subjecti erant, consensum factis; non autem de iis, quas eorundem nutu, ac concessione celebrant, sed non probat. Adeone bardi Galli, rerumque Ecclesiasticarum ignari, ut in re tam aperta Pontificio consulto indigerent? Quis enim nescit sine consensu Episcopi illicitas esse ordinationes ejus in Diœcesi? Postea dixisset ne Pontifex nullas esse eas ordinationes, ac iterandas? sic & quum ibi dictum est, eos *Episcopos* non fuisse, *quia nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati fuerant*, refellitur ex Innocentio III. c. *Inter corporalia* tit. de translat. Episcopi, qui ait: *cum quis Episcopali præditus dignitate nullius tamen Ecclesiæ possit esset Episcopus*. Et S. Gregorius VII. Epist. 73. lib. 2. ad Boleslaum Poloniæ Ducem scribit; *Illud nobis primo attendendum est, quod Episcopi terræ vestræ non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum, nec sub aliquo positi magisterio huc & illuc pro sua quisque ordinatione vagantes ultra regulas, & Decreta SS. Patrum liberi sunt, & absoluti*: de qua re dictum est Cap. IV. n. 14. & seqq. aliquando fuisse *illicitum* tantummodo; & aliquando etiam *invalidum* juxta variam Ecclesiarum disciplinam.

XXIII. Tandem lib. 6. cap. 119. eorundem Capitul. legitur: *Placuit, ne chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus a nescientibus SS. Patrum, & maxime Apostolicorum decreta; suisque quietibus & delectationibus inhærentes facti sunt*: & l. 7. c. 187. tit. 4. c. 1. refertur Leonem III. jussisse eos in exilium amandari, sed misericordiæ intuitu inter *Presbyteros* collatos fuisse: & tamen Concilium *Parisiens.* VI. anno 829. lib. 1. cap. 27. agit de ipsis; affertque Canonem Neocæsarien. & Antiochenum mutilatum, ac sine ordinationum potestate. Concilium *Meldense* anno 845. cap. 44. concedit illis *Ordines minores* usque ad *Subdiaconatum* conferre, sed jubente Episcopo: & *Parisiense* Concilium anno

nô 849. nihil quidem memorat de *Chorepiscopis* in Concil. Collectionibus; attamen in eo *non solum Audradus Modicus* Senonen. Archiepiscopi *Chorepiscopus, sed & omnes alii Chorepiscopi, qui etiam in Francia erant, in eodem Concilio depositi sunt:* inquit chronicon Alberici Triumfontium. Memorat eosdem & Concilium *Aquisgranen.* anno 836. & anno 837. Agobardus Lugdunen. Archiepiscopus *dedicationem* Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri & Pauli Senzonaten. in agro Viennen. permisit, sive demandavit *Audino* suo *Chorepiscopo*, ut refert Mabillon. lib. 31. Annal. Benedict. n.72. *Metense* demum Concilium anno 888. coercuit hos Chorepiscopos, edixitque *Presbyteros* esse juxta *decreta Damasi, Innocentii* (leg. Joannis) *& Leonis*. Quorum Conciliorum nemo mentionem fecit *Ratisponen.* Concilii, ejusque in Chorepiscopos decreti; sed primus, vel unus, qui retulit, partemque illius exscripsit, fuit *Isaac* Lingonensis Episcopus, qui anno 870. sedebat, in suis Capitulis: Certe nec Nicolaus I. nec Leo VII. supra n.6. & 7. relati illud recitarunt; nec alterum Leonis III. aut alicujus ex suis Prædecessoribus. Postremo *Durandus* Aymonis Bituricen. Archiepiscopi *Chorepiscopus* anno 1040. legitur interfuisse Bituricen. Synodo; ut habet Mabillonius lib. 58. Annal. Benedict. n. 24. qui & n.25. observat. ex literis prædicti Aymonis, & Widonis Archiepiscopi Rhemen. intelligit eousque in Gallia extitisse, ac perdurasse *Chorepiscopos*, quos postea *Lanfrancus* Cantuarien. Antistes in Anglia penitus suppresserit: quibus nihilominus paulo post successere *titulares* Episcopi. Sed in Hibernia extasse adhuc anno 1152. testatur Simon Episc. Midensis in suis Constitutionibus an. 1216. editis, & in nupera Conciliorum Angl. & Hiber. collectione a Dan. Wilkus evulgaris to. 1. in quibus refert, eo anno a Jo: Paparone S. R. E. Card. in Hibernia Legato constitutum; *ut decedentibus Chorepiscopis, & exiliorum Sedium Episcopis in Hibernia in eorum locum eligerentur, & succederent Archipresbyteri a Diœcesanis constituendi.*

XXIV. Probat 9. Witasses Chorepiscopos esse *Presbyteros*, non autem *Episcopos* auctoritate *Canonum Arabicorum*; quorum 54. al. 58. Canon describit electionem, & consecrationem *Chorepiscoporum* longe diversam ab illa Episcoporum: canon 57. primum locum tribuit Archidiacono, 2. Chorepiscopo, 3. Archipresbytero: can. 58. & 65. *Chorepiscopus*, & Archidiaconus dicuntur duæ manus, & duæ alæ Episcopi, nec non filii Episcopi; & can. 60. tradit *Chorepiscopum*, & Archidiaconum examinare ordinandos, eosque ad Episcopum adducere, qui ordines illis conferat.

Respondetur primum, horum Canonum auctoritatem, & si apud Orientales adhibeatur, a Latinis, & Occidentalibus populis floccifieri: deinde si ita res haberet, ut illi habent, & ut interpretantur: etiam *Archipresbyter* non esset verus Presbyter, cum illum ibi *Archidiaconus* præcedat: & can. 58. habet *Episcopum* non posse in pagis, & Oppidis constituere Sacerdotem, vel Monachum nisi præsente *Chorepiscopo*: cap. vero 1. *de Templorum consecratione* asseritur, solum Episcopum, & Chorepiscopum jus consecrandorum Templorum habere, non autem inferiores gradu. Quæ plane Gallicani Præsules nunquam admiserunt, nec admisuros existimo: tantum abest a vero, eos canones Arabicos recepturos; quare non est, cur laborem refutare ea quæ aut nullius momenti sunt, aut nullius auctoritatis.

XXV. Probat denique ultimo ex ipsa *Chorepiscoporum* consecratione, quam ex libro rituum Maronitarum accepit; ubi legitur *Chorepiscopi* consecratio inter eam Archipresbyteri, & eam Episcopi collocata, atque inscripta: igitur, inquit, Chorepiscopus non est Episcopus.

Respondetur; cum eo in libro legantur etiam consecrationes Diaconi, & *Archidiaconi*, Presbyteri, & *Archipresbyteri*, Episcopi, & Archiepiscopi, sive *Patriarchæ*, neminem non intelligere ibi potius officia, ac dignitates diversas Ecclesiasticas describi, quam Ordinationes, seu consecrationes; nec inde posse duci, Archidiaconum non esse Diaconum, & Archipresbyterum non esse Presbyterum, Patriarchamque non Episcopum; sed diversas esse dignitates; uti & Chorepiscopum, qui ita se ad Episcopum habet ut Episcopus ad Patriarcham: quinimmo cum supra Archipresbyterum recenseatur; præser-

fert potius Episcopis, quam Presbyteris accenseri: præterquamquod parum ille liber distare videtur ab *Arabicis Canonibus*; atque adeo & ab eorundem auctoritate parum.

Et hæc sunt, quæ de *Chorepiscopis* mihi dicenda fuerunt; quorum quidam quoniam auctoritatis plus sibi arrogasse possunt; ut inconsultis urbium Episcopis Episcopale munus exercerent, jure ac merito a Galliarum Antistitibus sunt castigati; quia tamen indiscriminatim omnes in crimen vocati fuerunt; dicti non Episcopi, sed *Presbyteri*, ob idque solum eorum Ordinationes, atque consecrationes aut irritæ judicatæ, aut iteratæ non semel: propterea a Nicolao I. & Gallorum nonnulli reprehensi sunt, & chorepiscopi *innocentes* declarati.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

Quisnam fuerit habitus olim proprius Episcopus ad Ordinum susceptionem?

DISSERTATIO XXXIX.

B COmpertum est Nicæni Concilii primi can. 16. & Arelatensis primi can. 22. & Antiocheni can. 22. & Sardicensis can. 15. & Carthaginensis primi sub Julio Papa can. 5. aliisque plerisque, proprium cujusque clerici Episcopum, ad quem pro suscipienda ordinatione recurrendum erat; aut saltem pro dimissoriis ad hunc finem literis, illum ipsum fuisse a quo clericus erat constitutus, certeque cuidam Ecclesiæ addictus, cui ministraret; a qua transilire sacri præfati canones districte vetabant. Istam diffuse atque erudite pertractat quæstionem Franciscus Hallier professor primum Sorbonicus, deinde dignus Caballicensium Episcopus, tractatu de sacris electionib. sectio. 5. cap. 3.

II. Scio equidem habitam quoque fuisse originis rationem, ipse namque præallegatus Carthaginensis can. 5. hoc etiam præscribit: *Nec licere laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut cum ordinet sine conscientia Episcopi ejus, de cujus plebe est*. Quod idem & a Sardicensi Concilio decretum fuisse ibi asserit Gratus Carthaginensis Episcopus. Et Julianus Papa, sub cujus Pontificio duo ista Concilia celebrata fuere, sic decernit in sua inscripta ad Orientales pro Athanasio epistola. *Nullus* Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare, aut judicare, absque ejus voluntate; quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio.

III. Cæterum pro origine reputabatur ipsum domicilium, ut si quis in alia, quam in qua natus erat, parœcia inhabitaret, hoc ipso subjiceretur Episcopo loci, in quo domicilium fixerat, ut posset ab ipso in clericum assumi, Ecclesiæque certæ ascribi, neque posset deinceps ab altero ordinari absque dimissoriis. Neque vero prædicti canones obsistunt. Censebatur enim quis de plebe & de parœcia, cujus erat incola. Id autem innumeris suadetur testimoniis. Inprimis Arausicani primi Concilii can. 8. qui tamen requirit etiam jure merito alterius Episcopi testimonium, in cujus olim parœcia aliquis diu habitaverat in Clerum ordinandus: *Si quis* (ait) *alibi consistentem clericum ordinandum putaverit; prius definiat ut cum ipso habitet. Nec enim sine consultatione ejus Episcopi cum quo habitavit, ordinare presumat; quia non sine causa diu ab alio non ordinatus remansit*.

IV. In Carthaginensis Concilii tertii can. 44. & Africani can. 28. Epignonius Episcopus conqueritur quemdam a se baptizatum, educatum, & demum ordinatum Lectorem, fuisse sibi a Juliano Episcopo subreptum, dicente civem esse suæ parœciæ, ideoque ab eodem sine ullis Epigonii dimissoriis, factum Diaconum. Judicat vero Concilium fuisse hoc a Juliano indebite attentatum, rationem adducens: quia dudum fuerat is clericus ab Epigonio ordinatus,

tus, & Mapalienfis Ecclefiæ minifterio adfcriptus, in qua biennio Lectoris officium exercuerat. Cæteræ rationes Epigonii ad majorem ingratitudinis expreffionem ex abundantia proferuntur, quod is clericus, de quo agebatur, fuerat ab Epigonio baptizatus, quod educatus, quod in gravi fuftentatus inopia, quod denique idem Epigonius eumdem Juliano commendaffet.

V. Paulinus epift. 45. quæ etiam inter Auguftini epiftolas inferta legitur ordine 35. refert fe Burdigalæ ab Epifcopo Delphino baptizatum: deinde Barcinone ad ferventem Barcinonenfium civium poftulationem clericum ordinatum ab Epifcopo Lampio, facratumque fuiffe: fed tamen decrevifse a nullo alio quam ab Ambrofio Mediolanenfi Sacerdotium fufcipere. Ex quo duo eruuntur obfervatu digna; Primum quidem, exiguam & fere nullam originis & baptifmi rationem in ordinationibus habitam, quandoquidem Paulinus in provincia procul ab urbe nativitatis, baptifmique fui diffita & remota, in Clerum fuit, facrumque Ordinem adfcriptus. Ad id enim fufficiebat perfecta viri virtus toto orbe notiffimi, ad amovendum periculum ordinandi eum, qui fortaffis infigni aliquo vitio, aut apud fuos populares infamia laboraret, aut ob alium defectum canone ab Ordinibus arceretur. Cæteroqui enim remittendus ad originis, vel diuturnioris domicilii Epifcopum fuiffet, cui perfpectiores effe poffent hujus ad Ordinem explorandæ qualitates. Obfervandum fecundo, ex eodem Paulin. teftimonio, potuiffe aliquem jam in Clerum afsumptum, & ordine aliquo initiatum, recipere ab aliquo alio Antiftite Sacerdotium abfque prioris Epifcopi dimifforiis: fi tamen non fponte, fed quafi per vim & coactionem ordinem anteriorem fufceperat, cum hac proteftatione, nolle fe addici certæ ac peculiaris Ecclefiæ intra illum Epifcopatum obfequio. Id enim Paulinus a fe factum perhibet epift. 6. ad Severum, fic dicens: *Nam in Barcinonenfi Ecclefia conditione confecrari adductus fum, ut ipfi Ecclefiæ non alligarer, in Sacerdotium autem, non in locum Ecclefiæ dedicatus*. Ubi autem iftæ deerant conditiones, ab eo folo qui primum Clero addixerat, vel ordinarat, fufcipiendum erat Sacerdotium, quantumvis alibi quis natus fuifset.

VI. Præterea multa fuppetunt alia hujufce apud veteres ritus exempla, præter iftud Paulini. Origenes enim ortu Ægyptius ab Alexandro Jerofolymorum Epifcopo fuit Presbyter confecratus, ad folas Demetrii Præfulis Alexandrini literas, de vita & moribus teftimoniales, fine dimiforiis. Nec vero tanti meriti Præfuli (qui Deo revelante fuerat ad Jerofolymitanæ Ecclefiæ folum promotus, quique vitæ fanctitate, & librorum quos fcripfit eruditione, toti Ecclefiæ tanquam cæleste fydus illuxit, atque illibatam vitam gloriofo tandem martyrio conclufit) rem indebitam attentafset, aut libro in Demetrium Alexandrinum edito defendifset, cujus refert elogium Hieronymus in catalogo fcript. Ecclef. in Alexandro.

VII. Præfatus autem Paulinus & Severus Sulpicius, fcriptores ambo vitæ fancti Martini Turonenfis Epifcopi, narrant Martinum Sabariæ in Pannonia natum, in Cypri urbe Salamine fuifse, quamvis invitum, & repugnantem, exorciftam primum ordinatum: deinde ad majores Ordines evectum; & deinceps Hilario Pictavienfium Pontifici dum vixit addictum.

VIII. Epiphanius juxta Eleutheropolim Phœniciæ oppidum natus, Clero, tametfi repugnans & invitus, in Cypri urbe Salamine initiatus fuit; mox Diaconus, deinde Sacerdos, poftremo Epifcopus ejufdem urbis creatus: ut ejus vitæ fcriptor Græcus teftificatur.

IX. Similiter Hieronymus, Stridone oppido in Dalmatia oriundus, ab Antiochiæ Epifcopo Paulino Presbyter eft ordinatus, ut ex ipfius epiftolis 57. 58. & 61. compertum eft. Hieronymi quoque frater Paulinianus æque Stridonenfis Sacerdotio ab Epiphanio Salaminæ, quæ Conftantia quoque dicitur, Epifcopo fuit inauguratus, ut ex Hieronymi epiftola 61. liquet.

X. Auguftinus, cui patria Tagafte in Africa, ab Ambrofio Mediolani baptifmum, a Valerio autem Hipponenfi Epifcopo clericalem tonfuram, cunctofque ordines, atque adeo Sacerdotium fufcepit, ut refert in ejus vita Poffidius.

XI. Pinianus nobilis, & illuftris Romanus, cum Hipponem, Auguftini vi-

fendi gratia concessisset, urgente atque ad clericalem militiam exposcente eum populo, se jurejurando obstrinxit, nulla alia in Ecclesia clericatu initiatum iri quam in Hipponensi, ut perhibet Augustinus epist. 225.

XII. Evagrium etiam Ægyptium Gregorius Nazianzenus Constantinopoli Diaconum ordinavit, teste Socrate lib. 5. cap. 18.

XIII. Quin etiam Augustinus & Severus mutuo disceptantes pro Timotheo clerico, epist. Augustini 240. & 241. nihil de ipsius patria disputant, sed solum a quonam fuerit ordinatus, ut eum sibi solus vindicare possit, qui clericum fecerat. Conqueritur ibidem Augustinus Timotheum, postquam pluries in Ecclesia suæ parœciæ de pulpito legerat, fuisse tamen a Severo, se inconsulto, Subdiaconum ordinatum: sed eum ad suam Ecclesiam asseverat pertinere, a Severo indebite usurpatum, & ordinatum: quem rogat ne nunc aperiri sinat aditum ad ordinem infrigendum Ecclesiasticæ disciplinæ: sed Timotheum ad se dimittat, ne iste ulterius perjurio suo Deum offendat, postquam Ecclesiæ, in qua primum ordinatus est, juravit se nullatenus ex ea discessurum. Ex hoc Augustini loco perspicua fit veteris Ecclesiæ consuetudo, qua is qui Clero adscribebatur juramento spondebat stabilitatem in Ecclesia, cui per ordinationem primum alligabatur: qua tamen sponsione se devincire Barcinonensi Ecclesiæ Paulinus recusavit, & ipse Hieronymus Antiochenæ, quia in sua ordinatione nullius se ministerio addictum iri protestatus est, ut de se ipsemet scribit epist. 61.

XIV. Collapsa demum aut saltem labefactata Ecclesiæ disciplina, ex quo laudabilis desiit consuetudo, traditione Apostolica, sacrisque veterum Conciliorum Sanctionibus stabilita, ut quilibet clericus in ordinatione sua certæ & particularis Ecclesiæ obsequio deputetur, a qua discedere posthac non sit ei liberum, ut statuitur generalis Concilii Arelatensis primi can. 22. & œcumenicarum synodorum Nicænæ primæ can. 15. & Calchedonensis can. 6. facta demum clericis pro libito ab una ad alteram Ecclesiam commigrandi licentia & potestate, tum primum invaluit proprii Episcopi notio, & acceptio diversa. Tria namque distincta sunt Episcoporum discrimina, ad quos unicuique liberum esset recurrere, ad quosvis ordines suscipiendos. Hi vero sunt Episcopi vel originis, vel domicilii, vel beneficii: cujus distinctionis primus ex iis qui supersunt meminit canon Bonifacii Papæ VIII. c. nullus, de temp. ordin. in 6.

P. JOHANNIS CABASSUTII

CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

De manuum Impositione

DISSERTATIO XL.

I. CONfert plurimum ista Dissertatio ad antiquorum Canonum, & veterum Ecclesiæ Doctorum intelligentiam. Sciendum in primis, quid manum impositio significet? Eam vero notitiam nobis egregie tradit S. Dionysius Hierar. Eccles. cap. 5. scribit enim, per hanc significari eum, cui manus imponuntur, constitui sub divinæ manus protectione; præterea, virtutis, divinæque gratiæ in subjectum caput effusionem: tertio diabolicæ fraudis, & malignantis depulsionem: quarto denique sub Deo subjectionem, ut nihil extra ductum ejus & auspicium a nobis agatur; quasi Deo nos sibi manu sua vindicante, suumque in dominium, & possessionem assumente. Sic vero loquitur Dionysius: *Pontificiæ autem manus impositio simul quidem manifestat sacramentalem protectionem, qua tanquam sancti pueri paterna protectione foventur; quæ quidem Sacerdotalem det eis habitum, & virtutem: contrarias autem potestates ab eis depellat: docet etiam sacras functiones obire*

eos,

eos, qui consecrati sunt, ut sub Deo agentes, omniumque actuum suorum ducem habentes. Manuum impositio dicitur χειρῶν ἐπίθεσις Act. cap. 6. v. 6. &c. c. 8. v. 17. 18. 19. &c. 1. Timoth. 4. v. 14. & 2. Timoth. c. 1. v. 6. Concilium Nicænum primum can. 8. 9. Ordinationem, & consecrationem verbis χειροτονίας & χειροθεσίας exprimit: nec non reliqua deinceps Græca Concilia, & Sancti Patres. Tametsi vox χειροτονία quævis etiam multitudinis suffragia & electiones significet, nec tantum Sacerdotes, sed etiam Diaconi manuum impositione consecrentur, ut refertur de primis septem Ecclesiæ Diaconis Act. 6. v. 6.

II. Ad diversos effectus manuum impositione utebatur Ecclesia. Præclare glossa in cap. manus impositio 1. q. 1. quinque recenset species manuum impositionis, consecratoriam, confirmatoriam, ordinatoriam, reconciliatoriam, morborum curatoriam. Marcus Remensis de variis capitib. Eccles. cap. 18. has differentias accuratius pertractat, his verbis: *Non uno modo semper impositio manus intelligitur, sed pro diversitate illorum sub diversa significatione reperitur. Aliquando etiam pro confirmatione Neophytorum accipitur, ut in decretis Apostolicorum virorum, Clementis, Urbani, Melchiadis expressum sæpenumero reperitur. Nunc pro ordinatione Sacerdotum, sive Diaconorum, juxta illud Apostoli ad Timotheum. Nemini cito manus imposueris, quod & Canones apertissime præscribunt. Est & reconciliatoria manus impositio, per quam pænitentes hæretici, sive schismatici, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliantur; de qua similiter Canones multa dicunt, & de qua B. Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas testatur nihil sit nisi oratio super hominem quæ iterari possit. Fit etiam manus impositio super infirmos, juxta illud Evangelii: super ægros manus imponene, & bene habebunt. Item super catechumenos, & energumenos: Item cum simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Jacob Patriarcha, cum filios Joseph benediceret, manus ei imposuit. Et Dominus in Evangelio oblatos sibi parvulos per impositionem manus benedixisse legitur.* His adde manuum impositionem super Diaconissis, de qua alibi:

III. Manuum impositio ad Confirmationis sacramentum solius est Episcopi officium. Hujus præcessit exemplum in Apostolis Petro, & Joanne Samariam missus, ut urbis hujus habitatoribus paulo ante a Philippo Diacono baptizatis, confirmationis signaculum conferrent, quo cum advenisset, *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Scite vero hæc docet S. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum: *Quod deerat, id a Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Cornelius etiam Papa in epist. ad Fabium Antiochenum, quam refert Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 35. ita de Novatiano schismatico scribit: *In lecto in quo decumbebat, aqua circumfusus Baptismum accepit, si modo talem hominem baptismum accepisse dicendum sit: verum morbo tandem elapsus, neque cætera, quibus post Baptismum secundum Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat, acquisivit; neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutiquam potius, quomodo quæso Spiritum Sanctum adeptus est?*

IV. Ad idem quoque Sacramentum, quod Sancti Patres signi, ac sigilli nomine designant, Innocentius Papa tertius cap. unico, de sacra Unctione in Sacris in quibus unctio adhibetur, duplicem considerandam unctionem docet, extremam nimirum, atque sensibilem, alteram vero internam, & invisibilem, cujus auctor agnoscendus sit sacer Spiritus Dei. Prima illa unctione in tribus linimur Sacramentis, Confirmatione, Ordinatione, & ultima infirmorum Unctione, illaque ad substantiam pertinet trium Sacramentorum. Ea vero secunda, quæ interior est unctio ad gratiam pertinet Sacramenti, & ad omnia etiam extra Sacramentum superna Charismata. Ejus generis est unctio, qua delibuta est sacrosanta Christi Domini humanitas, prædicente Isaja: *Spiritus Domi-*

ni

ni super me, propter quod unxit me, Rege etiam canente Psalmista, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: Et Petro Apostolo in Act. Apostolorum enunciante, *Unxit eum Spiritu-sancto, & virtute*. De Christianis interna unctione delibutis Paulus 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Quemadmodum etiam 1. Joann. 2. *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis aut aliquis doceat vos. Sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est*. Atque idem Innocentius, sermonem suum prosequens, ingeniose Divini Spiritus unctioni columbam Spiritus Sancti symbolum accommodat, quæ in Arcam revolavit virentis olivæ ramum deferens, qua ex arbore oleum exprimitur. Est demum alterum unctionis externæ genus cæremoniale, & tantum Sacramento accidens, qualis est in scapulis, & pectore, atque vertice baptizati unctio olei, quæ ex Apostolica etiam institutione ortum habet.

V. Fieri quoque solebat impositio manuum Episcopi simul, & Cleri in reconciliatione publice pænitentium; quem ritum Cyprianus commemorat epist. 10. *Nam cum in minoribus peccatis* (scilicet comparatione habita cum peccatis Fidei Christianæ desertorum, de quibus ibidem Cyprianus, tametsi ea de quibus loquitur quasi de minoribus, gravia in se ipsis essent, quippe quæ publica pænitentia eluenda essent) *agant peccatores pænitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi, & Cleri jus communicationis accipiant. Nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communionem admittuntur, & offertur eorum nomen, & nondum pænitentia acta, & nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita, &c.* Nec tantum in reconciliatione pænitentium, sed etiam inter preces, quas diebus jejuniorum fundebant Sacerdotes supra pænitentes; manus quoque eisdem imponebant: ut habetur Concilii quarti Carthaginensis can. 80. Energumenis etiam exorcistæ quotidie manus imponebant, ibid. can. 90. Manus impositio ad Confirmationis Sacramentum olim requisita, nunc quoque usu viget. Nam Episcopus manum fronti imponit, simulque inungit, & oblinit, ut testatur Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis lib. 1. de Offic. Eccles. c. 27. sub finem his verbis: *Ut ab Episcopis solis inungantur per manus impositionem, ab Apostolis acceptum est*. Denique solemne antiquitus fuit viduas ordinari Diaconissas adhibita manus impositione, ut sequenti proxima dissertatione demonstrabitur.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De prisco eligendi eos, qui ad sacros Ordines initiandi erant, ritu.

DISSERTATIO XLI.

I. Ecclesia Dei, quam Spiritus divinus regit ac munit, prædicatur in sacris voluminibus *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Pulcherrimus in ea effulgens ordo ipsi mirifico decori est & ornamento, & insuper munimini atque præsidio, ejus speciem admirabiliter auget simulque invicta fortitudine roborat, terroremque in ipsius hostes latissime diffundit. Secus autem accidit in hæreticorum castris, in quibus ἀταξία difformis prævalet, ut illis accommodari hoc rite possit quod de tartareis locis in libro Job enuntiatur. *In quibus nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. His namque rebellium consortiis & sodalitiis spiritus confusionis cacodæmon dominatur. Hierarchiæ porro Ecclesiasticæ, quæ cœlestes in cœlis ordines imitari studet,

det, præcipua munia his tribus ordinibus continentur, ut fusius docet sublimis ille Dionysius dictus Areopagita, scilicet Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis, quorum promotio, & consecratio solis competit Episcopis, Ecclesiæ ducibus, & Principibus, Apostolorumque successoribus, juxta Regii Prophetæ vaticinium: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitutes eos Principes super omnem terram.* II. Hoc vero sciendum, tres esse distinctas res, electionem, postulationem, & consecrationem. Ista quidem tertia, qua potestas confertur ac dignitas Ecclesiastica ejusque indelebilis character, ab Episcopis dumtaxat, nullatenus autem a reliquo Clero vel a populo suffragante conferri potest. Ad electionem autem, vel ad postulationem, quarum prima jus aliquod ad rem initiat, secunda vero solis nititur precibus, aliquando solus Clerus, nonnumquam etiam laicorum fidelium vota, pro diversorum locorum temporumque vicissitudine, admittebantur. Veruntamen quia plebis concursus frequentes pariebat dissensiones, ejus suffragia jampridem requiri desierunt, totaque demum res ad optimatum, qui sunt in Clero, arbitrium delata est.

III. Perspicuum est etiam ab Ecclesiæ nascentis primordiis Episcoporum creationem, fieri consuevisse accedentibus populorum suffragiis, ut contingit in ipsius Matthiæ ad Apostolatum electione Act. 1. & subinde septem Diaconorum Act. 6. Quam rem inferius & fusius probabimus in nostris ad can. 4. Nicæni Concilii observationibus, quas lector perquiret, ne frequentius idem a nobis reperi contingat. Rationem requisiti olim totius civitatis consensus istam refert S. Pontifex Leo primus, epist. 12. alias 85. ad Anastasium Thessalonicensem cap. 5. *Ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluerit.* Quæ tamen consuetudo progressu temporum exolevit. Enim vero Synodus œcumenica Nicæna secunda can. 3. excludit plane laicorum plebisque suffragia ab Episcoporum electionibus. S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, jam ante graviter expostulaverat, quod suo tempore a suffragiis populorum dependeret Episcoporum electio. Ideoque *non esse admirandum*, ait, *si flagitiosi præficiantur Ecclesiis, dignissimi autem in obscuro jaceant & delitescant, cum electionis judicium ab illis petatur, quorum animi solis temporalibus lucris, & voluptatum illecebris addicti sunt, nec nisi terrena sapiunt.* Divus Augustinus confusos reformidans tumultus, qui se defuncto de suæ successione sedis exorituri in populo essent, id malum sapienter adhuc vivens prævenit. Quippe congregato in primaria Basilica populo nominavit, & impense commendavit eum, quem sibi cooptarat successorem Eradium Sacerdotem, plebisque consensum rogavit & obtinuit, protinusque in acta publica referri curavit. Cujus rei ipse fidem facit epist. 110. In qua præterea exemplum profert Severi Milevitensium Antistitis, qui paulo ante sibi adhuc vivens successorem designaverat, in quem congregatus in Cathedrale templum populus lubens consenserat. Atque hanc facti sui rationem adjungit: *Scio* (inquit) *post obitus Episcoporum, per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari: & quod sæpe expertus sum & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati.* Præclare Cicero in oratione pro Lucio Flacco, Græciæ olim opibus, Imperio & gloria florentis posteriores calamitates huic uni malo adscribit, *libertati immoderatæ, ac licentiæ concionum; cum in theatro imperiti homines rerum omnium rudes ignarique consederant, tum bella inutilia suscipiebant, tum optime meritos cives civitate ejiciebant.* Exemplum turbarum, quæ inter medios concionum popularium fluctus in Episcoporum electione ingruebant, suppeditat memorabile Ammianus Marcellinus scribens post Liberii Pontificis Romani obitum, diversis inter Damasum & Ursicinum Romani populi studiis, uno die intra Sicini basilicam centum triginta septem homines fuisse interemptos. Rufinus etiam eandem attingens historiam lib. 2. cap. 10. *Tanta* inquit *seditio, imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca.*

IV. Cæterum etsi pluribus sæculis ad Episcoporum electionem requisita fuerint populorum suffragia; cæterorum tamen Cle-

Clericorum electionem plebibus Laodicena synodus interdixit, can. 2. Ipseque Gregorius Papa nonus quoscumque laicos a quibuscumque Ecclesiasticis electionibus longe submovet, c. sacrosanta, &c. Messana, de election. Intermediis tamen sæculis, tametsi non electiones quidem populi circa inferiores ab Episcopatu ordines prævaluerunt; testimonia tamen circa ordinandorum conditiones & vitam Episcopi ordinatores perquisierunt: id etiam præscribentibus sacris Ecclesiæ regulis, ne quis indignus per ignorantiam promoveatur. Providet enim Concilium Carthaginense tertium can. 22. *Ut nullus ordinetur Clericus nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio*. Et quarti Carthaginensis Concilii can. pariter 22. *Ut Episcopus sine Consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat*. Et quidem de Episcopo loquens Apostolus 1. Thimoth. 3. ait: *Oportet illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*.

V. Contingebat aliquando, ut insignis alicujus meriti personæ solutæ a populo expeterentur apud Episcopos ordinandæ, ut scilicet ordinis vinculo astrictæ ibidem deinceps residerent, & ita populus earum exemplis, aut doctrina, aut eleemosynis juvaretur, & valde proficeret. Quomodo de se ipso Paulinus Nolanæ civitatis Antistes epistola 45. quæ etiam inter Augustinianas recensetur ordine 35. refert cum forte Barcinone degeret, fuisse ad serventem Barcinonensium civium postulationem, cum nihil tale cogitasset, ordinatum ab Episcopo Lampio, noluisse tamen ulli Ecclesiæ civitatis ejus addici, cum destinasset Sacerdotium ab Ambrosio suscipere, ab eoque Mediolanensis Ecclesiæ obsequiis alligari. Præterea Pinianus nobilissimus, & perillustris Romanus cum Hipponem Augustini visendi gratia profectus esset, urgente atque ad Clericalem militiam exposcente ipsum populo, Clericali militiæ ab Augustino fuit initiatus, & adscriptus, ut ipsemet perhibet Augustinus epist. 225.

VI. Inepte autem novatores hæretici demonstrare præsumunt divinæ institutionis esse, ut Presbyteri per suffragia plebis ordinentur, eo quod act. 14. v. 22. ubi de Paulo & Barnaba hoc enunciatur: *Cum constituissent illis per singulas civitates Presbyteros*; Græcumque exemplar dicat χειροτονήσαντες quam voocem sic vertunt: *Cum per popularia suffragia ordinassent*. Cæterum distinguenda sunt diversa hujus Grecæ vocis significata: Primum est, per suffragia multitudinis decernere; est enim χειροτονία manuum extensio aut elevatio; quo signo populus suam indicabat aliquid sciscendi seu decernendi voluntatem. Quæ est apud veteres Græcos admodum frequens significatio qui adventum præcessere Christi: eodemque sensu ait Cicero de Græcanico cujusdam populi decreto in oratione pro Flacco, *porrexerunt manus, sophisma natum est*. Secundo significat absolute & indefinite quodvis decretum etiam privatum & singulare. Quo eodem sensu legimus Act. 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo*, Græce μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ θεοῦ. Quis vero dixerit Deum æterno suo consilio per suffragia plebis eligere aut decernere? Atque hoc ipso sensu illa intelligenda est facta per Apostolos eo loco Presbyterorum ordinatio, absque aliorum suffragiis aut concursu. Potest etiam vox illa apprime juxta tertium significatum concipi, scilicet sacræ ordinationis, quæ fit per Episcopi manuum impositionem, qui sensus est in usu Ecclesiæ apud Græcos sanctos Patres frequentissimus. Atque utrolibet duorum istorum significato, nullatenus vero primo concipi debet vis vocabuli hujus in loco ab Heterodoxis allegato. Secunda namque licet actu non interveniat manus ulla, est tamen derivatio a priore vocis hujus usu. Tertia autem manuum etiam porrectionem ac impositionem reipsa diserteque exprimit.

VII. Quæ vero electio ex perversis ducta principiis, impietate & ambitione iisdem pariter suffulta & propagata, in funestas atque diuturnas clades prosiluit, ea ipsa est qua Ariani Principes primum occupato per vim Italiæ dominatu Ecclesiam oppresserunt, sibi electionem Romanorum Pontificum cæterorumque Antistitum arrogantes. Deinde Orientis Imperatores, & ab his constituti supra Italiam Præfecti sub nomine Exarcharum, qui apud Ravennam sedem fixerant, postquam Italiam de Gottis a se devictis receperunt. Postmodum

Re-

Regulî qui debilitata Caroli Magni progenie tyrannicis invasionibus eamdem provinciam urbemque Romam, unaque Apostolicam Cathedram dirissima servitute oppresserunt, improvide faventibus ipsis ab initio Romanis Pontificibus. Denique plerique Germanorum Reges ac Imperatores, qui sibi indebitam auctoritatem asseruerunt, solo suo nutu Romanos eligendi Pontifices, eosque Apostolica sede exturbandi, qui se inconsultis in eam conscendissent.

VIII. Pernicies ista initium sumpsit ab Odoacre Principe Barbaro Arianæ impietatis sectario, postquam armorum vi sub dominationis suæ jugum Italiam subegit, seque illius regem constituit. In quarto enim Romano sub Symmacho Papa Concilio Præfecti sui voce edixit, ne post obitum Romani Papæ ullus ei sublegeretur successor, absque Regis consensu. Quam legem sacra Synodus repudiavit. Qui vero Odoacrem Italiæ regno viraque spoliavit, ejusque in se transtulit sceptrum Theodoricus Arianæ quoque sequax impietatis, eamdem instauravit legem, ut ex epistola colligitur Athalarici Regis ad Romæ senatum scripta super Felicis tertii electione, quam refert Cassiodorus lib. 8. epist. 15. Successit Imperator Justinianus exactis per Belisarium tota Italia Ostrogothis, jusque istud, quod hæreticorum, qui præcesserant Regum tyrannis invexerat, confirmavit, sibique non dubitavit asserere, atque ad successores Imperii transmittere, qui paucis exceptis hæreses Nestorii, Eutychis, Monothelitarum, Iconoclastarum consectati sunt. Quæ causa deinde fuit immanium adversus Sacrosanctos Pontifices, eisque subjectas Ecclesias persecutionum. Quinetiam ingenti pretio compellebatur Imperatoris aut etiam Exarchæ Ravennatis consensum ad Pontificiam promotionem promercari: adeo ut sacrarum dignitatum culmen non aliter quam per simoniaca flagitia conscenderetur: quod sacrilegium inausum inauditumque fuerat erga Romanos Episcopos, ipsis etiam Idolatris Romanorum Imperatoribus. Inde pariter nascebantur exitialia schismata; dum scelerati Clerici summum ambientes Pontificium, grandi pecunia & indignissimis pollicitationibus nunc Imperatorum, nunc conjugum Augustarum, nunc Comitum Palatinorum gratiam aucupabantur.

IX. Evidentibus argumentis commonstrat Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 774. ex quo armis Regum Franciæ Pipini & Caroli Magni, extincto Longobardorum in Italia dominatu, Provinciarum quæ victoribus cesserant Francis, major pars incredibili pene magnificentia Romani Pontificis ditioni attributa est ab iisdem; Imperiumque Occidentale a Leone III. Pontifice Francis collatum est, liberas permansisse annis ducentis Romanorum Pontificum electiones, nec ulli astrictas Francorum Regum & Imperatorum arbitrio vel confirmationi. Sed ex quo ad Germanos Principes devolutum est Romanum Imperium, deficiente aut saltem ab avita virtute degenere Caroli Magni progenie; tum demum Romanæ Ecclesiæ vetus illa servitus tot annorum decursu interrupta recruduit; quo tempore Otho primus e Saxonum gente, hac lege Romanos astrinxit, quam idem per schisma intrusum a se Leonem ejus nominis octavum, vivente adhuc sed in ordinem redacto Joanne XII. legitimo Papa sancivit: ut non nisi præcedente Othonis consensu suique filii, & deinceps successorum Imperii, quisnam eligeretur aut consecraretur Romanus Pontifex. Cujus etiam edicti meminit Luitprandus rei gestæ vivens ac videns testis, historiæ suæ lib. 6. cap. 6. Privilegium istud (si tale vocari possit) observari voluerunt Imperatores Germani, nemine resistere aut obluctari auso Romæ Antistite adusque Gregorii VII. dicti Hildebrandi Pontificatum, qui postquam vexillum Pontificiæ libertatis ex arce Romana in sublime erexit, ipse, & qui post ipsum in Pontificiæ dignitatis apicem conscenderunt, feralibus, & atrocissimis bellis ab Imperatoribus Germanis conflictati sunt, quibus Italia & Germania horrendum in morem conflagrarunt sub Othonibus, Fridericis, Henricis, & Bavaris principibus, qui infensissimis bellis sæpiusque repetitis universam Italiam funestarunt: per quos etiam diversi Pseudopontifices legitimis ejectis, Romanam in sedem obtrusi sunt: donec ipsis assentientibus Imperatoribus servitutis indebitæ jugum a cervicibus Ecclesiæ sponsæ Regis Regum amotum est.

X. Denique ut huic de ordinandorum electione dissertationi finis imponatur; sciendum, minime prorsus intelligendum de ordinatione Episcopali veterem illum Ecclesiæ Alexandrinæ ritum, cujus est apud Hieronymum mentio in epist. ad Evagrium: *Alexandriæ* (inquit) *a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi de se eligant quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Ritus ille nullatenus Episcopum consecrabat, sed electionem sequebatur, atque ut vulgus vocat, installatio, atque in possessionem immissio, ad firmandam electionem factam, aut fortasse fiebat post unctionem consecrationis mysticæ, quemadmodum ex præscripto Pontificalis, consecratores Antistites consecratum a se novum Hierarcham sacræ dignitatis insignibus decoratum in sede collocant Episcopali.

P. JOHANNIS CABASSUTII

ORATORII DOMINI JESU

De provinciis Ecclesiasticis

DISSERTATIO XLII.

I. PLurimum conducit ad historiæ Ecclesiasticæ, Conciliorumque notitiam, Provinciarum Ecclesiasticarum peritia, quam hic pertractare aggredior. Quia vero distributiones præcipuarum Ecclesiarum factæ olim comperiuntur ad normam, & partitionem veteris Imperii Romani, adeo ut omnium Ecclesiarum antiquissima pariter, & Sanctissima Jerosolimitana, nihil antiquitus, quam simplex parœcia fuerit Episcopalis, Cæsareæ Palæstinæ Metropoli subjecta, & suffraganea, non alia de causa quam quia Cæsarea secundum civilem potestatem habebatur totius Palæstinæ Metropolis, tametsi, antequam ab Herode Idumæo in honorem Cæsaris amplificaretur, non aliud quam Turris Stratonis nomen haberet. Sic enim quia Byzantium nobilissima Urbs ab irato & infenso adversus eam Septimo Severo fuerat sub præfectura ignobilis oppidi Perynthi, seu Heracleæ Thraciæ constituta, id circo Byzantinus Episcopus, qui postremo evasit Constantinopolis Patriarcha, permultis annis extitit ab initio unus ex suffraganeis Heracleensis Metropolitæ; quia propterea inter Imperii Romani civitates primarias post Imperii caput Romam, primo fulgebat dignitatis gradu Alexandria Ægypti, & secundo Antiochia Syriæ ad Orientem; ideo vivente Apostolo Petro Romana Ecclesia primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium sortita est nobilitaris gradum: differteque asserit Anacletus Pontifex Apostolos renovasse in Ecclesia jamdudum factam a Romanis Imperii divisionem, c. Provincias, dist. 99.

II. Itaque operæ pretium duxi, brevem, sed tamen exactam Præfecturarum Imperii Romani notionem texere, ut innotescat inde quænam prioribus sæculis fuerit partitio, & ordo præfecturarum quoque Ecclesiasticarum. Summa olim Præfecti prætorio potestas, quæ arma simul & jura complectebatur, fuerat jam inde a Regno Tiberii Cæsaris penes unum. Sed ex quo insidias Perennis Præfecti prætorio Commodus Imperator evasit, cœpit ea potestas (ne foret nimia, ipsosque Præfectos ad Imperii ambitionem sollicitaret) inter duos æmulos dividi teste Herodiano lib. 1. Postmodum Constantinus Magnus eam potestatem, dignitatemque inter quatuor Præfectos partitus est, singulisque proprias attribuit distinctas regiones. Quorum primus Orientem regebat, eique subdebantur Provinciæ Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos, Syrtes, Asia, Cappadocia, Cilicia, Cyria, Armenia, Thracia, Mysia inferior, Cyprus cum reliquis Orientis plagis. Sequebatur Præfectus Illyrici, cui parebat Illyricum, Dacia, Triballi, Pannonia,

nia, Mysia superior, Macedonia, Thessalia, Græcia, Peloponnesus, Creta, & insulæ circumfusæ. Tertius accedebat Italiæ Præfectus, qui præerat Italiæ, Siciliæ, Africæ, & circumjacentibus insulis. Quarto loco erat Galliarum Præfectus, cui obtemperabat Gallia, Hispania, Britannia, & insulæ adjacentes, ut scribit Zosimus libr. 2.

Quatuor istæ singulæ Præfecturæ in plures dispertiebantur Diœceses, quæ a Præfectorum Vicariis regebantur; unde Vicariæ quoque dicebantur, plures etiam regiones, ac provincias complectentes, ut videre est libro notitiæ utriusque Imperii, quem eruditis commentariis Pancirolus illustravit.

III. Secto deinde in duas partes Imperio, seu dinumeratæ sunt Orientalis, seu Constantinopolitani Imperii Diœceses. Primo Orientis, cujus Metropolis Antiochia, & cujus Vicarius speciali designatione audiebat Comes Orientis: Secunda Ægypti: Tertia Asiæ: Quarta Ponticæ: Quinta Thraciæ: Sexta Illyrici partis Orientalis, quarum meminere leges 1. & 2. C. de militari veste, l. 12. & l. 1. C. ut nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos vel Vicar. eor. & l. ult. C. de divers. Offic. l. 12. Orientis Diœcesis caput ac Metropolis fuit Antiochia, ut liquet ex historico Zosimo lib. 1. Hieronymo ad Pammachium, Chrysostomo homil. 1. ad populum Antioch. De hujusce Vicarii officio tit. habetur in Cod. de offic. præf. Augustalis, & in ff. pariter. Diœcesis Asianæ Metropolis fuit Alexandria, ut ex Theodorito constat lib. 1. hist. Ecc. c. 1. Ægypti Vicarius appellatione insigniebatur Præfecti Augustalis, de cujus officio, tit. habetur in Cod. de offic. præf. Augustalis, & in ff. pariter. Diœcesis Asianæ Metropolis erat Ephesus, Chrysostomo teste in epist. ad Ephes. nec non subscriptione Theodori Ephesini Episcopi act. 18. Synodi sextæ. Porro Diœcesis Ponticæ Metropolis extitit Cæsarea Cappadociæ, ut fidem facit Gregorius Nazianz. orat. de laudibus Basilii, & subscriptio Philaletis Episcopi Cæsareæ Cappadocum in sexta Synodo. Thraciæ Metropolis tempore Constantini fuit Constantinopolis, quam idem sede imperii decoravit. Tres vero istæ Diœceses Thracia, Pontica, & Asiana, fraude Græcorum in Concilio Constantinopol. primum, deinde in Calchedonensi distractæ fuerunt; Thracia quidem a Romana sede, Asiana & Pontica ab Antiochena Diœcesi.

IV. Diœcesis autem Macedoniæ, Daciæ, atque Illyrici partis ejus, quæ ad Orientis pertinebat Imperium, caput fuit Thessalonica, ut refert Theodoritus lib. 5. hist. Eccl. cap. 17. Ad postremum tamen Justinianus, tum sedem Præfecti prætorio Illyrici, tum etiam Vicariam Apostolicam, seu jura Primatis (assentiente Papa Vigilio) ex urbe Thessalonica transtulit Acridum Dardaniæ oppidum, Justiniani natalem patriam, quam de suo nomine Justinianam primam dici voluit. Novella XI. Deinde Nicolaus Papa primus epist. 2. hortatus est Michaelem Augustum, ut antiqua jura instaurari curaret, quibus fruebatur olim Thessalonicensis Episcopus, tanquam Romani Pontificis Vicarius per omnem Epirum, Illyricum, Macedoniam, Achajam, Thessaliam, Daciam Ripensem, Daciamque Mediterraneam, & Mysiam, Dardaniam atque Prævalim; has enim omnes Provincias hæc olim vicaria sacra complectebatur.

V. Sex pariter constitutæ sunt occidentis Diœceses, ac Vicariæ civiles. Una Italiæ; altera Illyrici, partis ejus quæ ad Occidentis pertinebat Imperium; Tertia Africæ, Quarta Galliæ, Quinta Hispaniæ, Sexta Britanniæ. Vicariæ Italiæ Metropolis fuit Mediolanum, ut ex epistola colligitur Athanasii ad Solitar. vit. agen. ubi loquitur de Dionysio Mediolanensi Episcopo. Galliæ autem Augusta Trevirorum, ut ex eadem colligitur, ubi sermonem habet de Paulino Trevirorum Antistite. Idem confirmat Theodoritus lib. 2. hist. Eccl. c. 15. Salvianus etiam lib. 2. de providentia Dei, Trevirim dicens summam Galliarum urbem. Britanniæ Vicariæ caput erat Eboracum Romanorum colonia, quam Spartianus in Severo, urbem absolute per antonomasiam vocat, & in qua Constantius Chlorus Magni Constantini pater Regiam constituit, diemque obiit extremum, ut produnt Eusebius lib. 1. vitæ Constantini, Eutropius, Aurelius Victor, & Orosius.

Diœcesis Africæ indubitatum est Metropolim tam civilem quam Ecclesiasticam fuisse Carthaginem, cujus etiam Episcopus Primatu totius Africæ potiebatur, ut passim visitur in Cypriani epistolis in Conciliis Africanis, quæ omnia ab Episcopo Carthaginensi indicebantur, quibus etiam præsidebat, cuique etiam subjacebant Provinciæ Numidiæ, atque utriusque Mauritaniæ Cæsariensis & Tingitanæ, quæ a suis quidem regebantur particularibus Primatibus; sed sub generali regimine atque auctoritate Carthaginensis Episcopi.

VI. Carthago urbs totius Africæ celeberrima, cujus per Didonem Tyriam fundatio, Romæ conditum annis centum præcessit, in eum potestatis opulentiæque gradum conscendit, ut Romanæ urbis æmula cum ea diuturnis annis per atrocissima bella de Imperio contenderit, & post partum Romanis victoribus terrarum orbis imperium, soli Romæ cedens cum Alexandria Ægypti de secunda palma contenderit, cum incertum esset utra ex duabus vel amplitudine, vel opibus, vel populi frequentia prævaleret, ut Herodianus perhibet hist. lib. 7. Perduravitque illa contentio usque dum Saraceni Carthaginem funditus everterunt. Quamdiu vero Carthago stetit sub Romanorum imperio, Metropolis fuit Africæ partis illius, quæ a freto Gaditano per omnes Lybicas Mediterranei maris oras adusque Cyrenem porrigitur inter ipsum mare & Atlantem montem interclusa. Neque tantum Metropolis Civilis dignitatem obtinuit, sed etiam Ecclesiasticæ, postquam illis plagis Christi Evangelium illuxit.

VII. Ex multis constat vetustiorum Scriptorum testimoniis, illam præfuisse tribus peramplis provinciis Africanis, nimirum Proconsulari, cujus in Primaria civitate Carthagine Romanus Proconsul sedem fixerat, ibique juridicos solebat habere conventus. Deinde Numidiæ, Mauritaniæque, usque ad Magni Constantini tempus. Hic vero subjectam Imperio Romano Africam in sex provincias civiles partitus est: Carthaginem seu Proconsularem, Numidiam, Byzacenam, Tripolitanam, duasque Mauritanias, scilicet Sitifensem, & Cæsariensem quæ Tingitania quoque dicebatur.

VIII. Pristinarum sub Carthagine Provinciarum ternarius constat numerus ex ipso Carthaginensi Concilio de baptizandis conversis hæreticis, cui Cyprianus præsedit: *Cum in unum* (inquit) *Carthagini convenissent calendis Septembris Episcop: plurimi ex Provincia Africana, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris, & Diaconibus*. Idemque Cyprianus epist. 45. ad Cornelium Papam: *Quoniam latius fusa est Provincia nostra, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes, idest Tingitanam, & Cæsariensem*: quas olim Galba Imperator in unam copulaverat provinciam, ut ex his liquet Taciti verbis lib. 2. hist. *Luceius Albinus a Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat*. Appianus Alexandrinus in proœmio librorum de civilibus bellis, tres recenset nec plures Africæ provincias, Mauritaniam, seu Maurusios: deinde Lybicorum nationem, quæ Carthaginem complectitur: postremo Nomadum regionem, seu ut Romani vocabant Numidiam. Scripsit autem Appianus sub Adriano Cæsare. Pomponius etiam Mela quatuor quidem Africæ partes dinumerat, Mauritaniam, Numidiam, Africam minorem, & Cyrenaicam. Cæterum quarta ista Ægypto contributa fuit.

IX. Magnus demum Constantinus sex Africanas recenset provincias in sua tractoria quam Ablavio scripsit epistola pro primo Arelatensi Concilio, quod Nicænum præcessit; sic enim illum compellat: *Ut mox has meas litteras acceperis, Cæcilianum supradictum* (Carthaginis Episcopum) *cum aliquibus ex his quos ipse delegerit, sed & de Byzarenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum provinciis, singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos: sed etiam aliquos, qui contra Cæcilianum eundem dissentiunt, data evectione publica &c.* His adjunge Sexti Rufi locum illum ipsius Breviarii ad Valentinianum Imperatorem: *Per omnem Africam sex provinciæ factæ, ipsa ubi Carthago est provincia Proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc est Sitifensis, & Cæsariensis*. Tametsi a Constantino distributæ fuissent sex memoratæ provinciæ

Ci-

Civiles, non tamen plures Ecclesiasticæ, quam quinque numerabantur, ut fidem facit Ferrandus Diaconus Carthaginensis in sua Canonum breviatione tit. 82. quia Mauritania Sitifensis non statim suum nacta est Primatem, sed posteriore id Concilio Carthaginensi obtinuit. Unde in Concilio quoque Carthaginensi sexto anni 419. fit singillatim mentio *Provinciæ proconsularis*, *Numidiarum duarum*, *Byzacenæ*, *Mauritaniæ Sitifensis*, *& Mauritaniæ Cæsariensis*, *sed & Tripolis*.

X. Circa hæc, istud præterea est sciendum, provinciæ quidem proconsularis Carthaginem extitisse Præfecti Africæ, simul & proprii Episcopi, atque Primatis Africanarum omnium Ecclesiarum perpetuam, fixamque Sedem: cæterarum autem provinciarum Africanarum Primates non fuisse alicui certæ Ecclesiæ affixos, sed eos solos Episcopos Primatum dignitate fulsisse in singulis provinciis, qui reliquos cujusque provinciæ Antistites ordinationis Episcopalis antiquitate præcedebant, ut admonet Leo Papa nonus epist. 4. ad Petrum, & Joannem, Episcopos. Cæterum Metropoles civiles erant Cirtha, alias Constantia, in provincia Numidiæ, Cæsarea in Mauritania Cæsariensi, Sitifi in Mauritania Sitifensi, Tingi ad fretum Herculeum in Mauritania Tingitana, Telepte in Byzacena, & Tripolis, seu Leptis major in provincia Tripolitana.

XI. Hoc etiam loco monendum cum Sexto Rufo in breviario, Mauritaniam Tingitanam regimini Hispaniarum Vicarii subjectam fuisse. Quæ causa est cur Siricius Papa epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, remota quæstione de civili regimine, solam perpendens Ecclesiasticam potestatem, Hispaniarum Episcopos intra quinque provincias restringit istas; I. Tarraconensem; II. Carthaginensem in qua sita est Carthago nova, quæ nunc Carthegena vocatur; III. Bœticam; IV. Lusitaniam; V. & Gallicianam. Quia scilicet Tingitana provincia civilis parebat quidem Hispaniarum Vicario, sed eadem Ecclesiastica proprium intra Africam agnoscebat Primatem. Est tamen non levis conjectura, Vandalos Africa subacta civilem quoque Tingitanam sibi vindicasse.

XII. Illyrici, partis ejus, quæ ad Occidentis spectabat Imperium, Metropolis fuit Sardica, urbs ejus Provinciæ præ reliquis celebris, & Concilio Oecumenico nobilitata, in quo trecenti & amplius Occiduarum Provinciarum Antistites, procurante religiosissimo Imperatore Constante, de Ariana impietate triumpharunt. In subscriptionibus Concilii Magni Nicæni apud Gelasium Cyzicenum ita subscriptum legimus: Protegenes Sardicæ civitatis. *Episcopus pro Sanctis Dei Ecclesiis quæ sunt in Dacia, Calauria, Dardania, & Provinciis vicinis*.

XIII. De Hispaniarum olim Metropoli Ecclesiastica quænam olim fuerit, supervacaneum est investigare. Ut enim observat Fernandus Mendosa lib. 1. de confirmando Concilio Illiberritano ad subscriptionem primam quæ est Felicis Accitani Episcopi, nulla erat Primatuum aut Archiepiscoporum vel Metropolitanorum denominatio certis Ecclesiis affixa, nisi sequioribus sæculis: sed quisquis in singulis Provinciis reperiebatur ordinatione antiquior Episcopus, tametsi minori præesset civitati, jura exercebat Metropolitani, idque tum ex ipso Concilio Illyberritano, tum aliunde facile convincitur. Simplicius Papa primus circa annum 470. epist. 1. ad Zenonem Hispalensem Episcopum, hunc ipsum in Hispanicis Ecclesiis Apostolicæ Sedis Vicarium creat. Deinde Hormisda epist. 26. Sallustium Hispalensem pariter Episcopum Vicarium suum super Provinciis Bœtica, & Lusitanica, cum plena potestate Concilia convocandi, declarat. Factum tandem est regnante in Hispaniis Hervigio anno Christi 681. ut Concilii Toletani duodecimi can. 6. Hispaniarum Ecclesiarum Primatia deinceps affixa sit Episcopo Toletano Provinciæ Carpetanæ Metropolitano, cum hac potestatis accessione, ut quem Reges (qui jampridem regiam sedem Toleti stabiliverant) Episcopum cujuscumque Provinciæ elegissent, sine mora consecraretur ab Episcopo Toletano, sub obligatione tamen sistendi se coram proprio Metropolitano intra tres a consecratione menses, ut refertur a Gratiano dist. 63. cum longe lateque &c.

XIV. Romæ vero summus præerat Præfectus, qui reliquis omnibus præminebat officiis, & dignitatibus urbis l. 3. c. de offic. præfecti urbis. Huic parebant subur-

suburbicæ quoque regiones, quotquot scilicet intra centesimum ab urbe lapidem protendebantur intra Tusciam, Picenum, & Campaniam l. 1. ff. eod. Huc respexit Septimus Severus Augustus, quando exauctoratos Prætorianos milites Romæ finibus usque ad centesimum lapidem sub capitis pœna jussit excedere, ut refert Herodianus lib. 2.

XV. Demum Justinianus pulsis ex Africa Vandalis, quintum cæteris adjecit præcedentibus præfectum prætorio, ejusque sedem Carthaginem (quam de se *Justinianam tertiam* dici voluit) constituit l. 1. c. de offic. Præfecti prætor. Africæ.

XVI. Nos superius Vicariam quidem Galliarum Treviris præfiximus. At vero sedem ipsius Galliarum Præfecti, cujus potestas Hispaniam quoque atque Britanniam insulam complectebatur, stabiliverat Constantinus Magnus in Arelatensi urbe, cui etiam de se *Constantinæ* nomen est impertitus. Prorsus enim errant nonnulli, qui hoc nomen cum aliis omnibus prærogativis mutuatum existimant a tyranno Constantino, qui contra Honorium rebellis hac se urbe communierat. Nequaquam enim post eundem profligatum, & extinctum tyrannum idem Honorius in suo ad Agricolam Galliarum Præfectum rescripto Arelatem vocaret Constantinam, ut eam vocat, si recens id nomen a tyranno invasore accepisset. Quo eodem rescripto declaratur fuisse insuper constitutam Arelate Præfecti sedem. Jubet enim Honorius veterem consuetudinem per tyrannos intermissam instaurari, ut quotannis in ea urbe conventus habeatur septem Galliæ Provinciarum *sub illustri.* (sic enim loquitur) *præsentia Præfecturæ*. Undenam vero consuetudo illa ortum habuit, nisi a Magno Constantino civitatis hujus studiosissimo, qui suum ei nomen indidit, quique totius Occidentis generale Concilium ibidem celebrari voluit in causa Donatistarum? Insuper illa Galliarum Præfecti sedes asseritur Arelate fixa his verbis Episcoporum olim Arelatensi Primati subditorum, ad Leonem Papam scribentium: *Hanc civitatem sublimissima Præfectura, hanc reliquæ potestates velut communem omnibus patriam semper inhabitant*. His alterum non minoris auctoritatis adjungo testimonium Gregorii Turonensis scribentis lib. 2. hist. Franc. cap. 7. quo tempore Hunnorum Rex Attila se obsidioni Aureliæ accingebat, ejus urbis Episcopum Anianum implorandarum suppetiarum causa ad Aetium Galliarum Præfectum se contulisse, Arelate commorantem. Denique res eadem astruitur antiquis inscriptionibus, quarum ista in civitate Arelatensi superest de Auxiliari Præfecto, cujus etiam fit mentio in Hilarii Arelatensis Episcopi vita, ab auctore temporis ejusdem conscripta, referente, Præfectum Auxiliarem sæpius privatis monitionibus ab Hilario correptum, non tamen emendatum, ab eodem tandem publice concionante fuisse præsentem in Ecclesia redargutum. Inscriptio illa vetusta hæc continet.

SALVIS D.D. N.N. THEODOSIO	*Dominis nostris*
ET VALENTINIANO P.F.V.	*Piis Felicibus Victoribus*
AC TRIUM. SEMPER AUG. XV.	*Triumphatoribus.*
COS. VIR INL. AUXILIARIS	*Vir inlustris.*
PRÆF. PRÆTO. GALL.	*Præfectus Prætorio Galliarum*
DE ARELATE MAMILLARIA PONI F. *fecit*	
M. P. I. *Miliare passuum unum.*	

Erat columna ista primus lapis milliarius proficiscentibus ex Arelatensi urbe. Hinc est quod sanctum Ecclesiæ Doctorem & Pontificem Ambrosium urbs Arelatensis sibi civem jure merito vindicare poterit, cum testetur in ejus vita Paulinus natum in Gallia, in ipsoque Prætorio educatum fuisse infantem, eique in cunis dormienti examen apum circumstetisse, dum pater infantis Præfectura Prætoriana in Gallis fungebatur.

XVII. Perperam vero Josephus Scaliger, & Vidus Savaro in suis ad Apollinarem commentariis, tres fuisse intra Galliam Vicarios imaginantur, cum diserte doceat liber notitiæ Imperii sex tantummodo fuisse

se in toto Occidente Vicarios. In Italiæ quidem Præfectura tres, totidemque alios in Galliarum Præfectura; unum quidem Vicarium intra Galliæ fines, secundum in Hispania, tertium in Britannica insula, sub uno omnes Galliarum Præfecto prætorio. Quam rem accuratius observarunt Pancirolus ejusdem notitiæ commentator, & Jacobus Sirmondus in suis ad Sidonium Apollinarem notis lib. 1. epist. 3.

XVIII. Qui Primates in Occidentalibus plagis nominantur, illi in Oriente a Græcis vocabantur. Ἔξαρχοι τῶν Διοικήσεων *Exarchi in Diœcesibus*, quorum meminit Synodus Calchedonensis duobus locis can. 9. & can. 17. Diœcesis enim vocabulo comprehendebantur plures Ecclesiasticæ provinciæ seu Metropoles. Singulæ vero Metropoles complectebantur plures Parœcias, seu inferiores Episcopatus, qui hodierno usu solent Diœceses vocitari. Zonaras scribens ad Calchedonensem can. 17. quatuor commemorat Exarchos Episcopos, Cæsareæ Cappadocum, Ephesi, Thessalonices, & Corinthi. Synodus secunda œcumenica can. 2. tres commemorat Diœceses Ecclesiasticas: Asiæ, cujus metropolis Ephesus: Thraciæ, cujus metropolis Heraclea: & Ponti cujus metropolis Cæsarea Cappadocum.

XIX. Quod vero attingit Occidentis Primatias, Romanus Episcopus Vicarios suos stabilire solebat, quosdam illustriorum sedium Episcopos, quibus potestatem, & jurisdictionem in vicinas provincias conferebat. Extat magni Leonis Pontificis epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cui jura Primatis in finitimas Metroples confirmat. Cæterum ut ad Latinas Ecclesias progrediar, Zosimus Papa epist. ad Episcopos Galliæ Patroclum suum constituit Vicarium in tribus finitimis provinciis, scilicet Viennensi, & duabus Narbonensibus. Deinde Vigilius Papa scribens ad Aurelianum Arelatensem Episcopum, hanc illi attribuit Primatiæ, seu (quod idem est) Vicariæ Apostolicæ auctoritatem; quæ legitur epistola in Actis Synodi œcumenicæ quintæ. Eandemque renovat potestatem sanctus Papa Gregorius in gratiam Virgilii Arelatensis lib. 4. epist. 51. & 52. vices suas ei committens per omnes Ecclesias, quas regnum Childeberti complectitur. Romanus quoque Pontifex Zacharias in sua ad Bonifacium Moguntinum Præsulem epistola, hunc ipsum per omnem Germaniam Primatem constituit. Similem indulget potestatem Hormisda Papa Remigio Rhemensium Antistiti per suam epist. 1. quacumque protenditur Clodovei regnum. Idemque Hormisda eamdem Sallustio Episcopo Hispalensi confert auctoritatem in Provinciarum Bœticæ atque Lusitaniæ Ecclesias universas.

P. JOHANNIS GARNERII
E SOCIETATE JESU
PRESBYTERI

De usu pallii

DISSERTATIO XLIII.

I. PAllii nomine, qua significatione hic sumitur, genus quoddam sacri vestimenti intelligitur, quo Patriarchæ amiciebantur quidem, cum ordinarentur; exuebantur vero, si deponi contingeret.

II. Cujusmodi fuerit in Ecclesia Orientali, non est hujus loci disserere: ad solam enim Occidentis Ecclesiam pertinet Liber, quem illustramus; nec hujus quoque loci est dicere, quis modus nostra ætate sit, quis ritus conferendi, & quis usus atque auctoritas; nemo siquidem id non potest facile discere ex Juris Pontificii interpretibus, ad titulum *de usu & auctoritate pallii*.

III. Ad sola igitur priora sæcula spectat hæc

hæc qualiſcumque eſt noſtra Diſſertatio, ſi tamen Diſſertatio eſt, & non potius compendioſa quædam obſervatio.

IV. Vox Pallii apud Latinitatis auctores veſtem illam longam ſignificat, quæ aliis indumentis ita imponitur, ut ſubinde aſſumatur, cum prodeundum in publicum; deponatur, quando quiſque domi apud ſe eſt.

V. In ſacris ornamentis vox illa ambiguam habet ſignificationem: ſumitur enim aliquando pro veſte ſacra, quæ ſuperinduitur, ut quod pluviale dicitur, quodque cappa & caſula; aliquando pro inſigni quodam dignitatis eximiæ, quod ipſi etiam cappæ caſulæque imponitur: atque idcirco pallii nomen ſortitur, quoniam vel pallio imponitur, ſicut pallium reliquis veſtibus, vel eſt pallii ornamentum quoddam & decus: fruſtra enim ſunt, qui ſuper ea nominatione anxie quærendo ſe cruciant.

VI. Poſtrema hac poteſtate nunc accipitur, atque ita ſignificat id ipſum proportione in Eccleſia, quod torquis in militaribus regiiſque Ordinibus, nimirum inſigne dignitatis cujuſdam præcellentis, & tæniam pallio ſacro circum additam.

VII. Quoniam vero nulla eſt in Eccleſia dignitas Patriarchali major, idcirco ornatus ille Patriarcharum proprius exſtitit, & illius præſertim, qui reliquis omnibus antecellit, quique jure divino præeſt, ideſt, ſummi Pontificis, ſive Epiſcopi Romani.

VIII. Cum autem in Eccleſia dignitati poteſtas reſpondeat, pallium de quo loquimur, una cum dignitate plenitudinem poteſtatis ſignificat, pro modo tamen perſonæ a qua geritur: nam in Summo Pontifice, in Eccleſiam univerſam; in aliis Patriarchis in ſingulas ſuas diœceſes, poteſtatem demonſtrat.

IX. Sicut in Orientali Eccleſia nullum deſignari poteſt tempus, quo geri a Patriarchis cœperit, ſic neque in Occidentali: quare perpetuus merito dici poteſt uſus in Summis Pontificibus cum ſacris operarentur, aut munia ſibi propria obirent: Fuit certe uſus ante annum 336. quo anno *Marcus* Papa Oſtienſi Epiſcopo permiſit pallium gerere, tunc cum electum a Clero Romano in ſummum Pontificem more majorum ordinaret.

X. Non recedit igitur procul a vero ſententia illorum, qui *Linum Petri* ſucceſſorem hujus ornamenti auctorem faciunt. Faciunt vero *Rupertus* Tuitienſis & *Auguſtinus* Patritius: ille in lib. 1. de Divinis Officiis cap. 27. iſte lib. 1. ſacrorum rituum, ſect. de pallio.

XI. Mirabile porro eſt quod ſcribit *Rupertus*, *Maternum*, qui ad Trevirenſem Eccleſiam fundandam a B. *Petro* Apoſtolo miſſus eſt, hereditatem pallii ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe: id enim ſi verum ſit, fateri oportet, S. *Petrum* uſum fuiſſe pallio, eoque *Maternum* donaſſe, atque adeo ab exordio naſcentis Eccleſiæ ſummos Pontifices & geſſiſſe & conceſſiſſe pallium. Verum ut ſine teſtimonio veterum auctor ille duodecimi dumtaxat ſæculi tam antiquam pallii conceſſionem facit, ita fidem vix obtinere valet, ſaltem apud homines non vehementer.

XII. Accepit a *Ruperto*, quæ ſcripſit, *Auguſtinus* Patritius, auctor librorum de ſacris Eccleſiæ Romanæ ritibus, quos qui tribuunt *Chriſtophoro Marcello* Corcyrenſi, videntur *Marcelli* præfationem ad *Leonem* X. inter legendum prætermiſiſſe; ſcribebat enim præfationem *Marcellus* anno 1516. ſedente *Leone* X. cui librum dicavit; compoſuit librum auctor anno 1473. aut 1474. ſedente *Siſto* IV. & regnante *Federico* ut manifeſte oſtendit.

XIII. Quemadmodum vero ſummi Pontifices poteſtatem ſuam aliquando Præſulibus inferiorum Eccleſiarum communicarunt, eoſque in provinciis remotis Vicarios ſuos crearunt, ita communicatæ poteſtatis inſigne contulerunt, quæ ipſa eſt conceſſio pallii: unde factum, ut priſtinis temporibus, quotieſcumque collarum eſt, facta ſit mentio conceſſæ auctoritatis illius, quæ per ſe Summo Pontifici convenit, nempe cogendi Synodos, exercendi de Epiſcopis rebuſque fidei judicia, facultatem Epiſcopis faciendi longius a ſua Eccleſia recedendi &c.

XIV. Quia porro vicaria poteſtas cum pallio tribuebatur a Summo Pontifice, jus æquitaſque exigebat, ut qui pallium accipiebant, obligarent viciſſim ſummo Pontifici peculiarem fidem. Verum quæ anguſtis

gustis vicarii muneris terminis obligatio fidei coercebat primum, latius postea extensa est.

XV. Primis temporibus, cum pallium per litteras a Pontificibus mitteretur, litteræ continebant, non tantum exhortationem ad vitam sanctius instituendam munusque pastorale digne vicaria potestate implendum, sed etiam aliquando mandata de extirpandis hæresibus zizaniisque in agro Ecclesiæ succrescentibus. Verum de peculiari obedientia subjectioneque nullus tunc erat sermo, fuit posteriore ætate, si non semper saltem ut plurimum. Id quod dixi de primis temporibus, constat ex epistolis *Symmachi Pelagiique* II. & S. *Gregorii*, atque etiam ex formulis Diurni.

XVI. Non diffiteor tamen, quin pallii sacrique illius torquis communicatio fuerit arctior quædam accipientis Episcopi cum dante summo Pontifice conjunctio; ita ut per Episcopum Pontifex videretur potestatem suam exercere in Provinciis longius remotis, & ubique Ecclesiæ adesse potestate, ut qui Orbem Christianum Vicarii Christi regendum suscepissent. Id *Pelagius* I. mittens *Sapaudo* Arelatensi pallium innuit: Vices enim tuas idcirco traditas significat more majorum, *ut stabilitas illius petræ sempiterna soliditas, supra quam Salvator Noster propriam fundavit Ecclesiam, a solis ortu usque ad occasum, primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se, quam per Vicarios suos, firmiter obtineret, &c. Sic participata sollicitudine Sanctam Dei universalem Ecclesiam nostri per Dei gratiam rexere majores*, &c.

XVII. Quoniam vero sexto septimoque Sæculo mittebatur pallium Episcopis, etiam extra Imperii ditionem positis, factum est, ut quo tempore Summi Pontifices pene servirent sub Exarchis Imperatoribusque, eoque suspicatiores forent Exarchi ac Imperatores, quod vix Romæ dominatum retinerent, adversus invadentes aliarum gentium Reges; factum, inquam, est ut Pontifices, cum Pallium mitterent, consensum Imperatoris expeterent, ne ea de causa oriretur suspicio affectati aliunde præsidii. Ita *Vigilius Justiniani*, ita *Gregorius* Magnus *Mauritii* consensum poposcit: gemebat enim sub *Theodoræ Justinianique* serviliter uxorii tyrannide *Vigilius*; & *Gregorius* Exarchi calumnias, convitiaque Imperatoris patiebatur. Neuter scilicet pro sua prudentia volebat animas hominum quærentium rixas tangere, vel levissima suspicione societatis initæ cum Regibus *Childeberto*, *Theodorico*, & *Theodeberto*: neuter enim ignorabat, quæ calumnia simili specie *Silverio* structa esset, quamque dira inde summus Pontifex pertulisset.

XVIII. Ex his conficiuntur duo: alterum nec esse opus laboriose quærere generalem aliquam & quæ ad omnes Pontifices pertineat, causam consensus Imperatorum qui a Pontificibus dumtaxat duobus expetitus scitur: neque rationi consentaneum esse causam illam, etsi generali quadam opus esset, inde afferre, quod pallium ornatus Imperialis foret, qui ut esset summis Pontificibus ab Imperatoribus concessus, ita communicari non posset aliis sine Imperatorum venia: nam Imperialium hæc vestium concessio, unde facta Orientalibus Patriarchis habetur, unde Romanis, nisi forte ex conclamata illa donatione *Constantini* facta *Sylvestro*?

XIX. Alterum, speciem veri non habere, quod nuperus quidam scriptor commentus est, de causa expetitæ ab Imperatoribus potestatis, ut Gallicanis Præsulibus pallii usus tribueretur, non item Hispanis. Temporibus, inquit, *Vigilii* & *Gregorii* Magni, Galliæ Constantinopolitani Imperatoris, aut dominio adhuc aliquatenus subjacebant, aut certe auctoritatem agnoscebant, Hispania vero iam omnino Romani Imperii jugum excusserat: quare *Gregorius* Magnus, ait, cum *Leandro* Hispalensi pallium mitteret, consensus ab Imperatore obtenti non meminit: meminit vero, cum Siagrio Augustodunensi.

XX. Tota hæc commentatio vanitate sua corruit. Unde enim novit ille non postulatam fuisse a *Mauritio* potestatem, cum *Gregorius Leandro* pallium mitteret? An quia silent literæ, factum non est? silent & literæ quibus pallium mittit, aut *Pelagius Sapaudo* Arelatensi, aut S. *Gregorius Virgilio* pariter Arelatensi: an inde fit consequens, ut nec ille, nec iste petierit ab Imperatore consensionem? si fit consequens, ruit ratiocinium hominis, cum quo

quo res, qua spectat Galliarum Episcopos. Si non fit consequens; ruit pariter, qua Hispanos attinet. Dicere vero quod venit in mentem viro doctissimo, postularam non fuisse a *Pelagio* consensionem Imperatoris cum *Sapaudo* pallium concederet, quia jam consuetudo concedendi obtinuerat; non valet admodum, ut respondeatur Hispanorum Patrono. Si enim valeret, nihil erat causæ, cur hæc eadem consensio peteretur, cum *Vigilius Auxiano*, Aurelianoque pallium daret: antea enim Arelatensi *Cæsario Symmachus* dederat. Verum inde opinio nostra stabilitur. *Pelagius* enim consensionem *Justiniani* non postulavit, quia ipsi cum *Justiniano* bene erat; postulavit *Vigilius*, quia male.

XXI. De personis, quibus conferebatur pallium, pristinis illis temporibus, in quibus versamur, non una est constansque omnium sententia. Sunt qui opinentur, lege quasi communi, Metropolitis datum, inferioribus aliis tantum privilegio. Sunt qui contra existiment, promiscue tributum omnibus, prout unicuique Summo Pontifici visum, hoc tamen discrimine, quod Metropolitis solis cum potestate vicibus sedis Apostolicæ fungendi; inferioribus cum quibusdam privilegiis ad ornatum nempe atque honorificam præsidentiam, aliaque ejusmodi.

XXII. Primi opinionem suam usu & ratione confirmant: vices enim Sedis Apostolicæ solis Metropolitis concessæ reperiuntur, idque factum convenienter, ut nempe & auctoritas summa minus quasi descenderet, & qui parere deberent Sedis Apostolicæ Vicariis, minus ægre id præstarent, non insolentes obedientiæ Metropolitis exhibendæ.

XXIII. Secundi utuntur iisdem argumentis usu nempe & ratione: nam ipsis etiam diaconis Presbyterisque auctoritas Sedis Apostolicæ credita est, & in negotiis quidem gravissimis. Certe *Paulum* Patriarcham Alexandrinum *Pelagius Vigilii* Diaconus de throno dejecit, & *Philippus* Presbyter in Ephesina Synodo *Cælestini* locum tenuit. Neque vero id mirum; siquidem beneficiorum hæc est conditio, ut a Principe pro arbitrio, quibus placitum, tribuantur.

XXIV. Postremi pro se afferunt, 1. Quod Episcopis inferioribus, quibus concessum legitur pallium, ut *Maximo* Ostiensi a *Marco* ann. *336*. *Siagrio* Augustodunensi a S. *Gregorio* ann. 599. & *Aigilberto* Cenomanensi a *Joanne* V. ann. 685. aliisque ut Papiensi, Lucensi, Bambergensi &c. vicaria Sedis Apostolicæ potestas tributa non reperitur, sed privilegia dumtaxat minora. 2. Quod nullus Metropolita reperiatur donatus pallio, sine vicariatu sedis Apostolicæ. Ita vulgo illi.

XXV. Ego vero sic existimo, nullis unquam de Clero pallium concessum esse nisi Episcopis, etsi aliquando Presbyteris imo & Diaconis Sedis Apostolicæ vices mandatæ sint: neque enim in veteribus monumentis ullum legitur contrarii facti exemplum; leguntur tamen passim vices Apostolicæ sedis tributæ & Presbyteris, ut præessent Synodis etiam generalibus; sic *Philippus* Presbyter in Concilio Ephesino locum tenuit Sedis Apostolicæ; & Diaconis, vel ad summæ auctoritatis actum; sic *Pelagius* nomine *Vigilii* Papæ deposuit, adjunctis sibi Patriarchis duobus, *Paulum* Alexandrinum Antistitem. Hujus autem rei causa vix afferri potest ulla, præter Pontificum voluntatem: nam si dicatur incongruum esse, quod Presbyter Episcopis atque etiam Metropolitis præsit, cum auctoritate illa plena, cujus insigne est pallium, excipietur statim, & præsidentia Presbyterorum, a Papa missorum ad Concilia, & Diaconi Pelagii judicium de Patriacha *Paulo*, & Abbatis in Anglia jus ordinarium in Episcopos. Quod si rursus causetur aliquis, pallii nomine intelligi extremam oram pallii, quo Pontifex in sacris faciendis uteretur, atque adeo non decere Presbyterum, sed solum quasi regem sacrorum, responderi potest, non aliam esse nunc, fuisseque olim sacra facientis Pontificis, aliam Presbyteri vestem, de qua possit esse hic quæstio, atque ita pallium cujus est inter Missarum solemnia, vel unicus vel frequentior usus, non minus Presbytero, quam Episcopo convenire, si hujus unius convenientiæ ratio habeatur. Quod si urgeatur, alias esse præter Missam, functiones, inter quas obeundas pallio Episcopus utatur, ut ordinare &c. id ego fatebor lubens: sed quemadmodum ordinant Episcopi sine pallio, quidni Presbyteri

teri pallium gerant sine Ordinatione, &c.

XXVI. Existimo pariter, imo certus sum non solum Metropolitis concessum esse sed inferioribus etiam Episcopis. Id constat exemplis pluribus antea relatis, quibus adde factum *Joannis* VIII. pallium mittentis *Valloni* Metensi Episcopo, quod jam praecessores quatuor nequicquam reclamantibus Metropolitis, obtinuerant. Mos iste non ita obsolevit, quin nostris temporibus, cum Rex Christianissimus *Ludovicus* XIII. instaret summo Pontifici, ut Ecclesiam Parisiensem, propter dignitatem civitatis, quae Imperii caput, in Archiepiscopatum erigeret, difficultatem sentiens Pontifex ob Senonensis Metropolitae contradictionem, pallium obtulerit Parisiensi Episcopo, ne Regis videretur animum repulsa laedere. Deinde nuper Augustodunensi ab *Innocentio* XI. nunc sedente concessum est.

XXVII. Ex eo quod sancto *Odiloni* Cluniacensi Abbati missum a *Benedicto* IX. pallium, ex *Glabro* refert *Hallerius* de sacris Ordinibus, pag. 237. posset quispiam opinari, non solis Praesulibus hoc dignitatis insigne collatum fuisse: sed id facerer, repugnante ipso *Glabro*. Nam missum quidem est *Odiloni* pallium cum annulo, non quo tamen uteretur Abbas, sed quod gereret factus Antistes Ecclesiae Lugdunensis, quam regere jubebatur a Pontifice. Audiendus *Glaber*, qui postquam recensuit dissensiones de electione Episcopi, *Burchardo* in Sedem Lugdunensem successuri, relationemque Pontifici de dissensionibus factam, ita pergit: *Pontifex protinus mittens eidem Patri pallium simul & annulum, imperavit eumdem praedictae civitatis fore Archiepiscopum; sed vir religiosus suae humilitatis attendens propositum, omnimodis retinuit fieri, pallium & annulum suscipiens illi, qui Deo dignus exstiteret, reservavit futuro Pontifici ejusdem sedis.*

XXVIII. Fateor ut plurimum Metropolitis concessum, cum vicaria Sedis Apostolicae potestate: sic Arelatensibus *Vigilius*, *Pelagius*, *Gregoriusque* pallium concesserunt. Verum ex Epistolis Pontificum pallia mittentium intelligere oportet quid privilegii tribueretur. *Symmachus Theodoro* Laureacensi; *Paschalis Bernardo* Viennensi, cum pallio vices Apostolicae Sedis non demandarunt, *Theodorus* tamen & *Bernardus* Metropolitae erant. E converso Metropolitis aliquando vices Apostolicae Sedis demandatas sine pallio intelligimus ex epistola *Hormisdae* Papae ad S. *Remigium* Rhemensem Antistitem data ann. 514.

XXIX. Par est credere, prioribus temporibus datum esse solis Occidentalibus a pontifice: nullum enim reperitur exemplum dati Orientalibus, ante constitutos in Oriente Patriarchas Latinos; nam quod de sancto *Cyrillo* narrant, *Balsamon* & *Photius*, eum accepisse a S. Caelestino cum vicaria potestate exercendi in Ephesina Synodo judicii de *Nestorio*, *Phrygium*, quod interpretatur pallium, infirmo fundamento innititur: siquidem nullum de potestate praesidendi Concilio demandata exstat in literis *S. Caelestini* actisque Concilii verbum, nullum & de pallio: imo creditur a nonnullis haec fabula a Constantinopolitanis, tunc cum ab Ecclesia Latina se abstraxissent, eo consilio conficta, ut Alexandrinorum dignitatem deprimerent, velut a Romanis profectam, aut certe antiquam.

XXX. In veterum monumentis nullum saltem reperitur vestigium dati Africanis ullis, quamdiu Africana Ecclesia retinuit aliquid pristini splendoris; imo datum omnino non fuisse, ratio convincit: nam cum pallio tribuebatur *Archiepiscopi* nomen, a quo ita abhorrebat Africana Ecclesia, ut in Concilio anni 397. sanciverit, *ne primae sedis Episcopus appelletur princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid ejusmodi* (id est Archiepiscopus) *sed tantum primae sedis Episcopus.*

XXXI. Quandoquidem dictum illud *Gregorii*, *rationis ordo nos admonet, ut cum usu pallii aliqua largiri privilegia debeamus*, non pertinet ad eos Metropolitas, quibus vices sedis Apostolicae committerentur, sed ad inferiores etiam Episcopos, qui pallio donarentur; de privilegiis ejusmodi nonnihil disquirendum. Fuerunt illa vero aliquando Ecclesiae ipsi concessa, aliquando soli personae: diuturna fuerunt illa, haec ad tempus. *Siagrio* Augustodunensi a *Gregorio* Magno concessa

est vocandi ad Synodum omnes Episcopos sub ditione *Theodorici* & *Theodoberti* positos auctoritas, fuit hoc personale privilegium: concessa quoque inter Episcopos Lugdunensis primæ prima post Primatem sedes; id sibi collatum Ecclesia Augustodunensis retinuit, etiam sine pallio.

XXXII. Sunt qui putent, tributum istis quoque inferioribus Episcopis nomen Archiepiscopi, & ad id probandum afferunt exemplum, tum *Aigilberti* Cenomanensis, qui Archiepiscopus dictus legitur in diplomate *Theodorici* Regis; tum *Chrodegangi* Metensis, atque etiam *Angilrani* pariter Metensis; imo & *Theodulphi* Aurelianensis, qui propter acceptum pallium Archiepiscoporum nomen sibi arrogarent, quamvis Episcopi essent Metropolitis obnoxii: qua enim alia de causa, inquiunt, tantum nomen accepissent, nisi quia propter acceptum a Summo Pontifice pallium præcellere videbantur?

XXXIII. Verum ad hæc exempla observo. Primum, solis Gallis nomen Archiepiscopi tributum legi, non aliis cujuscumque alterius gentis Præsulibus, etsi plures pallio insigniti sint. Deinde, non omnibus Gallis tributum, quis enim id de *Siagrio* Augustodunensi legerit? Quis de Parisiensi? Tertio, quatuor illos qui dicuntur Archiepiscopi nomen gessisse, fuisse viros, aut nobilitate generis, aut Principum gratia pollentes, aut Archicapellanorum aulæ dignitate præstantes, quibus idcirco adulatio præcellentiæ nomen tribueret. Quarto, nullam in literis Pontificum mittentium Episcopis pallia mentionem fieri *Archiepiscopi* nominis, cum tamen aliquando fiat expressa, cum ad Metropolitas scribitur: quare si qui hoc nomen gesserunt, id arrogasse sibi, non accepisse fasles gratia, non dignitatis prærogativa. Quinto, exempla hujusmodi quatuor, si unum *Angirlanni* forte excipias, desumi ex chartis minus notis, quæ tamen procul dubio non sunt, ut quod insolentissimum est, probare valeant. Quidni enim, (ut in uno *Aigilberti* Cenomanensis exemplo hæream.) Quidni, inquam, error irrepsit in *Theodorici* Regis diploma, amanuensis vel imperitia, vel amica erga Regis amicum adulatione? Quidni Archiepiscopus dictus est, quia primum post Metropolitam inter Lugdunensis tertiæ Episcopos locum tenet? ἀρχή enim, unde ἀρχιεπίσκοπος vocatur, & principium & auctoritatem significat? Quidni per hyperbolem, non insolentem in communi sermone, nominatus sit Archiepiscopus, qua inter Episcopos eximius & sanctitate morum, & religionis studio, & scientiæ sapientiæque laude, & nobilitate generis, qua forsan de causa in alio Instrumento appellatus est princeps Episcoporum?

XXXIV. Quod si hæc probabilia sint, ut certe sunt, & eo quidem magis, quod faciunt contra inauditum quoddam facinus, & incredibilem appellationem, ruit tota de pallio *Aigilberti* conjectura, quippe non alio, quam nominis fundamento innixa.

XXXV. Accedat, quod, quæ prærogativa conjicitur *Aigilberto* esse concessa cum pallio, ut primus inter Episcopos Lugdunensis tertiæ post Metropolitam, aut re ipsa sederet, aut certe censeretur, longe ante *Aigilberti* ætatem Cenomanensi civitati conveniebat: siquidem in notitia Provinciarum & civitatum Galliæ, quæ tomo primo Conciliorum Galliæ præponitur, quæque eruditissimo *Sirmondo* visa est ad tempora *Honorii* Imperatoris pertinere, atque ita *Aigilberti* ordinationem sæculis pene tribus præcessisse, in recensione Provinciæ Lugdunensis tertiæ post Turonensem civitatem Cenomanensis numeratur. Idem dicendum de Civitate Metensi, quæ post Metropolim Trevirorum prima censetur in eadem notitia: quamquam notitia hæc, sicut est civilibus rebus accommodata, ita in Ecclesiasticis non facit certam fidem: neque enim consequens est, ut si quem certum civitas in ordine politico locum tenet, eumdem in Ecclesiastico retineat; alioquin quod *Siagrio* Augustodunensi conferre se dicit S. *Gregorius*, ut primam in Lugdunensi prima post Metropolitam obtineret sedem, privilegium non esset; quandoquidem Æduorum civitas in memorata notitia post Lugdunensem continuo ponitur.

XXXVI. Aliud privilegium pallii nonnulli afferunt; istud nempe, quod qui donatus esset, a sola sede Apostolica judicari pos-

posset. Sed quid illi facient *Theodulpho* Aurelianensi, qui pallium dicitur, & *Stephano* accepisse, vocatus tamen in suspicione conspirationis adversus *Ludovicum* Pium, ab Episcopis depositus est, & in Monasterium detrusus? Conqueritur ille quidem, se ab alienis judicibus damnatum.

Solius, inquit, *illud opus Romani*
Praesulis extat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu.

Verum Episcoporum facto ostenditur privilegium hujusmodi, si quod fuit, non receptum usu in Galliis. Deinde quomodo, si res ita se habeat, concessione pallii facta inferioribus Episcopis, violatum non esset jus Metropolitarum, quod salvum Pontifex expressis verbis esse vult? Denique si quod occurrat privilegii hujusce exemplum, non pertinet illud ad tempora, in quibus versamur, sed ad posteriora, quibus commune jus privatis beneficiis arctatum est.

XXXVII. Ex his concludo, non apertissime constare quae privilegia fuerint inferioribus Episcopis cum pallio tributa. Quare non improbabilem videri eorum opinionem, qui senserunt, hoc insigni plenitudinis potestatis donatos a summo Pontifice aliquos in provinciis, ut essent velut oculi, & manus, quibus res procul remotas videret & tractaret, atque ita peculiari sacramento obligatos pro concessae auctoritatis modo, vocaret in partes summi regiminis, juberetque de causis nascentibus ad sedem Apostolicam referre, & si quando foret opus, mandata sua exequi. Huic opinioni favet non *Pelagii* tantum testimonium jam allatum, sed tota S. *Gregorii* ad *Syagrium* epistola, si paulo attentius perlegatur.

XXXVIII. Quam obscurum est quod modo diximus, tam & illud forsan dubitabile, in quo positae essent vices illae sedis Apostolicae, quae Metropolitis feruntur concessae: nam *Gregorius* Magnus eas ad tria capita revocat; ad Causas Episcoporum, imo & fidei, judicandas; ad cogendas Synodos; & ad dandas Episcopis longius abituris formatas. Atqui haec proprio jure ad Metropolitas pertinent: nam ex praescripto Concilii Nicaeni bis in anno evocare debent Episcopos ad Synodum, in qua communi consilio de Episcopis judicia exerceantur, & causae fidei si quae oriantur haereses, agitentur. Debent & Episcopis formatas dare: Id Africanorum Gallorumque exemplo constat, id veterum testimonio firmatur, huic nemo contradicit. Quid ergo singulare tributum cum pallio? Difficultatem auget quod additur, *Metropolitanorum jure servato*: si enim servetur, quid reliquum est de tribus a *Gregorio* Magno memoratis?

XXXIX. Dicendum puto, proprio quidem jure Metropolitas potuisse tria haec exercere, sed in suos dumtaxat provinciales; potuisse vero in alios, etiam Metropolitas auctoritate sedis Apostolicae, cujus potestas amplissima est; idcirco *Vigilius* in omnes *Childeberti* Regis ditionis Episcopos *Auxiano* Arelatensi potestatem contulit. Servatum porro est Metropolitarum jus in eo, quod & in suis provinciis libere sua illi munia obirent, & inferioribus Episcopis non daretur licentia superiorum mandata spernendi.

XL. Cum summi Pontifices soliti sint Episcopos, quos pallio donabant, sedulo monere, ut eo inter sola Missarum solemnia utantur; imo *Gregorius* Magnus Ravennatem Episcopum in litaniis gerentem graviter redarguat, quanquam postea fatigatus importunis precibus id indulsit, quaeri non immerito potest, quae fuerit tam expressi tamque instantis moniti causa. An dignitas pallii, ne usu vilesceret? An praerogativa summi Pontificis quotidie utentis, ut a reliquis Episcopis distaret? An quod casulae sacrae, quae inter Missas solum induitur, sit proprius ornatus? An quod probabilius, omnes hae causae concurrunt? Inde vero fit consequens, ut pretiosae vesti, cujusmodi sacra casula, pretiosus olim ornatus adderetur, non item lanea taenia; & vile quoddam additamentum.

XLI. Neque objici potest, quod posterioribus temporibus eadem admonitio perseveravit, etsi laneum coeperit esse pallium: nam vel mos antiquus admonendi retentus est, quia retentae pariter mittendi pallii veteris formulae; vel deficiente tertia ratione, aliae priores duae visae sunt adhuc suum habere momentum.

XLII.

XLII. Ex dictis nonnulla potest oriri historica quæstio de materia pallii. Fuitne semper, quæ nunc est, an pretiosior quondam alia? Orientale laneum fuisse quinto sæculo testatur *Isidorus* Pelusiota Epist. 136. lib. 5. nec videtur dubium, quin semper fuerit. Laneum quoque nunc esse in Occidente constat, quanquam crucibus sericis rubris distinguitur; imo quibus ex lanis fiat, quoque ritu, tradit *Augustinus* Patritius in libro rituum Ecclesiasticorum.

XLIII. Sed quæritur an ex altera quondam materie confectum sit? Quæstioni locum facit *Joannes* Diaconus, cum scribit lib. 4. Vitæ *S. Gregorii*, bysso candente contextum fuisse pallium, quod *Gregorius* Magnus gessit, quodque adhuc anno 875. quo tempore *Joannes* florebat, in Sepulcro Sancti Pontificis cernebatur. Sive autem byssum interpretaris tenue linum, ut melioris Latinitatis Auctores; sive sericum filum, ut Ecclesiastici tractatores sequioris ævi, laneum certe non fuit: unde fit consequens, ut neque prioribus temporibus laneum fuerit, siquidem merito credi possit, tantum virum tamque novitati infensum, noluisse a decessorum usu discedere, presertim in re adeo patente oculisque omnium exposita.

XLIV. Qui de pallio Archiepiscopali non ita pridem opus edidit vir eruditus & diligens, prævidit hoc argumentum, duoque excepit, ut suam de lanea materie sententiam tueretur. Alterum, deceptum fuisse *Joannem* Diaconum, cum pallium *S. Gregorii* inspiceret linumque credidisse, quod reipsa fuit lana: deceptionis causam præbuisse obscurum utriusque materiæ, præsertim vetustam ætatem passæ discrimen. Alterum, si deceptus non fuit Diaconus, ut certe vix potuit infinita multitudine idem cernente, si pallium revera lineum fuit, fecisse propter modestiam *Gregorium* contra majorum morem. Utrumque ex *Joannis* Diaconi verbis confici posse opinatur: & primum quidem, ex eo quod ille bysso candente contextum pallium dicat; byssus autem non candeant, *sed flavescat potius, cum sit lini pars*, ut quidem ipsi videtur, *grossior*; secundum vero ex eo quod Diaconus dicat, *ex pallii materia mediocritatem habitus a viro sancto gestati repræsentari*.

XLV. Ut ego simpliciter & nude aperiam, quod sentio. Primum, non intelligo satis, quomodo lineum pallium eo usque sit laneo vilius, ut eius usu *vir antiquitatis*, ut loquitur *Joannes*, voluerit modestiæ causa a decessorum more discedere: nam byssus longe pretiosior est lana, ut conficitur ex illo Proverbiorum loco, ubi mulier fortis laudatur, quod *strangulatam vestem fecerit sibi*, quodque *byssus & purpura foret vestimentum ejus*. *Mulier illa*, opinor, *cujus vir nobilis in portis sederet cum Senatoribus terræ*, id est rempublicam administraret, a rusticana non valde distaret, si parte lini grossiore uteretur.

Deinde vero videtur mihi *Joannes*, cum de pallio sancti Pontificis loquitur, nihil laudare præter antiquitatem viri; mediocritatem vero, cujus meminit, ad tæniam referre, ex qua dependebat argentea reliquiarum custos: cum enim scripsisset, *veneratione gratissima celebrari tria, quæ pernoctantes in anniversaria festi die oscularentur, pallium phylacteriam, & balteum*; mox subjunxit: *Quæ singillatim considerata & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus, & speciem regularis propositi signis perpetuis repræsentant: nam in eo quod ejus pallium bysso candente contextum nullis cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obvolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicut vetustissimis musivis vel picturis ostenditur. Quod autem phylacteria tenui argento fabricata, viliqne pallio de collo suspensa fuisse videatur, habitus ejus mediocritas demonstratur. Porro in exilitate baltei, quæ unius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis olim a sancto* Benedicto *statuti eum servasse, luce clarius manifestat.*

Adde, quod, nisi fallor, ex Diaconi verbis, contra id quod eruditus vir asserit, non obscure concluditur, *Gregorium* in usu pallii, quod byssinum foret, non recessisse a majorum consuetudine: docet enim ille quinque de pallio; quod ex bysso candente contextum foret; quod nullis acubus perforatum; quod circa scapulas obvolutum; quod idem in musivis operibus antiquissimis picturisque ostenderetur; quod hæc antiquitatem viri, id est, mea sententia, studium antiquitatis retinendæ, quo tenebatur vir Sanctus, repræsentarent. Materies

ries igitur pallii modusque utendi antiquitatem implebat; atque ita tantum abest, ut Gregorius priscos suos decessores in musivis operibus depictos deleverit, ut studiose potius eos imitatus sit.

Denique, si Gregorius, in eo fit antiquitatem secutus, quod pallium bysso candente contextum gesserit, confitendum est, veterum pallia bysso pariter candente contexta fuisse; ipsaque adeo, si byssi nomine intelligatur linum tenuissimum, ut habent omnes dictionum interpretes, linea exstitisse, non lanea. Quod si eo quis nomine significatum velit, non quodlibet linum, sed byssinum illud, cujus meminit *Plinius* lib. 19. historiæ, pretiosa fuisse veterum pallia necesse est, siquidem *quaternis denariis scripula ejus permutata ut auri*, *Plinius* tradit. Et vero decuit esse pretiosum id ornamentum, quod imponeretur pretiosis vestibus, quibus summi Pontifices inter sacra facienda uterentur.

XLVI. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, apparet non temere quæri, quæ primis temporibus fuerit materies palliorum, quibus summi Pontifices utebantur; An lana, quæ humilitatem pastoris? an pretiosius quiddam, quod dignitatem sacrificantis deceret?

XLVII. In neutram partem solvi posse videtur quæstio, nisi quatuor argumentis, si commune præjudicium excipias, veterum nempe scriptorum testimonio, traditione, sive usu, consensione utriusque Ecclesiæ, & ratione petita ex mystica lanæ significatione.

XLVIII. Verum auctores Latini *Joanne* Diacono majores, nihil ea de re, quod sciam, litteris tradiderunt: quare nullum ab auctoritate, puto, argumentum peti potest, unde fiat pro Ecclesia Latina in alterutram partem præjudicium.

XLIX. Nihilo plus valet, quod Græci habent aut potius Græcorum usus *Isidorus* Pelusiota, de pallio Orientalis Ecclesiæ Præsulum: pro Latinis enim, de quibus agimus, non facit ut postea ostendetur.

L. Neque videtur etiam ab usu hodierno idonea ratio desumi, quasi id semper usurpatum dici debeat, quod nunc in usu est, & jamdudum fuit, & quo tempore esse cœperit, demonstrari non potest; nam locus Joannis Diaconi non temere creditur pugnare in contrarium, & satis probare, ante sextum sæculum non obtinuisse morem, qui nunc viget.

LI. Neque argumentum a ratione petitum satis habet momenti, ut historicæ quæstioni solvendæ sufficiat. Nam quod affertur de pallii lanei mystica significatione, perinde ac si repræsentet pellem ovis deperditæ, quam bonus pastor repertam, cum erraret, humerisque impositam reportat in ovile, neque ad rem nostram est, neque gravis per se momenti: mysticæ enim illius significationis auctor Isidorus, primum de Orientalium pallio loquitur, cum sit quæstio de Latino. Deinde ea dicit, quæ in alium sensum non violenter trahi queunt. Denique rationes mysticas tam varias varii excogitarunt, ut nemo non possit aliqua pro se uti.

LII. Sed quoniam Isidori testimonium magni fit a recentioribus, imo unicum fere est vulgaris præjudicii præsidium, illud paulo accuratius ad examen revocandum est; imo tota epistola CXXXVI. describenda.

Herminio Comiti.

Quantum inexplebili discendi cupiditate flagras, tantum ego ad ea, quæ quæris, explicanda promptus ac proclivis sum; dummodo Deus precibus commotus, inventionem mihi cælitus concedat.

Linteum illud, cum quo Diaconi in sacris mysteriis munus suum obeunt, humilitatem Domini, qui Discipulorum pedes lavit, & extersit, nobis in memoriam redigit.

Id autem amiculum, quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino, contextum est; ovis illius quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Ac diligenter animum attende: nam cum ipse verus pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus assurgit atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum

ipsum

ipsum pastoralis artis ducem, ac Deum liberum adesse significant.

LIII. Observandum primo, totum in eo esse Isidorum, ut rerum sacrarum mysticas significationes exponat, quo argumento nullum est vanitati conjecturarum opportunius. Deinde, Isidorum ab Hermino Comite rogatum, quid mysterii significaret, vel linteum, quod Diaconi, vel superhumerale, quod Episcopi, in sacris mysteriis ferrent; de linteo Diaconorum id respondisse, quod vix probetur a rerum sacrarum disquisitoribus: ait enim, eo revocari in memoriam humilitatem Christi, discipulorum pedes lavantis & tergentis. At rerum ejusmodi interpretes aliter sentiunt, iique probabilius qui simplicius, scilicet ministrantium mensæ vulgare id signum esse. Denique nihilo probabilius esse, quod de superhumerali Episcoporum commentantur, si tamen superhumeralis nomine intelligatur id, quod in hac quæstione pallium vocatur.

LIV. Hæc cum ita sint, non video qua ratione possit perpetuus ille lanei pallii usus in Ecclesia Latina defendi: nolim tamen opinionem, quæ longinqua decem sæculorum ætate, & non modici auctorum multitudine confirmatur, non modo non convellere, sed ne labefactare quidem. Quominus enim in partes Joannis Diaconi plane concedam, retinent me adhuc aliquantulum tria; usus a sæculis decem continuus; difficultas ostendendi, quo tempore cæperit; & qua de causa; multitudo etasque Auctorum pro lanea materie consentientium.

LV. Quamquam trium ejusmodi argumentorum vim infringi posse video: nam multitudo Auctorum non vehementer urget, cum universi qui laudari solent, scripserint, quid usurparetur suis temporibus, non quid pristinis. Qui enim res Liturgicas attigerunt, partim veteres sunt, partim recentiores. Illi totos se dederunt mysteriis excogitandis & pandendis, hi veteribus adhæserunt, sine ullo curiosiore examine.

Deinde usum lanei pallii incœpisse circiter initia noni sæculi, ex Joanne Diacono non obscure quis conjiciat: videtur enim fecisse byssini pallii Gregoriani mentionem, & simul antiquitatem viri laudasse; quo tacite novitatem suis æqualibus objiceret; qua enim alia de causa utrumque præstitisset?

Jam quod ex tempore mutationis remanserit perpetuus lanæ usus, id ego tribuendum puto ceremoniis, quibus, propter analogiam nominis, anniversaria celebritate bona gens noni sæculi Virgini Agneti offerre cœpit agnos; quorum ex lana conficerentur pallia; nihil enim constantius, quam quod solemnibus ejusmodi ceremoniis addicitur.

LVI. Ut hunc fere in modum quæ dixi tria, infirmari possint, sustineo tamen judicium, contentus proposuisse eruditis quæstionem cum suis momentis: ferant illi sententiam, quam rationi convenientiorem putarint, sed post attentius perpensa duo.

LVII. Alterum Gregorium Magnum lanæ nunquam meminisse, cum de pallio scriberet ad eos, quibus mittebat: meminisset tamen absque dubio si per veritatem licuisset. Ut enim erat allegoriarum incredibiliter amans, ex materia pallii sumpsisset argumentum prædicandæ humilitatis, ad quam tantopere pallio donatos hortabatur: non sumpsit tamen, cum opportunissimum foret, & tunc maxime cum Maximo Salonitano pallium mitteret. *Pallium ad sacra Missarum solemnia utendum ex more transmisimus, cujus vos voluntur pro omnia genium vendicare: hujus enim indumenti honor humilitatis atque justitiæ &c.*

LVIII. Alterum pallium dici *plenitudinem & complementum potestatis, plenissimæ potestatis signum, insigne decoris, & si credimus nonnullis, Imperialis pallii a Constantino Imperatore dati Sylvestro ornamentum & insita.* Quis vero credat hæc laneæ tæniæ convenire?

LIX. Antequam imponatur finis huic Dissertationi, solvenda quæstio, cujus occasionem præbet Gregorius Magnus, præscribens Mariniano Ravennati, quomodo deberet uti pallio, siquidem secundum editionem postremam Conciliorum hæc habet: *Quo non aliter te uti memineris, nisi in propria tua civitatis, dimissis jam filiis, Ecclesia, procedens a salutatorio ad sacra missarum solemnia celebranda; peractis vero Missis, idem in salutatorio rursum curabis deponere.*

LX.

LX. Priusquam proponatur quæstio, emendanda est vocum dispositio, quæ perturbata est; quid enim sibi vult ista phrasis, *dimissis jam filiis Ecclesia*, &c. Sunt qui legant, *nisi in propria tua civitate*, *dimissis jam filiis Ecclesiæ*, &c. Hæc etiam lectio vitiosa est: non cohæret enim cum sequentibus, siquidem salutatorium, cujus mentio fit, non civitatis, sed Ecclesiæ pars est. Restituere licet ex lib. IV. Vitæ Gregorii cap. 5. ubi totam Gregorii ad Marinianum epistolam Joannes Diaconus refert, legitque, *nisi in propria tuæ civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis, procedens* &c.

LXI. Quæritur, qui sint illi filii, quibus dimissis procedit a salutatorio ad altare palliatus Episcopus. Vir eruditus opinatur fuisse laicos qui honoris causa salutatum venirent Episcopum, unde & loco factum salutatorii nomen, quorum in conspectu pallium Episcopus velabatur sumere, sed cum ipsis dimissis, solus remaneret Clerus.

LXII. Opinionem eruditi viri confirmant tria. Primum quod de Proclo legimus apud Socratem lib. 7. c. 47. eum ex primoribus qui ante Missarum solemnia Episcopi salutandi causa de more venerant, comprehendisse Thalassium, Episcopumque Cæsareæ Cappadociæ ex præfecto Illyrici ordinasse. Alterum, quod laici solerent Ecclesiæ filii dici. Postremum, quod Gregorius eo loci vellet usum pallii, quem insolenter Joannes Mariniani decesso extenderat, quam maxime restringere.

Vir alter eruditus sentit, filiorum Ecclesiæ nomine intelligi posse Clericos, quibus ex salutatorio jam egressis, pallium sumeret Pontifex, & procederet. Istam quoque conjecturam adjuvat, quod in hoc nostro Diurno summi Pontifices filiorum nomine Clericos compellent, in secunda, & tertia fidei professione.

Probabilis est fateor, doctaque hæc utraque conjectura: verum simplicius quiddam afferri posse puto, filiorum nempe nomine appellatam Cantorum Scholam, quæ, cum procederet ad altare Pontifex sacra facturus, signo dato dimittebatur ex salutatorio, præibatque eo modo, qui describitur in appendice ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 261. editionis Domni Hugonis Menardi.

JOHANNIS FILESACI
THEOLOGI PARISIENSIS

Devota.

DISSERTATIO XLIV.

Apostoli insignis locus est, 1. Corinth. 9. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli? Is certe plurimorum nostri ævi & magni nominis hominum ingenia exercuit: cum vero de nonnullis Virginibus quæ publico ac solemni ritu castitatem non sunt professæ, & in communi hominum societate versantur, nobis hoc loco differendum sit, jam primis illis nascentis Ecclesiæ sæculis quales aut cujusmodi fuerint & cui denique usui, ex illo primum Apostoli loco demonstrandum est. Non insolens, non inauditum istud quod memorat Apostolus videri debet: quandoquidem Evangelistarum testimonio, non paucæ mulieres Christum Servatorem & discipulos sequebantur & quæ vitæ sustentandæ necessaria erant lubentissime suppeditabant. Hæc cuivis & nota sunt & obvia. Illud idem beneficentiæ genus a mulieribus Christianis experti sunt Apostoli Christi, quemadmodum satis indicat locus hic Apostoli. Exemplum istud secutæ sunt aliquot deinceps sæculis, & mulieres & Virgines nonnullæ; verum cum familiaris iste convictus nescio quam nequioris consuetudinis suspicionem attulisset, rem to-

totam severis totiesque repetitis sanctionibus Ecclesiæ Patres, Episcopi, plane damnarunt. Quod antequam explicemus, nonnullæ istius Apostoli voces expendendæ sunt. *Mulierem* simul ac *sororem* dixit Apostolus Ἀδελφὴν γυναῖκα qui uxorem interpretatur, næ ille longissime fallitur hanc temerariam esse interpretationem, & Beatus *Ambrosius* & Græca scholia satis comprobant, cum Apostolorum morem jam Christi tempore usitatum, sub ipsis Apostolis observatum, ut supra diximus, denotare asserunt. Deinde quam ridicula ista ratio ex verbo *circumducendi* petita, ac si jus aliquod mariti in uxorem, aut heri in ancillam, significet; arioli alicujus non recta sentientis ista divinatio est: ecquis enim tam peregrinus est in sacris litteris & historia Ecclesiastica, atque adeo Sanctorum Patrum scriptis, qui non noverit, primis Ecclesiæ temporibus, quo affectu & studio Christianæ mulieres Ecclesiæ ministris ad quodvis pietatis ac liberalitatis officium, incredibili animi alacritate obsecutæ sunt. Tum nihilo melior ratio, quod Ecclesia iis locupletibus mulieribus non fuisset gravata sed sublevata potius. At quis gravatam initio Ecclesiam dixerit, cum omnia essent communia, & abunde Christianis qui tum pauci erant, satis esse videretur. Verum crescente numero discipulorum, non dubium est pauperum, & qui rei domesticæ angustiis laborabant non minimam partem additam esse; itaque quomodo paucarum ditiorum mulierum opes iis omnibus sufficere potuissent? Iis de causis pernego *Mulieris* vocem, uxorem indicare, quin & ad Virgines etiam pertinere, contendo. A me est B. *Ambr.* Epist. 1. *Mulier sexus est, virgo species, sexus generis, virgo integritatis.* S. *Paulinus* Epist. 4. idem prodit. Sed quod ad loci Apostolici explicationem mirifice facit, ita scribit *Isidorus* Pelusiota, B. *Joannis Chrysost.* discipulus, lib. 3. Epist. 176. Postquam enim locum hunc Apostoli adduxit, ita sentiendum esse docet ut minime credamus, Apostolos & similes, qui virginitatem & suadebant & castitatem prædicabant, ac Virginum choros moderabantur, cum mulieribus licet uxoribus consuetudinem habuisse. Quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, si quidem ipsimet, in voluptatum cœno sese volutantes deprehensi fuissent? Non igitur hoc ait; nam alioquin, *Mulierem*, uxorem dixisset. Sed quia ipsos Apostolos sequebantur probæ mulieres aliquæ, ex bonis suis, paupertatis magistros alentes; idcirco *sororem*, quidem dixit, ut castitatem indicaret, *Mulierem* autem ut naturam dictaret. *Mulier* quippe virgo quoque appellatur, etiam si intacta sit, mulier ob formam, etiamsi integra sit, mulier ob naturam etiamsi masculi congressus expers sit. Hinc probo sensu accipiendus locus alter Apostoli Gal. 4. quo dicit *Christum factum ex muliere*, Beatissimam Virginem Mariam, *Mulierem* appellans, sed *Mulierem* quidem ob naturam & formam, Virginem autem propte integritatem & puritatem. De sororis autem vocabulo nonnulla dicamus. Prioribus Ecclesiæ nascentis sæculis, ut omnes viri Christiani, *Fratres*, ita vicissim omnes mulieres, *Sorores*, vocabantur; quod vel pueris ipsis notum est. Et quidem eleganter S. *Augustinus* Epistola 38. ad *Letum*: *Quo enim tibi modo nunc quædam mulier nata est, hoc ipso utique non est mibi. Quapropter hoc tempore ac transitorium, sicut transisse jam vides quod te concepit, quod gestavit utero, quod peperit, quod lacte nutrivit. Quod autem soror in Christo est & tibi est, & mibi, & omnibus, quibus una cælestis hæreditas & pater Deus, & frater Christus in eadem charitatis societate promittitur.* Pudicum *Sororis* nomen, unde procacissima illa apud *Ovidium* 9. Metamorphos.

Oscula sentiri non esse sororia possent.

At ubi pristinus ille Christianæ puritatis ardor intepuit, retenta quidem appellatio, sed siparii loco, ad tegendam nequitiam, non omnium certe, at non paucorum. Egregius sane Christianæ charitatis prætextus. Et ut Beatus *Hieronymus* Epistola 22. ad Eustochium, *Difficile est humanam animam aliquid non amare, & necesse est ut in quofumque mens nostra trahatur affectus. Carnis amor spiritus amore superatur, desiderium desiderio restinguitur, quidquid inde minuitur hinc crescit.* In iis quæ ad perfectam virtutis normam & regulam efformatæ sunt atque exploratæ,

ætæ, illud Beati *Hieronymi* verum esse nemo non intelligit: At ejusdem ævo & longe etiam antea, fraterna illa & fororia fraternitas non bene audiebat ut plurimum in Clericis. Apparet istud ex Concilii Ancyrani, quod Nicænum primum antecessit, Canone 19. quo prohibentur Virgines ullum inire consortium & contubernium cum quibusdam, quos *Fratres* vocabant, ut ii *Sorores* illas vicissim appellabant; quemadmodum scribunt *Zonaras* & *Balsamo* ad hunc Canonem. Scio Imperatores *Honorium*, & *Theodosium* Cod. lib. 1. tit. 3. l. 19. & Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. l. 44. sic censuisse, *Eum qui probabilem sæculo disciplinam agat, decolorari consortio sororiæ appellationis non decere: Ita tamen ut Clerici ipsi concessam esse noverint facultatem Mulieres, filias atque Germanas, intra domorum suarum septa continendi. In his autem*, inquiunt, *nihil scævi criminis existimari fœdus naturale permittit*. De veris & legitimis sororibus ita senserunt Augusti, an eventus aliud postea docuerit, deinceps videbimus. Agitur de ementitis illis sororibus, quæ dum cognationem illam mente & spiritu metiendam ab omnibus æstimari cuperent, in carnalem degenerasse, non minimo Ecclesiæ scandalo prodebant. Et quidem eo magis, cum ficti illi *Fratres* & *Sorores* fictæ mutuo sese *Agapetos* & *Agapetas* nominabant veluti auctor est S. Epiph. hæresi 93. quæ est Origenianorum, & hæresi 78. quæ est Antidicomarianitarum, nec non B. Chrysost. sermone contra concubinarios. Idem prodit *Justinianus* Novella 6. c. 6. ubi de diaconissis loquitur. *Volumus autem & ipsas quæ ad ordinationem perducuntur, Diaconissas sive ex viduitate sive ex virginitate, non cum aliquo cohærentes, aut cognatorum, aut eorum quos appellant dilectos*, ἀγαπητὰς (*talibus enim nominibus utentes maligna suspicione suam replent vitam*) *sed aut solæ habitent, aut cum parentibus suis & filiis, aut vere fratribus, aut iis cohærere: de quibus si quis suspicari aliquid præsumpserit malignum, ipse insipiens simul & impius forsan putabitur*. In has *dilectas* & *Sorores* quam acerbe invehitur S. Hieronymus Epistola 22. ad Eustochium: *Unde in Ecclesias* Agapetarum *pestis introit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinarium genus? Plus inferam. Unde meretrices univiræ? eadem domo, sæpe uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos vocant si aliquid existimemus: Frater Sororem Virginem deserit, cœlibem spernit Virgo germanum, fratrem quærit extraneum, & cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium*. Harum meminit *Photius*, Nomocanonis tit. 8. cap. 14. Unde vero Catillantes istæ, dilectarum sibi, aut suis dilectorum nomen indiderint, non scio, nisi quod se vere Christum imitari videri voluerint qui apud veteres Christianos nudo & simplici nomine *Dilecti* intelligebatur, velut prodit *Clemens* Alexandrinus, libro quarto Stromatum. *Sororis* etiam appellatio, ut & *Fratris* usitata fuit inter conjuges, qui ex consensu mutuo, voti continentiæ mutuo proposito sese adstringentes, a tributo & communi contumelia (sic *Tertullianus*, libro de velandis Virginibus debitum conjugale appellat) perpetuo abstinebant. Horum mentio exstat apud S. *Hieronymum* Epistola 46. ad *Rusticum* Monachum & S. *Paulinum* Nolanum Episcopum, Epistola 26. ad S. *Victricium* Rothomagensem Episcopum: dum enim sub sanctissimo isto Antistite quantis Christianæ pietatis officiis Rothomagus & tota vicina regio florerent, copiose differit, ista subjungit, de viris Ecclesiasticis loquens: *Nec minore eosdem* (Clericos) *voluntate sanctis operibus & pio ministratu inexpugnata noctu diuque, famulantium viduarum pascit integritas, vel subjugatorum Deo conjugum arcana germanitas, quæ orationibus sedulis, lætum in operibus suis Christum, ad visitationem non jam maritalis thori, sed fraterni cubilis, invitat*. Non aliter *Sidonius* Apollinaris, lib. 5. Epistola 16. de *Papianilla* sua, *Licet sis uxor bona, soror quoque optima es*. Ita *Fortunatus* lib. 1. Carmine 15. loquens de Sancto *Leontio* Santonensi Episcopo & *Placidina* sua,

> *Quæ tibi nunc conjux, est modo clara soror.*

Sed de iis nonnihil postea agemus. Priores illas simulatas *Sorores* examinare ope-

ræ pretium est, illasque Sanctissimi Concilii Nicæni 1. Canone 3. intelligi mihi facile persuadeo; Est autem Canon ejusmodi, ex versione *Dionysii* Exigui: *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt:* Græcus contextus habet, cujus & vocis simul & Canonis interpretationem, satis diligentem & observatione dignam videre licet apud *Zonaram* & *Balsamonem*, in qua describenda non est quod diutius immorer. Quamquam huic statuendo Canoni Nicæno viam præmonstrasse videntur Episcopi, qui Concilio Eliberitano, ante Nicænum interfuerunt, sic enim habet Canon 27. hujus Concilii, *Episcopus vel quilibet alius Clericus aut Sororem aut filiam Virginem dicatam Deo, tantum secum habeat, extraneam nequaquam habere placuit*. Extraneas illas sive subintroductas mulieres, alias fuisse a Sanctimonialibus non dubito, quamquam multiplicis generis fuerint; quædam mere sæculares, aliæ virginitatem professæ. Attamen licet has cum sacris istis Virginibus multa habuisse communia non ignorem, nihilominus quo pacto vel inter se convenirent aut discreparent singillatim videndum est. Voto utræque sese obligabant continentiæ, quod apparet ex *Photii* Nomocanone, tit. 9. c. 29. & *Balsamone* in Canonem 19. Concilii Nicæni & c. 16. Concilii Chalcedonensis, & cap. 19. Epistolę B. *Basilii* ad *Amphilochium*: tum S. *Hieronymi* Epistola 47. de vitando suspecto contubernio, & Epistola 22. ad *Eustochium* & Epistola 8. ad *Demetriadem*, & Concilii Triburiensis c. 24. Extraneas illas intelligo, quæ licet continentiam professæ, attamen in sæculo remanebant & Sanctimonialibus in eo dissimiles, quod hæ nonnisi in Monasterio degerent. Istæ vero devotæ in propriis aut privatis sæcularium ædibus, de quibus *Eugenius* Papa, Epistolæ Decretalis ca. 26. *Mulieres obtentu religionis velatæ, aut in Monasterio regulariter vivant, aut in domibus suis susceptum habitum caste observent*. Ac ne quis ad viduas duntaxat illud spectare credat, etiam Virgines comprehendi docet Concilium Carthaginense 3. cap. 33. *Burchardus* lib. 8. cap. 75. & Ivo parte 7. cap. 93. citant ex Concilio Africano: *Virgines sacræ si parentibus*, a quibus custodiebantur, privatæ fuerint, ab Episcopo custodiebantur, aut per ejus absentiam a gravioribus fœminis, cum quibus habitent. Concil. Toletanum 10. c. 5. commemorat duplicis generis mulieres sacras, attamen a nullo Episcopo velatas, sed sponte a se ipsis sumpto habitu, quæ ob incontinentiam damnatæ, vel venientes ad primam religionem, vel post transgressum resumentes iteratam conversionem vel ab Episcopo accipiant. Idem refertur Capitularium additione 2. cap. 13. Disertim in domibus privatis habitasse atque adeo in communi hominum cœtu, testatur B. *Hieronymus* non uno loco, & præsertim Epistola 47. de vitando suspecto contubernio. Illud valde observandum quod de ea recensuit Concilium istud amplissimum Parisiense sub *Ludovico* Pio & *Lothario* ejus filio, A. A. lib. 1. cap. 44. *Nobiles fœminæ, quæ amissis viris velantur & non in Monasteriis sub spiritalis Matris regimine, sed potius in domibus propriis, occasione liberorum rerumque suarum residere deliciisque affluere delectantur: Statuimus ut hujuscemodi viduæ, amissis viris repente non velentur, sed cum convenientia Episcopi sui triginta diebus, ut a glorioso Principe Domno* Ludovico *cum consensu venerabilium Sacerdotum jamdudum constitutum est, expectent, quibus peractis aut nubant, aut si potius Deo se sacrari expostulaverint admoneantur & instruantur, ut non in domibus propriis, sed in Monasteriis, sub spiritalis Matris regimine Deo se servituras subdant*. Repetitum Capitular. lib. 1. cap. 102. & lib. 7. Capitul. c. 257. Sed illud notandum lib. 5. Capitular. c. 16. mulieres matrimonio copulatas velum sibi sumpsisse, at repeti posse & debere a maritis decernit Capitulum, quin & altero libri ejusdem, quod est cap. 113. licuisse mulieri uxoratæ velum sanctum in caput accipere, permittente canonice viro suo. Illud idem prohibitum Concilio Rothomagensi cap. 9. Neque vero prætermittendum hoc, quod narrat Concilium Parisiense memoratum, nobiles istas viduas sibimet velum sacrum imposuisse, cujus rei etiam meminit Concil. Tribu-

riu-

riense, ca. 24. Quin in Gallia & Germania non solum istud usitatum, verum etiam in Hispania testatur Concil. Toletanum 10. cap. 5. ubi devotæ ejus generis a Sacerdote vel ministro, Sanctimoniæ vestem non accepisse dicuntur, ipsæ tamen aut indutæ sunt, aut illo indui habitu consenserunt, qui Religionis esse cultus ab intuentibus crederetur, sicque coram Ecclesia, vel Sacerdote aut etiam competentibus testibus, quandoque indutæ visæ certis indiciis aut testimoniis approbantur. Sed quoniam de sacro illo habitu quæstio est, mirum plane videri debet quod narrat *Balsamo* in Canonem 19. Concilii Nicæni primi & in Canonem 16. Concilii Chalcedonensis; in Ecclesia Græca, olim Virgines nonnullas sese Episcopo obtulisse & virginitatem professas, ab Episcopo asservari solitas, utpote Deo dicatas, attamen sub Laico habitu. Negat hoc *Zonaras* in eum Canonem 19. Concilii Nicæni 1. quin scribit certum quendam & peculiarem habitum ab Episcopo accepisse, ac postmodum manuum impositione fuisse consecratas; Eæ cum quadraginta annorum ætatis essent, diaconissarum ordinationem recipiebant: Addit tamen *Balsamo* in illum Canonem Chalcedonensem, suo tempore ejus generis Virgines Deo devotas Constantinopoli non extitisse, sed antea *Calostenem* Thebarum Metropolitanum, Thebis Parthenonem seu Virginum Monasterium extruxisse, in quo Virgines illas sacras laicum habitum gestantes collocarit. Et quidem ni fallor, ad Virgines illas Deo dicatas Græcorum sed habitu laico, referendæ sunt Virgines illæ devotæ, de quibus ita habetur Concilio Aurelianensi 3. cap. 16. *De raptoribus Virginum consecratarum, seu in proposito, sub devotione viventium, id statuimus ut si quis consecratæ vel devotæ, id est Religionem professæ, vim inferre præsumpserit, a Communione Ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei infirmitatis periculo reservato.* Inter utrasque non aliud discrimen nostri agnoscent quam quod *Consecratæ* dicantur quæ solemni voto sese adstrinxerint; *Devotæ* vero quæ simplex votum emiserint. Ac propterea nil mirum si *Balsamo* in Epistolam B. *Basilii* ad *Amphilochium* non uno loco, has secernit, & distinguit a Nonnis & Ascetriis, quin quasi Sanctimoniales appellantur. Concil. Turonens. 2. cap. 11. Satis hactenus a nobis expositum est, quæ & quales istæ fuerint *Devotæ* & velatæ virgines, sed quæ inter sæculares versarentur & habitarent, quæ ob virginitatis propositum votumque, sibi multo liberius cum Clericis conversandi facultatem esse concessam arbitrabantur. Nunc de ceteris extraneis, quæ universim isto Canone Nicæno prohibentur disseramus. Ac primum extraneas omnes illas appellare Canon videtur, quæcunque sint, præter matrem, sororem, amitam vel eas personas, quæ suspicionem effugiunt. Memoratus & repetitus Canon, apud *Martinum* Braccarensem collectionis suæ cap. 32. Concil. Aquisgranensi c. 59. Conc. Rhemensis c. 22. Troslejan. c. 9. Capitul. lib. 1. cap. 98. Apud S. *Basilium*, Epistola ad *Gregorium* Presbyterum. Concil. Carthaginens. 3. c. 17. præter illas Canone Nicæno memoratas, addidit filias fratrum aut sororum, & ceteras, quæcumque ex familia, domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur (Presbyteri, Diaconi, & cet.) jam cum eis habitabant. Concilium Arelatense 2. cap. 3. Neptem & conversam uxorem addidit, ad eas quæ Canone Nicæno commemorantur. Conversam uxorem dicit, cum quis matrimonio copulatus, ex mutuo consensu, Deo sese dicarit, sicuti & ejus uxor; discidium ejusmodi religionis Causa *Conversio* vocatur, & maritus *Conversus* & uxor *Conversa* nuncupantur. De qua re nonnihil antea diximus. Sed non inutile futurum arbitror si *Conversionis* vocem, quæ alioquin ambigua est explicemus. Aut enim de Laico Monasticen amplectente intelligitur, & is non simpliciter converti sed in Monasterio converti dicitur, ut habet B. Gregorius, lib. 7. Epistola 11. ad Episcopos Siciliæ, & lib. eodem Epistola 7. ad Joannem Caralitanum; Concil. Aurelian. 1. cap. 23. ac Capitular. lib. 1. c. 143. istud vocatur, *in Monasterio regulari comam deponere*. Aut de Laico qui relicta sæculari vita, Ecclesiæ ordinibus adnumerari exoptat, sive ut loquitur Siricius PP. Epistola ad *Himerium Tarraconensem*: *melioris propositi conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat*, atque

is

is simpliciter converti dicitur; quamquam Concil. Cabilonensi c. 5. *Seculares ad Clericatum conversi* dicantur. Ista vero *Conversio* nihil aliud significabat quam professionem & propositum perpetuo servandæ castitatis. Quod enim generaliter dixit Concilium Arelatense 2. c. 2. *Assumi aliquem ad Sacerdotium in conjugii vinculo constitutum non oportere, nisi fuerit promissa conversio*. Concil. Agathense cap. 16. Religionem promissam vocat ut & Concil. Epaunense c. 37. & Capitular. lib. 7. cap. 196. Quæ vero *Religio* aut *Conversio* appellanda, & in quo consistat docet Concilium Arausicanum primum cap. 22. *Sedit præterea ut deinceps non ordinentur diaconi conjugati, nisi qui prius conversionis proposito, professi fuerint Castitatem*. Ita concilium Aurelianense 3. cap. 6. *de Clericorum præmittenda conversione id omnimodis observetur ne ullus ex laicis ante annualem conversionem vel ætatem legitimam, idest 25. annorum, diaconus, & triginta Presbyter ordinetur*. In iis primum observandum, Conversionem hoc loco præter Castitatis perpetuo servandæ professionem, indicare quoto temporis spatio laicorum conversio ejusmodi exploranda sit, de qua re sic censent Episcopi, Concilio Arelatensi 3. c. 2. ad finem. *Sed nec reliqui Pontifices Presbyterii vel Diaconatus honorem conferre præsumant nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio*; At dum *præmissam*, non *promissam* habet Concilium utrumque, significat unumquemque laicum, & quidem conjugatum Clericorum ordini adnumerari non posse nisi post annum integrum & solidum a sæculo relicto, & ab opere matrimonii, discidioque cum uxore facto, mutuo certe utriusque consensu. Hinc quæ Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ vocantur in Conciliis & apud Scriptores Latinæ Ecclesiæ præsertim Concilio Turonensi 2. quod omnes norunt, non aliæ erant quam Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum uxores, ab iis, cum ad Clericatum conversi fuerunt derelictæ, quas etiam aliquando *Conversas* veteres appellarunt. Non absque ratione voces illas *Presbyteræ*, *Diaconissæ* & cet. apud Ecclesiæ Latinæ Scriptores, ex usu ejusdem Ecclesiæ sum interpretatus. Nam apud Græcos paulo aliter, ut patet Concilio Laodiceni apud *Fulgentium* Ferrandum in sua breviatione Canonum, tit. 221. *Ut mulieres quæ apud Græcos Presbyterissæ appellantur, apud nos viduæ, seniores univiræ & matriculæ in Ecclesia tanquam ordinatas constitui non liceat*. Hactenus quæ ad Canonem Nicænum spectare videbantur magna parte attigimus, præsertim in eo quo cavetur ne ulli Clerico liceat habere apud se mulierem extraneam & subintroductam, ac uno nomine, ut Patres Concilii Nicæni explicasse visi sunt, quæ suspicionem non effugiat. Hoc cum nonnullæ puellæ intelligerent, ut a se omnem obscœnæ consuetudinis suspicionem amolirentur, sacro velo arrepto, vel etiam suscepto, pro Devotis & Deo dicatis sese gerentes, jam tum libere cum ipsis Clericis versari se posse existimarunt. Verum cum eventus docuisset quam periculosum esset istud *Dilectarum & Devotarum* cum Clericis contubernium, non tantum Concilia, sed & non pauci SS. Patrum, ac præsertim *S. Chrysostomus* sermone duplici, & *S. Hieronymus* Epistola ad *Oceanum*, ut citatur Concilii Aquisgranensis c. 99. hoc plane damnandum esse pronuntiarunt. Retentus est igitur Canon Nicænus quantum fieri potuit: & quidem propriis ac conceptis verbis. Nihilominus tamen huic Canoni duplicem fraudem factam esse video. Prima illa est quod cum eo Canone Matri, aut Sorori vel Amitæ liceret cum Clero conversari, jam Matri Sorori & Amitæ necessum fuit Ancillas, rei domesticæ gratia secum habere! Hinc Cleri nonnulli ancillarioli deprehensi sunt: Quod plane vetitum est Concilio Trullano Can. 5. Item Concilio Aurelian. 5. cap. 3. *ut nullus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat. Quod etiam de propinquis feminis indicentes, similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia parentali ex earum sequipedis, memoratorum vita vel opinio polluatur*. Idem habetur Capitularium lib. 7. cap. 291. Eo referendum illud Concilii Toletani 2. cap. 3. *Illud præterea speciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua Concilia in universis Canoni-*

nonibus fluerunt, ut nullus Clericorum a gradu subdiaconatus, & supra in consortio familiaritatis habeat mulierem vel ingenuam, vel libertam vel ancillam, sed si sunt ei hujusmodi servitia, matri vel sorori, vel alii propinque contradat. Ancillæ etiam ejus generis damnantur concilio Aurelianensi, c. 16. & Concilio Nannetensi, c. 3. De libertabus & ancillis id merito cautum est, nam cum veteri jure, Domini in servos summo jure agere possent, itidem in libertos nonnihil liceret, cum adversus eos propter concessam ab heris actio ingrati daretur; Clerici quid non poterunt seu in libertas seu in mancipia muliebria? Scitum illud est *Haterii* nobilissimi Oratoris Romani apud *Senecam* Patrem, lib. 4. Controversiarum, Præfatione. Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas; in liberto officium: De qua re alias. Quid vero de ancillis quæ more ceterorum mancipiorum a Clericis emptæ essent, ob turpem suspicionem agendum esset: sic cavit Concilium Toletanum cap. 5. *Qui semper sub Canone Ecclesiastico jacuerunt si contra veterum imperata, in suis cellulis, quæ infamem suspicionem possunt generare, consortium habuerunt, illi canonice quidem distringantur mulieres vero ipsæ ab Episcopis venundatæ, pretium ipsum pauperibus erogetur.* Itaque cum earum personarum quæ Clericis sunt concessæ Canone Nicæno pretextu etiam ancillæ aut similes permissæ viderentur, has omnes removeri placuit. Ita Concilium Troslejanum cap. 9. *Quicunque clericatus utuntur officio extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur, matrum suarum aut filiarum solatia intra domum suam noverint tantum esse concessa. Sed quia sub occasione istarum personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt, Africani Canones decreverunt ut nec ipsi Presbyteri, aut Episcopi, soli habeant accessum ad viduas vel Virgines, vel quascumque fœminas, sed ubi aut Clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani.* Quod de Canonibus Africanis hic dicitur, referendum est ad Concilium Carthaginense 1. cap. 3. ubi *Gratus* Episcopus dixit: *Nullus igitur, nullaque Sanctimoniæ, & Virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debent; Universi dixerunt. Qui nolunt nubere & pudicitiæ meliorem eligunt partem hac vitare debent; & non solum non habitare simul nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex jubet, & sanctitas vestra commendat ut in singulis Conciliis statutum est.* Interea illud observandum Concilium hoc Carthaginense sub S. *Grato*, quoniam Episcopus ille, *Gratus* nomine, primus sententiam in eo dixerit, aut quæ statuenda erant proposuerit, ac denique concluserit. Ad hunc Canonem Carthaginensem alludit *Possidius* in Vita S. *Augustini* cap. 26. Et quoniam eo *Possidii* loco res ista mirum in modum illustratur, integrum subiiciam: *Fœminarum intra domum ejus* (Augustini) *nulla unquam conversata est nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens, multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit: sed neque patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant, quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero etsi quia de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis, secumque manentibus feminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ a foris intrarent, de iis posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci.* Vide postrema verba hujus capitis apud *Possidium*. *Theodulphus* Episcopus Aurelianensis Commonitorio ad Presbyteros Aurelianenses, cap. 12. *Nulla fœmina cum Presbytero in una domo habitet: Quamvis enim Canones matrem & sororem & hujusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, eum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sine occasione veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei adfinitate conjunctæ, & eum ad peccandum iniciunt.* Idem habet Concil. Forojuliense can. 4. Concil. Braccarense 3. can. 5. Fraus altera legi Ecclesiasticæ Nicænæ facta est, cum Clerici ex interpretatione Canonis Nicæni ab Africanis Episcopis, Concilio 1. Carthaginensi, qua etiam filiabus Sacerdotum (si modo ante ordinationem uxorem duxissent) aut illorum fratrum vel sororum, cum ipsis Presbyteris habitare concessum esse

esse intelligerent, *Devotas* illas, ut vocat Concilium Braccarense 2. in filias adoptabant, de quibus S. Chrysostomus, sermone contra concubinarios. Præclarum ad tegendam nequitiam siparium. Huic fraudi itum obviam, veluti ab eodem *Martino* Braccarensi proditum est, in Collectione Græcarum Synodorum, c. 32. *Nullus Episcopus neque Presbyter, neque Diaconus, neque omnino aliquis ex Clero licentiam habeat intromittendi ad se quasi adoptivam aliquam mulierem, quasi in loco filiæ aut sororis, aut matris*. Dicerem lubens cum Martiali libro 2. Epigramm. sed contenta voce ut Clerici boni fratres exaudiant:

Cur vos nomina nequiora tangunt.

Pervulgatum istud apud omnes qui humaniores litteras tantisper degustarint, *fratris & sororis* nomina, in amatoriis usurpata, quod non pauci observarunt: unde merito ab *Ausonio* pronunciatum est Parentalium, Epigramm. 19. ubi de *Namia Prudentilla*, uxoris suæ *Sabinæ* sorore agit,

Et mihi inoffenso nomine dicta soror.

Quasi innuat *Namiam* illam ab se *sororem* vocari, *sed probo, & pudico sensu*. Neque vero minus periculi in germanis sororibus, quam in *Devotis* illis sororibus, aliquando deprehensum esse, fidem faciet Concilium Moguntinum, sub *Arnulpho* cap. 10. *Quamvis sacri Canones quasdam personas fœminarum simul cum Clericis in una domo habitare permittant, tamen, quod multum dolendum est, sæpe audivimus per illam concessionem plurima scelera esse commissa, ita ut quidam Sacerdotum cum propriis Sororibus concumbentes, filios ex eis generassent. Et idcirco constituit hæc Sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam fœminam secum in domo* propria permittat. Metense Concilium, cap. 3. eodem pacto: *Nequaquam in domo sua secum aliquam fœminam* (Sacerdotes) *habeant nec matrem, nec sororem*. Concilium Nannetense cap. 3. *Prohibendum & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas personas fœminarum sicut & in Canone insertum continetur de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat, sed neque illas quas Canones concedunt, quia instigante Diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur*. Idem habes capitularium libro septimo cap. 291. Concilium Braccarense 3. cap. 5. solam matrem excipit. *Nullus Sacerdotum, sive quisquis ille de Clero, absque honesto & competente testimonio excepta sola matre, cum quibuslibet fœminis secrete se præsumat adjungere, non solum cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus vel propinquis, ne licentia sororum, vel propinquarum mulierum quisquis ille solutus familiarior habeatur ad perpetrandum scelus*. Qui otio abundabit, & plura volet de ea re intelligere legat gravem illam, vehementem & veritate concitatam, atque adeo plenam animi & stomachi Concionem B. *Joannis Chrysostomi* contra Concubinarios & devotas ejusmodi, cui adjunge alteram persimilem ejusdem adversus regulares fœminas viris cohabitantes.

L U-

LUDOVICI ANTONII MURATORII

De Synifactis, & Agapetis.

DISSERTATIO XLV.

Ad Clarissimum, & Eruditissimum Virum.

P. D. BERNARDUM DE MONTFAUCON

Monachum Benedictinum, e Congregatione S. Mauri

Synopsis Dissertationis.

Virginitatis studium quam præstans, & antiquum. Sæculo Ch. III. cohabitantes cum sacris Virginibus Clericos S. *Cyprianus* arguit. Quibus nominibus familiaritatem hanc ipsi tegerent. Feminis *Synisactis* usus & Paulus Samosatenus. Concilia occurrunt morbo. Seculo Ch. IV. ejus vis latius serpit. Monachi potissimum hujus criminis rei, quorum genera varia recensentur, uti & Virginum sacrarum. Excusationes & ratiunculæ a Synisactis adhibitæ. *Caritas* præsertim deprædicata. *Sororum* & *Fratrum* tituli adhibiti. Arelatensis Concilii Canon a censura *Dodvvelli* vindicatur. Cœlibatus Presbyterorum antiquitus in usu & sub præcepto. Origo *Synisactorum*, & *Agapetarum* ante S. Cypriani tempora. Quibus Apostolorum verbis abuterentur. Qui Hæretici hoc vitio infames. Canon in *Agapetos* & *Synisactos*.

I. MEmineris, *Montfauconi* amantissime, quibus te litteris exceperim ubi Italici itineris tui Diarium, ac monumenta in lucem prodiere, & quibus tecum luserim querelis quasi per illud opus omnigena eruditione refertum optime non fuisses de re litteraria & de nostris Bibliothecis meritus, & quasi per te asportatis, vulgove proditis, tot abditis Italorum opibus, eam unus gloriam occupasses, quæ multis apud nos Eruditis æternitate donandis sat erat. Memineris, inquam, ut enim ingenio ita & memoria mirum polles. Verebar autem, ne eumdem ludere ludum adhuc viderer, quum tibi Monasticam vitam professo disquisitionem hanc in mei erga te obsequii tesseram inscribere statui, Monachis non admodum sane gloriosam. Nimirum heic tibi occurrant quæ vel beatis illis Ecclesiæ temporibus in Monachorum mores irrepsere vitia; & pro instituti tui, fortasse irascaris tum eorum flagitiis, tum etiam mihi ex antiquitatis penu singula sincerissime producenti. Quandoquidem tamen tu illi Monachorum cœtui nomen dedisti, qui pietate æque & literarum cultura multos alios post se relinquens, Gallias, imo cæteras Christiani orbis provincias, nunc implet egregiis virtutum, famæque monumentis: tam male de te judicare nolui, ut diu suspicarer, hinc aliquam vel minimam tibi creandam esse molestiam, quum præsertim de iis Monachis sit res qui tantum a te & temporis & instituti ratione distant. Quare non hilarem dumtaxat animum a te expectare cogor, sed etiam exigere posse mihi videor ab eximia humanitate tua, simulque sperare fore ut quamquam summopere occupatus in Latio donandis atque evulgandis tot ἀνεκδότοις Græcorum Patrum scriptis, hanc meam, qualiscumque sit lucubrationem percurrere velis, neque tantum percurrere, sed benevole quoque com-

plecti. Cum ista itaque spe, imo fiducia, tecum jam ad inquirendum procedo, quid *Synisacti*, Συνείσακτοι, quid *Agapeti*, Ἀγαπητοὶ antiquis Ecclesiæ Christianæ temporibus fuerint, quam gentem tot carminibus Nazianzenus noster exagitat. Hanc quidem eruditionis sacræ particulam, ut nosti probe, sparsim pertractavere nonnulli, & potissimum in tertia dissertatione Cyprianica *Henricus Dodvvellus*, vir inter Heterodoxos celebris. At quum Platonica potius quam Ecclesiastica supellectile hujusmodi argumentum ille exornaverit, locum etiam aliorum calamis fecit, ut diligentius in eadem arena versarentur. Disquisitionis autem hujus beneficio constabit, quid *extraneæ* quid *subintroductæ* mulieres fuerint, quarum usum toties a Sacris Canonibus, Sanctisque Patribus interdictum novimus. Certe hujusmodi feminarum mentio quum apud *Gratianum* in decreto interdum occurrat, mirum tamen est, quam male veteres Glossarum conditores atque Ecclesiastici Juris periti vocabula hæc intellexerint, & quam pejus explicuerint. Itaque tum originem, tum progressus, tum finem hujusce pestis inquirere juvat, præ oculis tamen ætate *Gregorii* potissimum habita, cujus carminibus illustrandis nunc nostra oratio vacat.

II. Compertum est ab ipsis Apostolis Virginitatis studium summis laudibus fuisse ornatum, uti Conjugio longe præstantius. Hinc vel ipsis prioribus Ecclesiæ seculis complures tum viri tum feminę ejus cultum Matrimonio præposuere: quæ disciplinæ forma, quod sacros Ecclesiæ ministros præcipue deceat, ab ipsis etiam præ aliis diligentius usurpata est, ita ut a Latinis saltem Patribus, atque Conciliis subinde cautum jure fuerit, nequis ad majora Ecclesiæ ministeria ascendens conjugio amplius operam daret, reliquis libertate relicta eam sequendi vitæ normam, quæ laudabilis quidem est, sed pari perfectione minime constat. Quare quæ nunc etiam inter Catholicos vigent atque laudantur, Castitatis ac Virginitatis vota, totius antiquitatis calculo, exemplo, & usu probata reperimus. Temperare autem mihi non possum, quin *Tertulliani* vetustissimi testis, & *Eusebii* Cæsariensis in hanc rem verba referam. Ita ille virginem alloquitur cap. 16. de Veland. Virgin. *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam, incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est qui & alienas sponsas & maturitates velari jubet, utique multo magis suas*. Eadem repetit lib. 1. cap. 4. ad uxorem & in libro de oratione, quam integrum propediem dabo Tom. III. Anecdotorum meorum. *Eusebius* vero Cæsariensis lib. 4. cap. 26. Vitæ *Constantini* Ἁγνείαν, inquit, καὶ παντελῆ παρθενίαν γυναῖκες ἱερωτάτων Θεῷ καθιερωμένας μετῆλθον, ἁγνῷ, καὶ πανάγνῳ βίῳ ψυχῇ καὶ σώματι σφᾶς αὐτὰς καθιερώσαντας. H. e. *Castitatem & inviolatam virginitatem multæ mulieres sacris dicatæ constanter retinuere quum omni puritate & sanctitate perfusa vita se totas corporibus, & animis Deo consecrassent*. Legendus idem in eod. lib. cap. 28. & lib. 2. cap. 16. Lege & *Cyprianum* in lib. de Habitu Virginum, imo universos fere Ecclesiasticos Scriptores, qui primis Christianæ fidei sæculis floruerunt, & Concilii Ancyrani Can. XIX. & Illiberitani Canon. XIII. ut alia omittam.

III. Summo igitur in honore olim quoque erat, & colebatur Virginitas, eamque Christo promiscue masculi & feminæ vovebant certantes ut cum animo puro corpus etiam servarent purissimum. At in sanctum hocce propositum gliscere sensim vel antiquitus vitia cœpere: adeo quidquid in hac vita pretiosius occurrit majoribus etiam periculis obnoxium est. Itaque, ut omnia recenseam, cum Virginibus Deo sacratis tam arctum contubernium dein instituerunt masculi Deo dicati, sive Clericalem sive Monasticam vitam professi, ut apud omnes male audire eorum cœperint mores. De Clericis primo sit sermo. S. *Cyprianus* in Epist. 62. ad *Pomponium* ita scribit: *Postulas ut tibi rescribamus, quid nobis de iis Virginibus videatur, quæ quum semel statum suum continenter & firmiter tenere decreverint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis ex quibus unum diaconum esse discis; plane easdem, quæ se cum viris dormisse confessæ sint, asseverare se integras esse*. Tum S. Episcopus præcipit, ne Virgines cum masculis habitent. *Non dico*,

dico, ait, *simul dormire, sed nec simul vivere, ne diabolo insidianti & sævire cupienti, ad nocendum detur occasio*. Hæc S. *Cyprianus* Seculo vulgaris Epochæ tertio, e quibus multa scitu digna hauriuntur. Primum est, vel tunc Virgines quasdam in Christiana Republica exstitisse, quæ *semel statum continenter & firmiter tenere decreverint*. Atque his verbis profecto significatur, eas virginitatem suam semel Christo Regi obligasse. Idem clarius infra explicatur. *Quod si*, inquit vir sanctus, *ex fide se Christo dicaverunt pudice & caste sine ulla fabula perseverent*. Item *Coristus & Judex noster, quum virginem suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur?* Addit: *quæ hoc crimen admisit, non mariti sed Christi adultera est*. Impudenter igitur neget *Petrus* Martyr Hæreticus, ante *Constantini* magni tempora Virgines Deo sacratas fuisse. En certissima sanctæ consuetudinis argumenta, quam nostra etiam ætate Catholica Ecclesia sectatur. Discimus secundo Diaconos voto eodem castitatis obstrictos fuisse, qui enim, ut inquit *Cyprianus integritati, & continentiæ præesse* debebant, contubernium imo communem lectum cum quibusdam ex iis Virginibus habuere. Denique tam fœdam, suspectamque consuetudinem a Virginibus excusatam fuisse, quasi nullum pudicitiæ detrimentum intercederet. Illæ siquidem, *quæ se cum viris dormisse confitebantur, se integras asseverabant*.

IV. Atque hæc prima videntur esse Agapetorum, & Agapetarum in Ecclesiasticis historiis exempla: quod tamen diligentius infra exquiretur. Συνεισάκτας, *Synisactos* sive, ut ita dicam *Cointroductos* & Cointroductas feminas græci appellare consueverunt, aut etiam *Agapetos*, & *Agapetas*, quod se puro amore diligere dictitarent. *Agapetos* propterea in Papiæ Lexico dicitur *Lenocinator, & qui cum feminis illicite conversatur procacius Clericus*. Tam arctam vero familiaritatem speciosis tegere nominibus, vel *Cypriani* ævo nullamque impudicitiam ex ipsis amplexibus sequi, sed animorum tantum & non corporum, eam fuisse concordiam atque amorem, vox illorum erat. Quod si dictis fides negabatur, tum Virgines de prona semper in obtrectationem ac mali suspicionem hominum natura conqueri, obstetricum vero fidem appellare suumque harum testimonio pudorem deprædicare intactum. Diutius non tulit in grege suo contagionem hujusmodi S. Episcopus *Cyprianus*; sed masculos a feminis separari, utrosque vero severissimæ pœnitentiæ regulas subire jussit. *Nec aliqua, ait, putet se posse hac excusatione defendi quod inspici & probari possit an Virgo sit, quum & manus obstetricum, & oculi sæpe fallantur*: Tum addit: *certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio & ipsa osculatio & conjacentium duorum turpis, & fœda dormitio quantum dedecoris & criminis confitetur?* Neque in Epistola dumtaxat ad *Pomponium Cyprianus* pessimum hunc morem fugillat, sed & in Epist. 6. ad Presbyteros & Diaconos fratres, ubi hæc habet: *Doleo Christi membra & jam Christum confessa per concubitus illicitos inquinare, nec a Diaconis aut Presbyteris regi posse, sed id agere, ut per paucorum pravos mores*, multorum & bonorum Confessorum gloria honesta vitietur. Clarius id etiam explicat in Epistola sequenti ad *Rogatianum*, inquiens: *Non deesse qui Dei templa, & post confessionem sanctificata, & illustrata prius membra, turpi & infami concubitu suo maculent, cubilia cum feminis promiscue jungentes, quando etsi stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipsum grande crimen est, quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascantur*. Nimirum tam altas jam in Africa radices egerat ista licentia, ut vel ipsi Confessores, Dei Templa animata, quique in mediis tormentis Christi Fidem constantissime confessi fuerant, religioni sibi non ducerent cum sacris Virginibus concumbere, caussati nullius libidinis afflatu corpus inde inquinari.

V. Sed *Cyprianum* dimittamus, sequentia tempora exploraturi. Paucis annis post sanctissimi hujus Episcopi gloriosam mortem Antiochenam Ecclesiam flagitiis, ac Hæresibus turbavit *Paulus* Samosatenus ibi Episcopus. Præter alia vitia, quibus gregem suum inficere ac perdere cœperat, illud non ultimum, quod feminas συνεισάκτους non Presbyteris tantum, ac Dia-

conis suis indulserit verum & ipse earum consuetudine fuerit usus. Exstat apud *Eusebium* Eccl. Hist. l. 7. cap. 30. ad Dionysium Romanum Pontificem Epistola ab Episcopis Antiochiæ iterum coactis, ut in *Paulum* sententiam dicerent. Ibidem hæc habentur. Τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων; H. e. Quid heic referre attinet feminas, quas cointroductas Antiocheni appellant, tam ipsius quam Presbyterorum ejus, ac Diaconorum? Addunt etiam: Καὶ οὐδὲ ἐκεῖνο ἀγνοοῦμεν, ὅσοι ὑπὸ τοῦ συνεισάγειν ἑαυτοῖς γυναῖκας ἐξέπεσον, οἱ δὲ ὑπωπτεύθησαν. ὥστ' εἰ καὶ δοίη τις αὐτῷ τὸ μηδὲν ἀσελγὲς ποιεῖν ἀλλὰ τήν γε ὑπόνοιαν τὴν ἐκ τοῦ τοιούτου πράγματος φυομένην ἐχρῆν εὐλαβηθῆναι, μὴ τινα σκανδαλίσῃ, τοὺς δὲ καὶ μιμεῖσθαι προτρέψηται. *Neque illud ignoramus quod ex ejusmodi mulierum contubernio partim in præceps lapsi sint, partim in suspicionem venerint. Itaque etiamsi quis concesserit, nihil ab eo turpe committi, suspicionem tamen, quæ inde solet gigni, vitari oportebat, ne cuiquam scandalo foret, neve aliquos ad imitationem sui provocaret.* Ut autem infra legitur, duas ipse *Paulus* ætate florentes conspicuasque feminas, quocumque pergeret circumducebat.

Porro damnari quidem, sed ab improborum mentibus, atque a corrupta hominum natura minime eradicari potuere *Pauli* Samosateni errores atque flagitia, ac præsertim τῶν συνεισάκτων abusus. Quamobrem Ancyrana Synodus circiter annum Christi 314. celebrata pestem hanc fulminibus Ecclesiasticis iterum petere coacta est. Canon 19. his constat verbis. Τὰς συνερχομένας παρθένους τισὶν, ὡς ἀδελφὰς, ἐκωλύσαμεν, idest: *Virgines, quæ cum quibusdam congrediuntur, probibuimus*. Sive ut vertit Dionysius Exiguus, *Virgines, quæ conveniunt cum aliquibus, tamquam sorores babitare probibemus*. Ubi συνερχομένας respondere videtur τῷ συνεισάκτοις. Ancyranæ Synodi decreta sequutus est Canon Tertius Nicæni Concilii Primi, in quo sanctissimi illi Episcopi *Agapetarum* consortium omnino interdicunt. Damus ipsa Canonis verba, quippe in eis συνεισάκτους memorari animadvertimus. Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν. Hoc est. *Vetuit omnino magna Synodus, ne Episcopo Presbytero Diacono aut ulli penitus eorum qui sunt in Clero cointroductam, seu* συνείσακτον, *babere liceat mulierem*. Dionysius Exiguus vertit mulierem subintroductam, quasi non συνείσακτον, sed παρείσακτον scriptum fuerit in eodem Canone, quo postremo vocabulo usus est Apostolus ad Gal. 11. 4.

VI. Hactenus igitur, quantopere studuerint vetustissimi Patres, ut perniciosum hunc morbum a Christiano populo averterent, exploravimus. Nunc vero quantum virium illi deinde accesserit inspiciamus. Non Africam solam, sed conterminam Ægyptum & reliquum Orientem sæculo Christi quarto hujusmodi contagio pervasit adeoque excrevit, ut omnes fere sanctissimi Scriptores calamum in eam stringere coacti fuerint. Celebre est in Ecclesiastica Historia Leontii facinus a S. *Athanasio* sub finem Apologiæ primæ de Fuga sua commemoratum. Accusatus hic fuerat quod commercio cujusdam juvenculæ mulieris uteretur, justusque proinde ab ejus contubernio abstinere. At Leontius ut sibi liberius cum muliere versari deinceps liceret, omnisque impudicæ consuetudinis suspicio tolleretur se ipsum castrandum dedit. Neque tamen vel ita umbram sceleris detergere potuit, quominus, quum Presbyter esset deponeretur. Hæc *Athanasius*. S. vero *Basilius* Epistolam, quæ 198. est in edit. Paris. Anni 1618., ad *Perigorium* Presbyterum septuagenarium scribens, eidem vitio vertit quod uteretur feminæ συνεισάκτου contubernio. Ille quidem ἐλεύθερον πάντως σαρκικοῦ πάθους *liberum ab omni carnis affectu* profitebatur: quod sane de ejus ætate verisimile fuit. Censuram nihilominus *Basilii* Magni non effugit, quippe etsi criminis suspicio a *Perigorio* sane abesset, pessimo tamen exemplo periculum reliquis creabatur.

Jamque ad *Gregorii* nostri tempora, ac Poemata venimus, quibus titulus est εἰς ἀγαπητὰς *in Agapetas*, & περὶ τῶν συνεισάκτων de *Synisactis* sive *Cointroductis*, ut hoc vocabulum latine aliquo modo reddamus. Monachos autem tantum, & non Clericos, heic S. *Gregorius* hujus flagitii

reos

reos facit. Quod ut melius liqueat, & quomodo Monachi tam se veræ alioqui vivendi disciplinæ addicti, in adeo turpem devoluti sint vitæ rationem, perspiciatur: meminisse oportet, Monachorum olim triplex genus fuisse. Nempe ut S. *Hieronymi* verbis in Epist. ad *Eustochium* 22. utar, *Primum Cœnobitarum quod Ægyptii Sauses gentili lingua vocant, nos in communi viventes possumus appellare. Secundum Anachoretæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt deterrimum atque neglectum, & quod in nostra Provincia aut solum aut primum est. Hi bini, vel terni, vel multo plures simul habitant suo arbitratu, ac ditione viventes* &c. *Cassianus* itidem in Collat. 18. cap. 4. eadem Monachorum genera in Ægypto haberi affirmans, tertium *Sarabaitas* appellari ait. Tum illorum mores, improbamque vivendi normam pluribus describit. Inter cetera inquit: *Hi igitur dum Cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam nec seniorum subjiciuntur arbitrio, in suis domiciliis perseverant, construentes sibi cellulas, easque Monasteria nuncupantes*. Addit infra: *Districtionem Cœnobii declinantes bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura, atque imperio gubernari, sed hoc præcipue procurantes, ut absoluti a seniorum jugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quo placuerit, evagandi, agendive quod libitum fuerit, habeant libertatem* &c. Iisdem ferme verbis a S. *Hieronymo* in Epistola superius laudata, & a S. *Benedicto* in Regula, describuntur Sarabaitarum mores. Quædam tamen addit S. Hieronymus, quæ plurimum ad nostri argumenti illustrationem conferre possunt. *Habitant* inquit, *quamplurimum in urbibus, & castellis. Apud hos affectata sunt omnia laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio Virginum*. En *Hieronymo* teste quanta olim cum licentia Monachi Sarabaitæ viverent, & cum *Virginibus* versarentur. Nullas autem alias virgines heic designatas puto, quam Deo Sacras, & Agapetas, in quarum familiaritatem Monachi isti Cœnobiticam disciplinam perosi irrepserant.

VII. *Gregorius* vero noster in Carm. 46. ad Monachos in *Cœnobia degentes* non obscure duplex Monachorum genus distinguit, eorum nempe qui sub uno Abbate communem vitam moribus sanctissimis ducebant, & eorum qui Abbatibus subjici renuebant. Postremos οἰοβίους appellat hoc est, *solitariæ vitæ addictos*: non quod remoti a populo in eremis viverent, sed quod aliorum Monachorum contubernium fugientes, soli suis in domibus habitarent. Qui igitur Monachi solitudine contemta *in urbibus & castellis* agebant, eos etiam Virginibus συνεισάκτοις, seu *Agapetis* delectatos fuisse omnino verisimile mihi videtur. Quod enim est ad Virgines Deo sacras, animadvertendum est, ipsas primum ædibus propriis & parentum custodia fuisse contentas; tum vero & istas Monasteriis sive Asceteriis, ad instar Monachorum includi, & solemniori voto se Christo dicare cœpisse sacro velamine ab Episcopis accepto. Postremum hoc seculo dumtaxat Christi quarto, usurpari cæptum est. S. *Hieronymus* in Epistola 16. ad Principiam: *Suburbanus* inquit *ager vobis pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, & conversione multarum, gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ*. Idem alibi Monasteria virginum in Oriente excitata describit. Omnino quoque legenda sunt in hanc rem S. Augustini verba lib. 1. cap. 31. de Moribus Eccl. Catholicæ; postquam enim laudavit Monachorum vitam, ita loqui pergit: *Hæc* est vita feminarum Deo sollicite casteque servientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ a viris quam longissime decet; pia tantum illis caritate junguntur, & imitatione virtutis. Ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum, & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent gratia. Audiamus & Nazianzenum qui in Carm. ad *Hellenium* de Virginibus Christo dicatis hæc habet:

Αἱ μὲν ὁμηγερέες ξυνὸν πόθον ἀμφὶς ἔχουσαι
Οὐρανίου ζωῆς ἶσά τε μέτρα βίου

Αἱ

Αἱ δ' ἄρ' ἑοῖς τοκέεσσι παρήμεναι ἀδρανέουσιν,
Ἠὲ κασιγνήτοις μάρτυσι σωφροσύνης

Hoc est: *Aliæ quidem simul congregatæ commune desiderium foventes Cœlestis vitæ, similesque vivendi modos: Aliæ vero suis parentibus assidentes infirmis, aut fratribus testibus temperantiæ* &c.

VIII. Aliæ igitur Virgines erant quæ sub uno conclavi commune vivendi institutum servabant; aliæ, quæ adhuc in paternarum ædium secreto curam parentum atque affinium suscipiebant ipsosque suæ continentiæ testes habebant. Propterea S. *Ambrosius* in Exhort. ad Virgines ita loquitur. *Nullus sit tuus sine matre progressus, quæ sit anxia custos pudoris*. Et quidem inter Virgines sacras, quæ apud Parentes in domo propria versabantur *Marcellina* præcipue fuit ejusdem S. *Ambrosii* soror, quam ille ita alloquitur lib. 3. cap. 1. de Virginibus. *Beatæ memoriæ* Liberius, *quum Salvatoris Natali ad Apostolum* Petrum *Virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares, adstantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate: Bonas, inquit, filia nuptias desiderasti*. *Eustochium* vero, *Principia*, *Sophronium* aliæque non paucæ Virgines, quarum S. *Hieronymus* mentionem facit, nullis sese monasteriis addixerant, & sub una parentum custodia degebant. Quare mirum non est si ex hisce postremis Virginibus nonnullæ interdum aut parentibus fratribusque orbatæ, aut infirmitate aut paupertate, aut aliis incitatæ rationibus, Clericos, & Monachos vagos in contubernium suum adsciscerent, una cum iis peregrinarentur imo communem iis suum quandoque facerent lectum. Necessitatem nimirum hinc petendi alieni ministerii, inde vero præstandi singuli præferebant. Atque ita factum, ut parentum ac fratrum loco sæpe succederent Clerici, sive Monachi ad puellarum Virginitatem custodiendam, seu ut melius dicamus, perdendam. Quis enim tantum sibi a virtute sponderet, ut juxta ardentissimum ignem positus ardorem numquam conciperet?

IX. Sunt in hanc rem S. *Joannis Chrysostomi* orationes duæ, quarum una inscribitur ad viros τοὺς ἔχοντας παρθένους συνεισάκτους, h. e. *qui habent Virgines Synisactas*, sive *cointroductas*; altera ad fœminas τὰς ἐχούσας ἄνδρας συνεισάκτους; h. e. *quæ habent viros Synisactos*, sive *cointroductos*. In secunda hæc S. Episcopus: *Jam autem si te rogavero caussam bujus contubernii, prætextum aliquem dicere potes? Infirma sum mulier, neque sola valeo meo usui sufficere*. Ita vero argumentum hujusmodi *Chrysostomus*: *Enimvero quum hæc cohabitatoribus vestris objicimus ab eis contraria audimus* &c. Tum alia addit, quæ apud illum colligere præstabit. Piis enim nominibus consuetudinem tam absurdam Monachi & Clerici obtegebant, Caritatis videlicet, quam quum omnes in infirmos exercere debeamus, quanto magis ajebant illi, in sexum infirmum? Atque hinc sane *Agapetorum* atque *Agapetarum* nomen originem habuit. Ἀγάπη enim, ut omnes ferme norunt, *dilectionem* & *Caritatem* Latine significat, eamque dumtaxat, quæ animi spiritusve, non corporis conjunctionem parit. Ita fœdum contubernium, ac periculosam vivendi normam sanctissimis nominibus fucabant. Audiamus *Nazianzenum*.

Ἡ ἀγαπητή σου, καὶ τοὔνομα τοῦτο τὸ σεμνόν·
Φεῦ, φεῦ μή τι ἔχῃ καὶ ῥυπαρᾶς ἀγάπης.

Hoc est: *Dilecta tua est, & nomen quidem honestum est*.

Heu, heu ne quid habeat spurcæ dilectionis.

In Carmine etiam Tertio, quod inscribitur *Præcepta ad Virgines*, de Diabolo Virgines perdituro hæc scribit:

Πολλάκι μὲν συνάγειρεν ὁμόφρονας ἀλλήλοισι
Πνεύματι, καὶ φαιὸς ἦλθεν ἐπωνυμίην τε σεμνήν,
Τὴν ἀγάπην καλέουσιν ὑπήλυθεν, αὐτὰρ ἔπειτα
Ἐκ κραδίης ἐπὶ σάρκας ἄγων πόθον ἐγγὺς ἐοῦσας
Ἤ πῦρ τε πυρὸς σπινθῆρα λυγρὰ δίδωσιν.

Hoc est: *Sæpe quidem collegit in unum concordes*

Spiritu & speciem prætulit lucis: cognomentum vero honestum.

(Aga-

(Agapen *vocant*) *subiit*. *At postea*
E corde amorem ad vicinas carnes deflectens,
Aut ignem aut ignis signa molesta reliquit.

X. Nemo autem luculentius Christianæ Caritatis, unde Synisacti sibi præsidium quæsiverant, caussam egit quam Auctor Libri *de singularitate Clericorum*. Quidam *Origeni*, quidam S. *Cypriano* jure potiori opus hoc tribuunt; certe antiquissimus ille & gravissimus scriptor est, Sanctique *Hieronymi* ævo saltem floruit. Ibi Clericos ad *singularitatem* hortatur hoc est a contubernio feminarum avertit, quumque illi *Caritatem* prætenderent licentiæ morum, ita is occurrit: *De Caritate caussantur, qui secundum verbum* Esaiæ *amaritudinem pro dulcedine devorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt, dum apud eos pro falsa Dilectione vera dilectio violatur. Sed exclamat Caritas & appellat: Tales ego non junxi; falsa altera est, quæ me simulando confingit. Numquam Dei præceptis absisto; nunquam fluxis caveo; per me sanctitatem non opto culpari: Calumnias mibi adversa germanitas facit; pericula & ego inter falsos fratres incurri*. Addit infra: *Dilectio est, inquiunt. O dilectio quæ invidet sibi! O caritas, quæ culpit se in vituperatione laudari! Grande miraculum, ut Virginum caritas Virgines faciat velut Virgines æstimari*. Hæc aliaque fuse disertissimus ille scriptor. Et sane quis eorum dictis fidem habuisset, qui cum juvenculis non communem dumtaxat domum, & cubiculum, sed ipsum quandoque lectum habere solebant? Etsi enim quis concessisset, nihil turpe tali in re accidere, certe ingenti discrimini castitas objiciebatur, certe aliorum oculis creabatur non leve scandalum & gravis offensa, atque id malæ consuetudinis imitationem incitabatur prona alioqui in malum mortalium natura. Quanto autem magis declinanda hæc erant a viris, quos in Ecclesiæ suæ ædificationem elegerat Deus? Consuetudinem ita in Carminibus nuper editis improbabat.

Ἔπειτα δέ μοι διαθρύπτῃ
Ὡς δή τις καθαρὸς, καὶ πνεύματι τὴν ἀγαπητὴν
Στέργων.
Deinde vero mihi delicias facis,
Tamquam quis purus sis, & spiritu dilectam
Amans.

Tum hoc præsertim argumentum urget, quod periculo cadendi se nimium exponeret, & scandalis ansam præberet. Audiamus.

Σάρκα φέρων σὺ ζῇς ἀγαπητῇ σάρκα φερούσῃ
Καὶ τί φρονεῖν οἴει τοὺς ῥυπαροὺς περὶ σοῦ
Carnem ferens viris cum dilecta carnem ferente,
Et quid putas de te sentire eademfæce inquinatos?

Reliqua in hanc rem ab ipso pete. Acrioribus autem verbis inflictum Virginitati, & piæ Christianorum caritati vulnus deplorat, S. *Hieronymus* in Epist. 22. ad *Eustochium* de custodia Virginitatis ad eam scribens. *Pudet*, inquit, *dicere*, *proh nefas*, *triste*, *sed verum est*. *Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinarium genus? Plus inferam: unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo; & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus?* Addit etiam: *Frater sororem Virginem deserit, cælibem spernit Virgo germanum, Fratrem quærit extraneum; & quum in eodem proposito esse se* simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi *habeant carnale commercium*. Quibus postremis verbis docemur flagitium istud ea potissimum ratione a SS. Patribus damnatum fuisse, quod inter viros feminasque *eodem proposito*, videlicet Virginitatis servandæ voto adstrictos, locum haberet; tum clarius liquet, *spiritale solatium carnali commercio* caussam, ac obtentum præbuisse. Quod autem ad hunc *Hieronymi* locum animadvertit *Marianus Victorius*, a vero prorsus abhorrere censet *Billius* in notis ad *Nazianzenum*, & *Petavius* in notis ad S. *Epiphanium* Hær. 67. Etenim non a sacris illis Christianorum conviviis quæ *Agapæ* nuncupabantur, & de quibus disquisitionem ego subjungam *Agapetarum* nomen prodiit (ut censet idem

idem *Victorius*) quasi *Hieronymi* tempore in luxum, atque inhonestas epulas conversa fuissent, sed quidem a *Dilectione*, & Spiritus concordia, quo titulo probrosum cum Virginibus commercium Clerici & Monachi honestare solebant. Verum non improbanda omnino *Victorii* conjectura infra videbitur, ubi *Tertulliani* verba quædam e libro *de Jejuniis* proferam; tametsi enim *Hieronymi* ævo non ideo *Agapetæ* nuncuparentur, quod sacris Conviviis sive Agapis libidinem immiscerent, olim tamen ex nonnullorum impietate id factum fuerat.

XI. Ceterum heic adnotare non oblivifcar, male apud quosdam aut improbos aut delicatulos S. *Hieronymum* audiisse, quod *Agapetarum* vitia tam acriter insectaretur. En quid *Sulpitius Severus* ejus æqualis Dialogo primo de ipso habeat. *De familiaritatibus Virginum & Monachorum, atque etiam Clericorum, quam vera quam fortia prædicavit? Unde a quibusdam quos nominare nolo dicitur non amari. Nam sicut* Belgius *noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos: ita illi fremere dicuntur. Sprevit Virgo germanum Fratrem, quærit extraneum* &c. Ipse porro S. *Hieronymus* argumentum hoc alibi consueta eruditione ac libertate pertractat & præsertim in Epist. 47. cui titulus *de vitando suspecto contubernio*, & in Epist. 2. ad *Nepotianum* & in Epist. 51. siquidem ei tribuenda est, quam veluti fœtum suppositium in Tomum IX. rejecit *Marianus Victorius*. Hisce scriptoribus *Agapetarum* abusum sugillantibus accedere posset S. *Augustinus* in Epist. 236. & S. *Isidorus* Pelusiota lib. 2. Epist. 62. & 84. quos tamen compendii gratia omitto, ad alia progressurus.

XII. Quo speciosius Virginum familiaritatem Clerici & Monachi incrustarent, feminas *Synisactas* appellare consueverunt *Sorores*, se vero *Fratres*. Juvat Ancyranæ Synodi Canonem XIX. repetere his conceptum verbis. Τὰς συνερχομένας παρθένους τισίν, ὡς ἀδελφαῖς, ἐκωλύσαμεν. *Virgines quæ cum quibusdam congrediuntur tamquam sorores, probibuimus*: Eodem etiam sensu prolata sunt laudata nuper *Hieronymi* verba: *Cœlibem spernit Virgo germanum, Fratrem quærit extraneum*. Atque huc referenda est l. 44. Cod. Theodos. lib. 16. tit. de Episcopis Eccles. & Clericis, Anno Ch. 420. promulgata. Ibi enim Imperatores, ut pertinacem morbum frustra Canonibus Ecclesiasticis antea proscriptum suis etiam edictis exulare cogant, his utuntur verbis; *Eum qui probabilem Sæculo disciplinam agit, decolorari consortio* SORORIÆ *appellationis non decet. Quicumque igitur cujuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur vel Clericatus honore censentur, Extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant*. En *Sororia appellatio* familiaris *Agapetarum* generi ut melius libido celaretur. En iterum *extraneæ* mulieres a Clericorum contubernio rejectæ: quod etiam in Illiberitano Concilio Can. 27. deinde vero in Conciliis constitutum fuit. Propterea in Nicæno Can. 3. qui supra a nobis productus fuit vocem συνεισάκτους, sive *Synisactos* vetusti Scriptores *Fulgentius Ferrandus* cap. 112. & *Isidorus* Mercator verterunt extraneas mulieres. *Julianus* vero Constitut. 3. ex Novella 6. hæc ait: *Nulla autem facultas Diaconissis tributa est, habere secum quosdam velut Fratres, sive cognatos, sive quos dicere solent* Ἀγαπητάς. Alii Interpretes id feminarum genus *subintroductas, intromissas*, vel *adscititias*, atque etiam *commanentes* appellarunt, ut Veteres Canonum collectiones fidem faciunt. Vide si lubet, Concilii Carthaginensis Tertii Can. 17. relatum etiam in Decreto Dist. 81. *cum omnibus* &c. ubi Clericis *extranearum feminarum* cohabitatio interdicitur. Canone autem 25. ejusdem Concilii vetantur iidem ad Viduas, vel virgines accedere, *nisi jussu vel permissu Episcoporum*, quod etiam statuitur in Codice Canonum Eccl. Afric. cap. 38. His adde Epistolam I. *Siricii* Romani Pontificis ad *Himerium* Tarraconensem & Concilii Arelatensis Secundi Canonem 3.

XIII. Heic autem *Henrici Dodwelli* verba præterire non possum ita scribentis in Dissert. 3. Cyprianica ubi de *Synisactis*. *Quod huc referunt Canonem Tertium Concilii Arelatensis Secundi, frustra faciunt, ut existimo. Fateor equidem Canonis Nicæni iisdem fere verbis eum Canonem esse conceptum. Quod vero additur inter feminas exceptas conversa uxor, plane id a Nicænorum Patrum mente; a* συνεισάκτων, *ut vidimus exemplo alienum est; plane sapit* Siricium

ricium cœlibatus Clericorum patronum acerrimum, ipsum quoque venerandum illud, novis ausis, Nicænorum Patrum quærentem patrocinium. Hæc Dodvvellus, confidentissime sane, qui & hæc alia mox addit: *Quum recentiorum sæculorum superstitione ita erevisset Virginitatis existimatio, ut conjugatis etiam æmulanda videretur, jam multi erant, qui sub conjugii prætextu Virginitatem nihilominus illibatam conservarint. Hos Fratrum Sororumque titulis ornant illorum sæculorum Scriptores ut a maritorum uxorumque illos officiis distinguerent*. Jubet me locus iste proferre Arelatensis Canonis verba, ubi Clericis illis anathema dicitur, *qui in solatio suo mulierem, præter aviam, matrem, filiam, neptem, vel conversam uxorem secum habere præsumpserint*. In Concilio autem Nicæno vetantur Episcopi Presbyteri, ac Diaconi *cointroductas* seu συνεισάκτας mulieres in contubernio suo retinere, præterquam *matrem, vel sororem, vel amitam; vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt*. Ubinam heic, inquies, conversa uxor memoratur, quam tamen Arelatensis Canon commemorat? At, inquam ego, est ne propterea a Nicænorum Patrum Constitutionibus alienus Arelatensis Canon, unumque *Siricium* sapit acerrimum cœlibatus patronum? Nequaquam profecto. Etenim aut uxores in Sacerdotum contubernio permisit Nicæna Synodus, aut minime. Si primum; cur matre, sorore, atque amita, de quarum continentia dubitare vix licebat, singillatim enumeratis *uxorem* prætermisere Sanctissimi Patres? Debuerat ejus ante alias exprimi nomen, nam uti infra innuam, testibus innumeris Scriptoribus, ne Synodi quidem Nicænæ temporibus, Episcopi atque Presbyteri uxoriæ rei dare operam sinebantur, saltem in plerisque Catholicorum Ecclesiis. Sin autem Nicæni Patres uxorum quoque cum Clericis cohabitationem edicto illo vetuere: quid aliud fecit Arelatense Concilium, nisi id ex indulgentia concedere quod vetitum ante fuerat, dummodo inter eos nullum amplius intercederet commercium carnis, & vir *Fratris*, uxor vero *Sororis* appellatione deinde contenti essent?

XIV. Quod si historiam *Paphnutii* a *Socrate* ac *Sozomeno* literis traditam heic aliquis recantet probaturus, ipsis quoque Sacerdotio initiatis conjuges retinere olim liberum fuisse; videat ne rem dubiæ fidei in subsidium advocet. Nam si vera *Paphnutii* Historia est, apertissime etiam constabit, reliquos Nicæni Concilii Patres in eam inclinasse sententiam, ut cœlibatus a Presbyteris omnino servandus esset, quod jam pluribus in locis religiose fiebat, unumque *Paphnutium*, ceteris dissentientibus intercessisse, & conjugii vinculum vel post Presbyterii susceptum munus suasisse. Ratio ergo poscebat ut Nicæni Patres de concesso Presbyteris uxorum contubernio aliquid innuerent, ne silentio suo illud viderentur interdixisse. Sed quæ *Paphnutii* Historiæ habenda sit fides, e S. *Hieronymo* facile possumus intelligere. Ante *Socratem* & *Sozomenum*, qui de *Paphnutio* talia scripsere, ipsoque seculo, quo habita fuit Nicæna Synodus, floruit *Hieronymus*. At is eorum certe non ignarus, quæ in celeberrima illa Synodo peracta fuerant, ad *Pammachium* in Epist. 50. vulgatissima hæc verba scribit: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici*: Tum Contra *Jovinianum*: *Certe confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur*. Neque est quod quis objiciar *Hieronymum* de consuetudine tantum Occidentalis Ecclesiæ agere: etenim Orientis, Ægyptique Ecclesias, atque ipsam *Petri* Sedem consuetudine hac prorsus obligari affirmat, adversus Vigilantium disputans. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt aut continentes, aut si uxores habuerint mariti esse desierunt?* Id etiam ab Africanis Ecclesiis constitutum fuisse nos docent Canones Africani 3. 4. 16. 25. 70. & Can. 2. Concilii Carthag. 2. anno 397. ubi videas ab ipsa Apostolorum traditione, atque institutione moris tam pii primordia derivari. His accedat S. *Epiphanii* auctoritas in Compendio lib. 3. imo totus antiquorum Patrum chorus ac præcipue *Eusebii* lib. 1. De Demonstr. Evang. cap. 9. *Gregorii* Nysseni, *Ambrosii*, *Chrysostomi*, & *Oe-*

& *Oecumeni*, quorum testimonia colligas a *Baronio* ad annum Christi 58. & 325. a *Bellarmino*, a *Coccio*, aliisque vetustis Polemicæ Theologiæ Scriptoribus & a nuperis Prænotionibus Mystagogicis C. V. *Nicolai* Comneni *Papadopoli*, Resp. 3. sect. 8.

XV. Igitur ab uxoribus Seculo etiam vulgaris Epochæ quarto abstinebant Sacerdotes; & quum innocentiæ suspicionem contubernium illarum cum iis qui olim mariti fuerant, secum trahere posset, hinc a Nicænis Patribus tacita constitutione uxores cum Clericis habitare prohibentur. Grave ut arbitror, postea nonnullis visum est, mulieri, quæ ante Sacerdotium ad familiam regendam liberosque procreandos, Deo auctore, destinata fuerat, ita renunciare, ut ab ipsa familia, ac maritali domo excludenda foret. Quamobrem Constantinopolitani Imperatores Anno Christi 420. auctores fuerunt, ut uxores domi retinere Clericis liceret, alienato tamen quovis carnis consortio. In Lege 44. Cod. Theod. Tit. de Episcop. & Cler. lib. 16. quam retulimus supra, hæc habentur: *Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium; neque enim Clericis incompetenter adjunctæ sunt, quæ dignos Sacerdotio viros sui conversione fecerunt*. Et huc referendus videtur Canon inter Apostolicos, ut vulgo audiunt, quintus ita conceptus: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat*. Itaque si omnia a nobis prolata bene perpendantur testimonia, palam fiet, nil contra Nicænorum Patrum mentem ausos fuisse Arelatenses Patres, & *Siricium* Pontificem Maximum consuetudinem Ecclesiarum ferme omnium suis decretis confirmasse, imo indulgentia majori, quam Nicænos Episcopos, usum; quamquam ab Hæreticis veluti severissimus cœlibis vitæ patronus traducatur. Multo magis constabit impudenter agere Dodwellum, quum Presbyterorum castitatem, & Virginitatis cultum *superstitionem seculorum recentiorum* appellat, tota certe in ipsum antiquitate reclamante.

XVI. Ceterum erudite facit Dodwellus, dum scribit *Fratrum Sororumque titulis* post Sacerdotium susceptum consuevisse donari, qui prius *mariti* atque *uxores* fuerant. Nimirum sublata corporum conjunctione, restabat animorum, & instituti Sanctissimi concordia. Id & ego supra adnotavi ad *Nazianzeni* Carmina εἰς ἑαυτόν & ad S. *Paulini* Nat. XIII. Tom. I. Anecdot. ubi de conjuge sua *Therasia* adstante agens Deum ita alloquitur:

Tu carnea nobis
Vincula rupisti.

Idacius vero eamdem *Therasiam* de conjuge Sororem *Paulini* factam in Chronico tradit. Dodwellus ipse *Amphilochii* locum citat in vita S. *Basilii*, ubi memoratur cujusdam *Anastasii* Presbyteri γυνὴ ὀνόματι μὲν ἀδελφὴ δὲ τῷ σχήματι: *Uxor quidem nomine, at revera Soror*. Eadem nos docet *Hieronymus* in Epist. 28. ad *Lucinium* ubi inquit: *Habes tecum prius in carne nunc in spiritu sociam de Conjuge Germanam, de femina virum, de subjecta parem*. Et in Vita *Malchi*: *Habeto me conjugem Pudicitiæ & magis animæ copulam amato quam corporis*. Verum antiquiora etiam istius consuetudinis istorumque nominum, exempla habemus, ut intelligat *Dodwellus* non recentiorum sæculorum esse inventum morem dirimendi conjugalis commercii quo castitas deinde coleretur. Certe vel ipsis ferme Apostolorum temporibus hæc scribebat S. *Herma* lib. 1. Pastoris: *Post multos annos puellam hanc visam recognovi & cœpi eam diligere ut Sororem*. Infra addit: *sed impropera verba hæc filiis tuis omnibus & Conjugi tuæ, quæ futura est Soror tua*. Libro etiam 3. similitud. 9. cap. 11. Virgines quædam ita Hermam alloqui finguntur: *Nobiscum dormies, ut Frater, non ut Maritus*. Ad quæ loca eruditissimi *Cotelerii* notas consulere licet: ibi enim citantur *Clementis* etiam Alexandrini testimonia e lib. 3. & lib. 6. *Stromat.* & *Venantius* Fortunatus, & Canon 13. Concilii Arvernensis, & 12. Concilii Turonensis, & 12. Matisconensis primi.

XVII. Revocant me in semitam, unde divertere me coegit Dodwellus, confidentissimum ingenium, S. Hermæ verba, ut quo tempore in Ecclesiam Dei irrepserit *Agapetarum* pestis, & *Synisactorum* abusus, investigem diligentius. Si fidem Dodwelli conjecturis habemus, ad S. *Cypriani* ævum or-

ortum suum debent *Agapetæ*; miram enim, ut hic scriptor ait, continentiæ rationem a Christianis antea habitam fuisse, S. Justini, Athenagoræ, & Minutii auctoritate constat, neque locus antea fuerat *Agapetarum* sordibus. Sed longe ante *Cypriani* tempora hujusmodi morbum invaluisse, facile mihi persuadeo. Audisti, quid Virgines illæ ad S. Hermam dixerint, nempe: *Nobiscum dormies, ut Frater, non ut Maritus*. Erant igitur vel ea tempestate, qui cum Virginibus communem lectum haberent; & quum in eorum consuetudine aut nulla intercederet aut alia intercedere fingeretur impudicitia, ideo non *Mariti* sed *Fratres*, appellabantur. Pergit autem narrare S. *Herma*, quid postea sibi contigerit. *Ea vero*, inquit, *quæ ex illis prima esse videbatur, complexata me est & osculari me cœpit: ceteræ vero quum vidissent me amplexari ab illa, & ipsæ cœperunt me ut* FRATREM *osculari*. Addit infra: *Mansi ergo illa nocte cum eis juxta eamdem turrim. Straverunt autem tunicas suas linteas in terram, & me in medio collocaverunt, nec quidquid aliud faciebant, nisi quod orabant*. Vides ut nullus libidinis afflatus Hermæ cum Virginibus concubitum postea corruperit. Hoc idem jactitavere subinde reliqui συνεισάκτοι, revera cum Virginibus concubantes, quod tamen S. *Herma* ab eis dissimilis in visione tantum sibi objectum fuisse confixit.

XVIII. Erunt nihilominus, ut suspicor, qui tam vetustam *Agapetarum* originem esse non putent, quippe in Pastoris libro non res vera sed ficta narratur. Clarius igitur hac de re testimonium e Tertulliano petamus qui certe ante S. Cypriani tempora floruit. Is in lib. de jejuniis cap. ultimo, ita in Catholicos, e quorum castris ad Montanum defecerat, oratione invehitur. *Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. Sed major his est* AGAPE, *quia per hanc adolescentes tui cum* SORORIBUS *dormiunt. Appendices scilicet gulæ, lascivia atque luxuria. Quam societatem & Apostolis sciens, quum præmisisset: Non in ebrietatibus, nec in comessationibus; adjunxit; Nec in cubilibus, & libidinibus*. Quibusdam igitur Catholicis *Tertullianus* dicam dicebat, quod eorum adolescentuli, peractis non sine nimio epularum usu Agapis, interdum cum Virginibus dormire non dubitarent. Verane an falsa lividus hic Scriptor nobis narret, incertum est mihi. Illud certum, quum huic flagitio prætextum gloriosumque vocabulum *Dilectionis* sive AGAPES obtenderent adolescentes; quare vides eos *Tertullianum* deridere, quasi majorem quam quæ in sacris eorum temporum conviviis, sive *Agapis* erat, *Agapen*, atque *Dilectionem* præ se ferrent. In lib. etiam de Pudic. cap. 10. Calices Catholicorum insculptumque illis sub imaginem Boni Pastoris Jesum Christum ipse Tertullianus appellat *ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post Calicem subsequuturæ*. Idem alio in Libro, nempe de Exhort. Castitatis cap. 12. secundas improbans nuptias, & quarumdam spiritalium uxorum usum commendans *Agapetarum* consuetudinem innocenter approbare videtur. Inquit enim: *Habe aliquam uxorem spiritalem; adsume de viduis, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam. Hujusmodi uxores etiam plures haberi Deo gratum est*. Certe hinc sibi Agapetæ aliquod defensionis argumentum arripere deinceps potuerunt.

XIX. Ut tamen altius inquiramus in hujus pestis originem, ad Platonicam Philosophiam primo divertere necesse est. Vix autem est quisquam inter eruditos, cui hanc in rem *Socratis* ac *Platonis* dogmata ignota sint. Scilicet *Amorem* quemdam Philosophi illi excogitarunt non corporum quidem, sed animorum, & hunc masculis etiam erga masculos communem fecere, uti luculenter ostendit in Præfatione ad *Platonis* convivium *Marsilius* Ficinus. Hinc Apulejus *Platoni* impense addictus tum alibi tum præcipue in Apologia totus est in Amoris hujus commendatione; & de *Venere*, ut appellat, *Cœlite* loquens, *solis* inquit, *illam hominibus datam esse & eorum paucis, nullis ad turpitudinem stimulis, vel illecebris sectatores suos percellentem. Quippe ejus amorem non amœnum, & lascivum, sed contra incomtum, & serium pulchritudine honestatis virtutes amatoribus suis conciliare*. Porro ab Ethnicis ad Christianos speciosus hic amandi ritus aditum sibi fecit; atque uti apud illos quamplurimi male

audiebant, quod amorem animorum corporeis tantum illecebris corrumperent, ita & apud istos eadem sinistra fama invaluit. *Fratris* autem ac *Sororis* nomina quibus συνεισάκτων velare deinde suam impudicitiam, atque a maritis distingui consueverunt, ipsa quoque a Gentilibus accepere Christiani, uti plura profanorum Scriptorum exempla, & loca docere nos possunt. Præterea si quidquam in re adeo a temporibus nostris remota conjicere licet, quibusdam Pauli Apostoli verbis Agapetas abuti cœpisse suspicor. Inquit in Epist. ad Cor. cap. 9. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι; *Numquid non habemus potestatem mulierem Sororem circumducendi sicut & reliqui Apostoli?* Quibus verbis significare videtur Paulus, ceteris Apostolis non uxores quidem fuisse sed matronas quasdam honestissimæ vitæ, quæ tum Apostolis ipsis, tum sanctis aliis viris liberaliter victum suppeditarent eisque sese comites adderent. Idcirco *Sorores* nuncupatæ, ut maritalis licentiæ suspicio prorsus excluderetur. *Aut certe*, inquit S. *Hieronymus* lib. 1. adversus Jovinianum, *si γυναῖκας uxores accipimus, non mulieres: id quod additur* SORORES, *tollit uxores & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non conjuges*. Quare conjectura ducor, primis etiam Christianæ Reipublicæ temporibus quosdam fuisse, qui ut libere cum feminis versarentur, his Apostoli verbis, uti & Sororis appellatione fuerint abusi. Aliud fortasse exemplum sacris e Literis petitum suam in rem trahere potuerunt *Agapeti* uti videre est apud S. *Epiphanium* in Hæresi 78. quæ est Antidicomarianitarum n. 11. Postquam ernditus iste Scriptor caussam tradidit cur Joanni Apostolo Virginem Matrem e Cruce pendens commendarit, hæc subdit: Ἀλλὰ μὴ τοῦτο σφαλῇ εἰς βλάβην τινὶ, καὶ δόξωσιν ἐν τούτῳ λαμβάνειν πρόφασιν συνεισάκτους καὶ ἀγαπητὰς ἐπικαλουμένας ἑαυτοῖς ἐπιλοῦσιν διὰ κακομήχανον ὑπόνοιαν. *Vereor ne hoc ipsum quod dico, fraudi sit aliquibus aut ad Synisactas & Agapetas, quas vocant, feminas retinendas, quod genus pessimo sibi animi errore machinati sunt, fucum inde aliquem, & colorem accessisse videantur*. Verbis etiam Apostoli scribentis ad Philemonem abutebantur nonnulli, ut in Commentariis ad eamdem Epistolam prodit hæc scribens Theodoretus: Ὁ μακάριος Παῦλος ἀγαπητὴν ὠνόμασε τὴν Φιλήμονος ὁμόζυγα, ὡς τῇ πίστει κοσμουμένην. Θαυμαζέτω δὲ μηδεὶς, εἰ καὶ προσκόπτουσι νῦν τινες τῷ ὀνόματι τούτῳ. Οἱ γὰρ κακῶς κεχρημένοι τῷ πράγματι, τῇ προσηγορίᾳ τὴν λοιδορίαν προσῆψαν. πάλαι δὲ σεμνὸν τὸ ὄνομα καὶ ἀξιέπαινον ἦν. Hoc est: *Philemonis conjugem ut quæ fide esset ornata, Beatus Paulus Agapetam sive dilectam appellavit. Nemo autem miretur, si nunc aliqui hoc verbo offenduntur. Qui enim re male usi sunt, effecerunt, ut male vocabulum ipsum audiret. Erat autem nomen olim honestum & laude dignum*.

XX. At quando *Epiphanii* eruditissimi & sanctissimi Scriptoris mentionem nuper injeci, non prius illum dimittam, quam nobis aperuerit, quibus præcipue Hæreticis *Agapetarum* consuetudo olim placeret. Auctor ille est in Hær. 63. quæ est Originariorum num. 21. solitos fuisse hujus Sectæ cultores obscœnis libidinum modis sese inquinare, atque id potissimum curasse, ne in corruptis mulieribus aut fœtus conciperent, aut signum ereptæ pudicitiæ appareret. Quin castitatis nomen nefandis congressibus obtendebatur, cui virtuti omnium maxime se illi simulabant addictos. At de Hieracitis in Hær. 67. num. ultimo clarius loquitur *Epiphanias*, siquidem inquit: Χλευάζονται δὲ πάλιν μάλιστα δι' ἃς κέκτηνται ἰδίως συνεισάκτους γυναῖκας δι' ἃς φάσκουσι φιλοτιμοῦνται ἔχειν εἰς ὑπηρεσίαν. Idest: *Ceterum ridiculi vel maximi sunt* (Hieracitæ) *ob adscitirias illas, & Cointroductas feminas, quas quum apud se habeant, ad quotidianum dumtaxat ministerium eas se adhibere gloriantur*. Encratitas quoque hujusmodi morbo antiquitus laborasse evidenter idem *Epiphanius* affirmat. Quamquam enim continentiam ii gloriose admodum jactitarent, assidue amen cum virgunculis, atque mulierculis versabantur, cum iis iter faciebant, communem habebant, & domum, & mensam earumque ministerio utebantur. Quod si ad Nicolaitas reliquorum fere Hæreticorum Antesignanos, primordia *Agapetarum* referre velis, non insulse id facias, sed nullum rei testem dabis. Attamen animadversione dignum est quod de Gnosticis

sticis a *Nicolao* prognatis idem S. *Epiphanius* scribit ad Hæresim 26. Nihil magis exploratum est, quam id hominum genus in omnem impudicitiam libere palamque effusum fuisse. Viri autem ab uxoribus discedentes, ita singuli singulas alloquebantur Ποίησον τὴν ἀγάπην μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ. *Fac Agapen cum Fratre*. Quibus ex verbis tum antiquitatem tum etiam originem *Agapetarum* intelligere possumus, quum certe concubitum turpem, *Agapes*, seu *Dilectionis* nomine obtegerent Gnostici, impurosque concumbentes non alio, quam *Fratris* nomine appellare solerent. Atque hæc de vetusta hujusmodi pestis origine.

XXI. Verum pervicaci morbo, uti jam vidimus, SS. Patres, & Concilia singulis seculis ire obviam, ac obniti non cessarunt, non rationibus modo, sed severis edictis, *Agapetarum* usum a Christiano grege exturbare conantes. Præter ea, quæ hactenus produximus, illustria sunt documenta Concilii Toletani primi habiti Anno Christi 420. cujus Canon 6. Puellam Dei, videlicet Virginem Deo dicatam prohibet familiaritatem habere *cum Confessore aut cum quolibet Laico, sibi sanguinis alieni:* Toletanum vero Quartum habitum An. Ch. 633. Can. 42. *Cum Clericis*, inquit, *extraneæ feminæ nullatenus habitent*. Et Can. 43. damnat *quosdam Clericos, qui legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt*. Concilium Aurelianense Primum habitum An. Ch. 511. Can. 29. *Canonum statuta* renovat *de familiaritate Extranearum mulierum*. Turonense vero secundum An. Ch. 567. Can. 10. *Nullus*, inquit, *deinceps Clericorum pro occasione necessitatis, aut causa ordinandæ domus extraneam mulierem in domo sua habere præsumat*. Et Can. 13. Ministris Ecclesiæ facultatem largitur *mulieres extraneas de frequentia cohabitationis ejiciendi*. Concilium quoque Moguntinum habitum An. Ch. 888. Can. 10. non *Extranearum* tantum, sed & omnium feminarum contubernium Clericis interdicit.

XXII. Longam texerem Historiam, si singula Conciliorum reliquorum Sanctorumque Patrum hac de re decreta proferre vellem. Proinde sat erit memorasse tum Concilium Trolejanum Primum ubi cap. 9. multa in hanc materiam colliguntur, tum potissimum geminas Chrysostomi Orationes contra τὰς συνεισάκτους, in quibus pessimum facinus totis eloquentiæ nervis profligatur, quod & *Palladius* in Dialogis de Vita *Chrysostomi* tradidit, itemque *Claudium* Espencæum lib. 6. de Continentia. Neque Augusti Imperatores sibi defuere ut ab orbe Christiano hujusmodi impudicitiæ genus eliminarent; etenim præter Legem 44. Cod. Theodos. Tit. de Ep. Eccles. & Cler. quam supra indicavimus, & quam in Cod. Justinian. eodem Tit. & in Leges Bajoariorum Tit. 1. translatam habes, *Justinianus* ipse Novella 123. cap. 29. & Novella 137. cap. 1. *Extranearum* mulierum consortia proscripsit. Omitto quæ *Photius* in Nomocanone, *Balsamon* aliique Græci de hisce mulieribus habent sive *Synisactis*, sive *Agapetis*, sive *Extraneis*, quo postremo vocabulo quamquam non diffitear, feminas interdum qualcumque significari, in quas inhonesti cum Clericis contubernii suspicio cadere posset, vidimus tamen plerumque designari solas Virgines sacras in suum contubernium a Clericis aut Monachis adscitas.

XXIII. Nostrorum itaque temporum mores, piamque consuetudinem laudare tandem liceat nobis, quando omnes fere Virgines Christo per solemne votum nuptæ, Monasteriis sese includendas tradunt subeuntque pro ejus amore voluntarium ac perpetuum carcerem, quo neque viris, neque libidinum suspicioni accessus, reclusus incontinentiæ aditus, quum sibi nunc, & Deo prorsus vivant in secretis sedibus, quæ olim huc illuc vagantes Mundo potius, quam Christo vivere consueverant. Jam habet quod exoptat Christus puritatis amans, puras videlicet, atque a periculo deinceps cadendi remotas Virgines suas. Utinam tam pium studium in Ecclesia Dei semper excolatur, & fæda *Agapetarum* τῶν συνεισάκτων nomina apud Majores nostros damnata audire contenti, damnare numquam amplius debeamus. Cum his votis quiescens tua simul, *Montfauconi* amantissima, atque aliorum patientia diutius abuti desino.

AD

AD CAP. XV. seqq.

P. D. JOHANNIS MABILLONII MONACHI BENEDICTINI

De Monachorum origine, statu & Regulis in Occidente ante S. P. Benedictum.

DISSERTATIO XLVI.

I. FIdei Christianæ ortum & progressum pene e vestigio subsecuta est monastica institutio, & naturali quadam lege ex Oriente in Occidentem pervasit. *Basilium* Ducem præcipue celebrant Orientales, *Benedictum* Occidentales Monachi, utrumque rectius Monastices præconem, propagatorem ac Legislatorem dixeris, quam auctorem primarium. *Basilium* brevi quidem intervallo præcessit magnus ille *Antonius* Ægyptius, *Benedictum* duobus ferme sæculis qui in Occiduas partes induxerunt Monachorum Instituta. Hæc (si *Baronio*, an.328. n.20. credimus) accepit *Roma* ab *Antonio* magno per *Athanasium* Episcopum Alexandrinum: a Romana vero Ecclesia velut e promptuario disciplinæ aliæ omnes Occidentalis orbis Ecclesiæ mutuatæ sunt. *Athanasius* anno Domini 340. in urbem accessit. *Nulla eo tempore*, inquit *Hieronymus* (in Epist. 16. ad Princip. de *Marcellæ* Epitaph.), *nobilium feminarum noverat* Romæ *propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem, ignominiosum (ut tunc putabatur) & vile in populis nomen assumere. Hæc* (Marcella) *ab Alexandrinis prius sacerdotibus Papaque* Athanasio, *& postea* Petro, *qui persecutionem* Arianæ *hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum* Romam *confugerant, vitam B.* Antonii *adhuc tunc viventis Monasteriorumque in* Thebaide, Pachumii *& Virginum ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri quod Christo placere agnoverat*. Deinde *Hieronymo* (ibid.) *Romæ* commorante fuerunt *tam crebra Virginum Monasteria Monachorumque innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ*. Augustinus, de Morib. Eccl. c. 33. Romæ *etiam plura* Monasteria *cognovit in quibus singuli gravitate & divina scientia pollentes, ceteris secum habitantibus præerant Christiana charitate, sanctitate & libertate viventibus*.

II. *Eusebio* primum Vercellarum Episcopo ab anno circa 340. ad 371. id elogii attribuit *Ambrosius* lib. 10. Ep. 82. quod *primus in Occidentis partibus diversa inter se conjunxit, ut & in civitate positus Instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate*. Et erat, *Augustino* teste, lib. 8. Conf. c. 6. *Monasterium* Mediolani *plenum bonis Fratribus extra urbis mœnia sub* Ambrosio *nutritore*. Quo Monasterio nullum forte in tota Italia antiquius, si ante annum 313. (quemadmodum *Ferdinandus Ughellus*, Tom. 4. Ital. sac. affirmat) a *Mirocle* Mediolanensium Antistite conditum fuit. Legimus apud *Severum Sulpicium*, (Vitæ), S. Martinum, c. 4., Turonicum postea Episcopum, Mediolani *sibi Monasterium statuisse*, ubi *cum* Auxentius *Auctor & princeps* Arianorum *gravissime insectatus est, multisque affectum injuriis de civitate exturbavit*. Inde *Martinus* in Insulam Gallinariam se recepit, ubi aliquandiu vitam Monasticam coluit.

III. S. Augustinus Ambrosii exemplo edoctus (Possid. in vita S. August.) *factus Presbyter Monasterium intra Ecclesiam* (Tagaste in Africa) *mox instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundum modum & Regulam sub Sanctis Apostolis con-*

stitu-

ſtitutam. Taceo in Inſulis Dalmatiæ choros a *Nepotiano* frequentatos, ut ſcribit *Hieronymus* (Ep. 1.) ad *Heliodorum*: taceo *Inſulas & totum* Hetruſcum *mare* Volſcorumque *provinciam*, *& reconditos curvorum litorum ſinus*, *in quibus* tempore *Hieronymi* (Ep. 30.) *Monachorum conſiſtebant chori*. Mitto *Caprariam* & *Gorgoniam* Inſulas a Monachis cultas. Satis hæc ſunt ad demonſtrandam vitæ Monaſticæ in Italia originem ſæculo quarto. Elanguit Monaſtica inſtitutio in illis regionibus ſæculo inſequente ob *Gothorum*, *Hunnorum*, *Vandalorum*, & *Erulorum* irruptiones: ſed tandem ineunte ſæculo ſexto reſpirare cœpit, & *Benedicto* auctore Aegyptiorum Monachorum celebritatem adæquavit.

IV. *Italiam* in Monaſtico ſtatu excolendo æmulata eſt ac propemodum ſuperavit *Gallia*. *Martinus* (Sever. Sulpic. in vita S. Mart. c. 5.) ex Inſula Gallinaria ad S. *Ailarium* Pictavorum Epiſcopum ab exilio reverſum ſe recipiens, *haud longe ſibi ab oppido Monaſterium collocavit*. *Gregorius* Turonicus Epiſcopus (lib. 4. Mir.) *Monaſterium* Lociacenſe appellat, *diſtans ab urbe* Pictavis *quaſi ſtadiis quadraginta*. Procedente tempore *Martinus* (c. 30. Sever. ibid. c. 7.) *factus Epiſcopus Turonenſis*, *aliquandiu adhærenti ad Eccleſiam cellula uſus eſt*. *Deinde cum inquietudinem ſe frequentantium ferre non poſſet*, *duobus fere extra civitatem millibus Monaſterium ſibi ſtatuit*. Majus Monaſterium hactenus vocatur. Brevi adeo Monachorum numerus *Martino* auctore accrevit, ut ad S. *Antiſtitis exequias Monachorum*; *fere duo millia conveniſſe dicantur*. *Specialis*, inquit *Severus Sulpicius* (Ep. ad Baſſul.) Martini *gloria*, *cujus exemplo in Domini ſervitute ſtirps tanta fructificaverat*.

V. Inſulam Barbaram paulo ſupra confluentes Araris & *Rhodani* in medio *Araris* ſitam, Monachos ab antiquis retro temporibus habuiſſe conſtat, fortaſſe ante S. *Martinum*. Eo ſæviente *Septimi Severi* perſecutione Chriſtianos ſe recepiſſe ferunt. Certe apud *Gregorium* Turon. (de gl. Conf. c. 22.) S. *Maximus* B. *Martini* diſcipulus occultare ſe cupiens, *apud Inſulam* Barbaram *Monaſterii* Lugdunenſis perfugiſſe legitur.

VI. S. *Honoratus*, anno 426. Epiſcopus Arelatenſis ordinatus, in Inſula maris mediterranei extremæ Provinciæ Phocenſi adjacente, quam *Lerinum* nuncupant, Monaſterium Lerinenſe extruxit. Is primum divenditis facultatibus & in pauperes diſtributis, & cum eo *Venantius* frater duce *Capraſio* ſene *in Orientis oras*, inquit S. *Hilarius* (in vita S. *Honorati*) ipſius diſcipulus & in Sede Arelatenſi ſucceſſor, *& quæcumque alia plena Sanctis loca accipiendi exempli gratia accedunt*. Mortuo in Achaja *Venantio*, *Honoratus* in Galliam redux, *vacuam Inſulam ob nimietatem ſqualloris*, *& inacceſſam venenatorum animalium metu* Alpino *haud longe jugo ſubditam petit*: ubi conſtructo Cœnobio *certatim ſe jam illuc omnis regio quærens Deum dirigebat*. Honoratum *expetiit quiſquis Chriſtum deſideravit*, *& plane Chriſtum*, *quiſquis* Honoratum *expetiit*, *invenit*. *Itaque velut ulnis effuſis protenſiſque brachiis in amplexum ſuum omnes*, *hoc eſt in amorem Chriſti invitabat*, *omnes undique ad illud certatim confluebant*. *Etenim quæ adhuc terra*, *quæ natio in Monaſterio illius cives non habet? In proxima* Lerino *inſula*, hoc eſt in *Lerone*, degebat S. *Eucherius*, qui in Sermone de Laude Eremi multa præclare de Lerino adducit, ubi erant *auctore* Honorato *ſancti ſenes*, *qui diviſis cellulis Aegyptios Patres Galliis intulerunt*.

VII. An vero prætermittemus illuſtrem Galliæ noſtræ hoſpitem, immo popularem noſtrum *Joannem Caſſianum*, qui ſæculo quinto in civitate Maſſilienſi inclytum Aſceterium ædificavit, ac quinque millia Monachorum rexiſſe dicitur. Is ultimas Collationes ſeptem *ad Sanctos*, *qui in Stœchadibus conſiſtebant inſulis*, *Fratres* ſcripſit, quæ inſulæ ab urbe Maſſilia brevi millium ſexaginta freto diſtant.

Eodem fere tempore Monachi Condateſcenſes in locis Jurenſibus; Autiſſiodorentes a B. *Germano* inſtituti; Divionenſes S. *Benigni*; Ternodorenſes apud Burgundiones; Menatenſes apud Arvernos, Miciacenſes Aureliæ; Grinniacenſes Viennæ; Agaunenſes Octoduri, ſanctitate florebant. Et hic quidem Reipublicæ Monaſticæ ſtatus ad S. P. *Benedicti* ætatem in Galliis erat. Supereſt ut de Hibernia, Gothia, Illi-

Illiryco & Hispania, quæ solæ ex Europa nationes Monachismum ante S. *Benedictum* suscepisse videntur, paucis absolvamus.

VIII. S. *Patricium* a *Cælestino* Papa circa annum 530. in Hiberniam missum, Fidem vitamque Monasticam propagasse, *Probus* in ejus Vita auctor est. E Mesopotamia in Scythiam Monachorum instituta transtulit *Audæus*, qui teste *Epiphanio*, (Hær. 70.) *a* Constantio *relegatus Monasteria fecit in* Gothia. *Severinus* Noricorum dictus Apostolus, *tempore quo* Attila *Rex* Hunnorum *defunctus est* (nimirum anno 454.) *de partibus* Orientis *adveniens*, *in vicinis* Norici Ripensis & Pannoniarum *partibus quod* Austris *dicitur oppido morabatur*, *vivens juxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam*. Deinde *ad secretum habitaculum*, *quod* Purgum *oppidum appellatur ab incolis*, *quinque a* Favianis *distans milliaribus secessit*. *Daturus Monachis formam sollicitior admonebat B.B. Patrum vestigiis inhærere*, ut ex ipsius Vita ab *Eugippio* Abbate Lucullanensi suppari scripta carptim delibavimus. Denique *prior in Hispaniam Monasticæ observantiæ usum & Regulam dicitur adduxisse* apud *Ildefonsum* Toletanum Episcopum (Lib. de Virg. illust. c. 4.) Donatus, qui *professione & opere Monachus*, *cujusdam Eremitæ in Africa fertur extitisse discipulus*. *Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens*, *atque ovilis dissipationem & gregis Monachorum pericula pertimescens*, *fere cum Septuaginta Monachis*, *copiosisque librorum codicibus navali vehiculo in Hispaniam commigravit*; *qui ab illustri religiosaque femina* Minchæa *subsidiis ad rerum opus ministratis*, Sirbitanum *Monasterium visus est construxisse*. Persecutio illa referenda videtur ad *Trasamundum* Vandalorum Regem, qui in Vita S. *Fulgentii* Ruspensis Episcopi Christianos legitur divexasse ineunte sæculo sexto. Tempus satis congruit *Donati* ætati apud *Joannem Biclarensem* ad annum quintum *Justini* relatæ in hunc modum: Donatus *Abbas Monasterii* Servitani, mirabilium *operator clarus habetur*. Æqualis *Donato* fuit B. *Victorianus* Abbas, qui teste *Fortunato* (L. 4. C. 11.) *plurima per patriam Monachorum examina fudit*, & Monasterium Asanense in *Aragonia* construxit, ut in ipsius gestis referemus.

Investigata Monachorum origine & progressu in Occidentis partibus, superest ut de primariis eorum Regulis pauca dicamus. Ut in Oriente, sic in Occidente, *tot propemodum typi ac Regulæ* erant, *quot Cellæ ac Monasteria* (*Cassian.* lib. 2. Inst. c. 2.). Aliis pro Regula erat Abbatis voluntas, aliis modus vivendi Majorum usu & traditione confirmatus, aliis leges scriptæ imponebantur. In uno eodemque Cœnobio plures insimul Regulæ scriptæ non raro observatæ, detractis vel assumptis, quæ pro locorum, ac temporum conditione opportuna videbantur. Et tamen in tanta Regularum diversitate maxima erat Monachos inter omnes animorum consensio, una societas, facilis ac promiscuus transitus, mutuusque commeatus; nondum invaluerat illud Corinthiorum: *Ego sum* Pauli, *ego autem* Apollo, *ego vero* Cephæ; unus Monachorum in Ecclesia Ordo censebatur. Nomen istud in varias partes scindi cœpit sub finem sæculi noni, quando Congregatio Cluniacensis, ob consuetudines Benedictinæ Regulæ superinductas Ordo Cluniacensis dici cœpit. Et nobiliora etiam Monasteria ob ritus peculiares suum ordinem constituerunt, quamvis S. *Benedicti* Regula esset omnibus communis. Sic *Ordo Majoris Monasterii* apud *Guillelmum Gemeticensem* (l. 7. c. 33.), *Ordo S. Dionysii*, &c. res postea in infinitum abiit.

IX. Ergo ut ad id unde digressus sum me referam, variæ erant ante S. *Benedictum* Regulæ in Occidente, quædam a pluribus receptæ. Sancti *Basilii* Regulam, posteaquam *Rufinus* Aquilejensis Presbyter petente *Ursejo Pineti* Abbate eam Latini juris fecit, Monachi Itali præferebant. Nam *Eugippii* Abbatis Lucullanensis, & *Virgilii* Diaconi Regulæ non admodum tenebantur. Certe S. *Benedictus Basilii* Regulam (c. 73.) familiarem habuit, eamque suis discipulis commendavit. Eamdem in Gallia servabat *Aredius* cum *Cassiani* institutis, quæ etiam in pluribus Galliarum Monasteriis tenebantur. Erant & Lerinensium, Grinniacensium, & Agaunensium, seu Turnatensium Instituta. Regula

la S. *Macarii* in Reomaensi Monasterio vigebat, forte ex Lerinensium censu, nam apud illos *Joannes* Reomaensis Abbas primus diu egerat. Apud Miciacenses SS. *Antonii*, & *Pauli* norma colebatur: apud Turonenses Monachos S. Martini (in Vita S. Mart. c. 7.) vivendi forma a Sulpicio Severo descripta: quam etiam S. *Patricius* in Hiberniam invexisse fertur. Qualem Regulam *Donatus* ex Africa ad Hispanos detulerit, non facile est divinare: hac de re postea recurret Oratio. Interim ad alia pergamus.

PETRI MAGAGNOTTI

Presbyt. atque Theol. ad Pat. Coll. Aggreg.

De Antiquo Ritu offerendi Deo Pueros adhuc impuberes in Monasteriis præsertim sub Regula S. Benedicti.

DISSERTATIO XLVII.

Quo hujusce Ritus Origo, Vis, Æquitas, & variæ Vicissitudines explicantur, nobiliores offerendi formulæ, & oblationum insigniora exempla memorantur; ac veteres recentioresque in hanc rem Ecclesiæ Canones referuntur, atque exponuntur.

ACCESSIT EJUSDEM HISTORICA ANIMADVERSIO IN EPISTOLAM S. HIERONYMI AD EUSTOCHIUM DE CUSTODIENDA VIRGINITATE.

De Antiquo Ritu offerendi Deo Pueros adhuc impuberes, præsertim sub Regula Sancti Benedicti.

PROOEMIUM.

SAnctus Benedictus, Vir ut ex Gregorio Magno canit Ecclesia, justorum omnium spiritu plenus, malis undique in Ecclesiam ingruentibus, ut homines a Sæculi erroribus & ignorantiæ tenebris revocaret, ac dispersos Monasticæ societatis sanctissimo spiritu conjungeret, Regulam conscripsit ad Cænobitas regendos accommodatam, quæ tantis terrarum orbis studiis, ac tam secundis Ecclesiæ fuit accepta acclamationibus, ut illam tanquam de Cœlo delapsam fuerint omnes admirati, atque ad eam undequaque confluxerint homines, partim pœnitentiæ agendæ, partim innocentiæ conservandæ studio. Hæc porro non solum generali quadam appellatione *Regula Sancta* dicta fuit, sed etiam inter alia Concilium Duziacense, II. anno 874. celebratum professum est eam editam esse *eodem spiritu, quo & sacri Canones editi sunt*. Quamvis enim ad Cœnobitas *fortissimum Monachorum genus* regendos scripta fuerit, ut in ejusdem Prologo dicitur; multa tamen in ea reperies omni hominum generi utilia ac necessaria. Illud tamen huic Sanctæ Regulæ peculiare est, quod auctore S. Petro Damiani Opusc. 13. cap. 7. *Sancta Regula quasi ampla quædam capax & speciosa domus facta est ad omnia hominum genera capienda, Pueros videlicet, & senes, fortes & debiles, deliciosos & multimoda morum inæqualitate diversos*. Idque in causa est, cur tam antiquis ejus commentatoribus Smaragdo, Hildemaro, Hugboldo Elnonensi, Ruperto Tuitiensi, Petro Diacono; tum recentioribus Hugoni Menardo, Benedicto Hæsteno, Edmundo Martenio, Armando Abbati Trappensi, aliisque bene multis multiplicem præbuerit Ecclesiasticæ Eruditionis se-

getem.

getem. Adeo ut eorum omnium, qui sacris Ecclesiæ studiis delectantur, concors sententia sit, hujus Sanctæ Regulæ cum Ecclesiastica historia tantam cognationem esse, & tam arctam societatem, ut qui alteram sejungeret, nodum infringeret ipsa rerum natura colligatum. Verum, ut cætera ommittam, quæ causa exempli possent adduci, illud est memoratu dignissimum, quod spectat ad Puerorum impuberum oblationem Deo factam ab eorum parentibus, cujus gratia hic qualiscunque labor a nobis suscipitur. Est quidem ritus iste antiquissimus jamdiu exoletus, quod illum nostrorum temporum conditio minime ferat; at veteri Ecclesiæ disciplina sacer factus erat, sedula Romanorum Pontificum & Conciliorum cura propugnatus, ac propagatus: ac nisi fallimur, fons est & origo, unde Benedicti Sanctissimus ordo tot sanctis doctissimisque viris refertus fuit, qui numerari non possunt. Noverint ii, qui Venerabili Ecclesiæ Antiquitate delectantur, quam multa & sacra & prophana ad ritum pertineant hunc; quæ nos hoc brevi opere comprehendentes ritus hujusce originem, vim, æquitatem, variosque casus ante omnium oculos ponimus. Multi quidem atque eruditissimi auctores de hoc ritu nonnulla scripserunt suorum librorum locis, & occasionibus opportunis: Nemo tamen, quod noverimus, rem universam a suis petitam principiis ad usque ejus interitum complexus est: quæque multis in fontibus dispersa inveniuntur, ea in unum veluti corpus redegit nemo. Quod nos in summa ingenii viriumque imbecillitate, proque nostro in res Monasticas studio tentare aggredimur, ut nempe omnes facile atque uno intuitu jura factaque insigniora ad hunc ritum pertinentia intueri, perpendere, atque admirari valeant. Multum certe summorum virorum scriptis, in quibus versari solemus, adjuti sumus, præsertim Summi & incomparabilis viri Joannis Mabillonii, quo nemo melius Ecclesiasticam eruditionem perscrutatus est, nemo disertius expressit, nemo enucleatius tradidit: a quo Monachorum ritus, studia, labores, historiæ, acta denique omnia e tenebris in amplissimam lucem sunt revocata, ac pristinæ majestati restituta. Quidquid desumpsimus, iisdem a quibus desumptum erit, ingenue referemus acceptum, ut suum unicuique reddamus, neve nobis quisquam furti crimen jure possit objicere. Interim ad beatissimi Patris Benedicti opem supplices abjectique confugimus, ut benigne ferat Monachico instituto minime adstrictum hominem intimas Monachorum res perscrutari ac vulgare; ejus enim ope freti nobilissimum sanctæ Regulæ caput illustramus, atque a multorum etiam cavillationibus vindicamus.

CAP. I.

Oblationis Puerorum institutio primæva exponitur.

I. QUamquam oblationis puerorum impuberum vestigia nonnulla inveniantur in auctoribus & Sæculis Benedicto superioribus; qui tamen hunc ritum luculentius expresserit & disertius stabiliverit, est S. Benedictus. Cap. enim 59. „ Regulæ Sanctæ ita præcipit: Si quis „ forte de Nobilibus offert filium suum „ Deo in Monasterio, si ipse puer minori „ ætate est, Parentes ejus faciant petitio„ nem, & manum pueri involvant in „ palla altaris, & sic eum offerant. De „ rebus autem suis, aut in præsenti peti„ tione promittant sub jurejurando, quia „ nunquam per se, nunquam per * suf„ fectam personam, nec quolibet modo „ ei aliquando aliquid dent, aut tribuant „ occasionem habendi. Vel certe si hoc „ facere noluerint, & aliquid offerre vo„ luerint in eleemosynam Monasterio pro „ mercede sua, faciant ex rebus, quas da„ re volunt Monasterio, donationem, re„ servato sibi (si ita voluerint) usufru„ ctuario. Atque ita omnia obstruantur, „ ut nulla suspicio remaneat puero, per „ quam deceptus perire possit (quod ab„ sit) quod experimento didicimus. Si„ militer autem & pauperiores faciant. „ Qui vero ex toto nihil habent, simpli„ citer petitionem faciant, & cum obla„ tione offerant filium suum coram te„ sti-

* al. leg. *suspectam*.

stibus. Hæc sanctus Benedictus. Ex quibus disertissime habetur tria puerorum genera distingui hoc in capite: divitum, qui Nobiles vocantur; mediocrium, qui pauperiores; & omnino pauperum, qui scilicet nihil habent. Omnibus in sua Monasteria aditum aperuit Sanctus vir, ut suave Christi jugum ab infantia portarent, & veri proinde Monachi fierent, eorum parentibus sponsoribus. Itaque divites filios suos Monasteriis offerebant eosdem exhæredantes, aut qualemcunque portionem eorum offerentes Monasteriis secundum juris regulas. Quod idem præstandum erat mediocrium facultatum viris. Qui vero ex toto nihil omnino habebant, offerebant filios suos nulla donatione aut exhæredatione facta. Qui porro ita erant oblati, Monachi fiebant eodem vinculo, quo nunc adulti fiunt Monachi per solemnem professionem: adeo ut nulla amplius illis superesset facultas aut paternæ hæreditatis reperendæ, aut Monastici jugi excutiendi. Unde cum grandiores erant facti, oblationem de se a parentibus factam ratam habere, ac Monasticam vitam expresse profiteri tenebantur. Quod institutum tantum abfuit, ut monstri instar visum fuerit, ut potius exitum sortitum fuerit adeo felicem, ut teste S. Gregorio Magno lib. 2. Dialog. cap. 3. Romanæ Urbis Nobiles ac Religiosi Viri plerique ad solitudinem Sublacensem concurrerint, non modo ad visendum novum illum Eliseum, sed maxime ut ei *filios suos Omnipotenti Deo nutriendos* commendarent. Ex quibus duo fuerunt inter cæteros illustres Eutychius ac Tertullus Patricius, quorum prior *Maurum*, alter *Placidum bonæ spei suas soboles* B. Patri obtulerunt. Hoc passim in toto occidente per multa sæcula religiosissime celebratum est, ut videbimus.

II. Huic oblationi & receptioni nequid deesset, testes adhibebantur probati viri. Cujus rei illa est causa, ne fortasse Monachorum, tanquam in re propria testimonium suspectum esset, ut habetur Ca. 20. qu. 2. Cap. fin. *Oportet infantes voluntate & consensu Parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos sub testimonio plurimorum suscipi, ut omnis occasio maledicti gratia excludatur.* Quod ex D. Basilio desumptum est interr. 15. Reg. fus. disput. Id etiam statuit Synodus Aquisgranensis anno 817. c. 36. *Tempore oblationis & petitionem pro eo coram laicis testibus faciat.* Non fuit autem hic ritus Benedictinæ regulæ proprius, sed aliarum etiam orientalium. Hæc enim statuit S. Basilius in Regulis fus. disput. interr. 15. qua quærit quanam potissimum ætate constituti esse debeant, qui se per Monasticam professionem Deo dedere & sacrare cupiunt. *Cum Dominus dicat*, inquit, *finite parvulos venire ad me; & Apostolus cum laudet, qui ab infantia sacras litteras didicisset: idemque alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplina & correptione Domini: prorsus ad eos qui nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus, vel ipsius adeo teneræ atque ineuntis, ut videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Job parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis abbibitis testibus recipiamus.* Sanctus item Pachomius recipiebat infantes, qui nescirent *discernere inter dexteram & sinistram*, ut habetur in ejus vita apud Surium c. 35. S. Hieronymus ep. 22. ad Eustochium dicit in Cœnobiis fuisse suo tempore omnis ætatis homines, *Pueros* videlicet & *Senes*. Sanctus Ephrem in doctrina varia cap. 64. cum dicat nolle se indulgere, ut *pueri liberius agant cum fratribus*, supponit in Monasteriis fuisse admissos. A Divo Basilio hanc consuetudinem mutuatus est S. Benedictus;

III. Inde in Occidentis Monasteriis quam citissime propagata est. Illud tamen inter cætera de suo adjecit Sanctus Vir, quod ademit oblatis puerulis omnem sæculi repetendi facultatem, quam tamen S. Basilius in medio reliquit, imo neminem Monasticæ vitæ subjici ipse voluit, nisi adultioris esset ætatis. *Quo sane tempore*, inquit loco laudato, *admittenda est Virginitatis professio, tanquam firma jam, & ejusmodi, quæ a proprio consilio judicioque proficiscatur, ratione jam probe adulta.* Ad quam professionem post longum tempus, nisi a propria voluntate ferantur, eos suomet judicio relinqui jussit: *Qui vero vitam cum Virginitatis professione suscipere nolit, is tanquam qui res Domini accura-*

te sollicite non possit, ipsis iisdem testibus adhibitis dimittatur. Eos scilicet testes adhiberi voluit in puerorum dimissione, qui in eorum susceptione fuerant adhibiti. Contraria tamen consuetudo diu multumque in Ecclesia Latina obtinuit; nec in Virorum tantummodo Monasteriis, verum etiam Sanctimonialium, uti videri potest in Regula Monial. S. Cæsarii Arelatensis art. 5. & in multis Conciliis, de quibus inferius. Quæ res procedenti tempore etiam ad Canonicos Regulares translata est. Unde Mabillonius To. 3. Veter. Analect. inter varias oblationum formulas refert formulam oblationis factæ Narbonnę in Ecclesia S. Justi, in qua tunc Canonici Regulares Deo serviebant.

CAP. II.

Ritus oblationis Puerorum exponitur.

I. QUanquam quinam fuerit ritus servari solitus in oblatione Puerorum Deo facienda ex adducto Sanctæ Regulæ capite satis apte possit haberi; ne quid tamen desit, operæ pretium erit de hoc ritu paulo enucleatius disserere, nonnullasque oblationum formulas addere. Itaque ex S. Patris præscripto offerendus puer deferens oblationem ante altare se sistebat, ibique in Monachum totondi petebat: quæ quidem petitio a parentibus fiebat, si puer esset in tenera ætate constitutus. Deinde manus ejus cum oblatione palla altaris involvebantur, & sic offerebatur Deo & Christo ejus militaturus omnibus diebus vitæ suæ. Quærunt hic Sanctæ Regulæ Expositores, quidnam oblationis manu propria deferret parvulus? Lantfrancus in Constitutionibus cap. 18. asserit fuisse hostiam cum vino in calice, quæ ab offerendo deferebatur ad sacrificium, quod ex regulæ textu deducitur. Doctissimus vir Hugo Menardus in suis commentariis ad Concordiam Regular. S. Benedicti Ananien. To. 2. cap. 66. monet hunc ritum diversimode impletum fuisse pro Monasteriorum ac Regionum diversitate. Namque in Monasterio Eremi S. Mariæ apud Helvetios puer ferebat hostiam in Mappula, & vinum in ampulla teste Ruthardo ejus Monasterii. Monacho. Palla vero illa, qua manus Puerorum involvebantur, judicibus ipso Menardo & Edmundo Martenio in suis commentar. ad hoc regul. cap. non erat sacrum illud linteolum, quod nos passim Corporale dicimus, quod Corpori Dominico supponitur, sed velamen illud, quod tegit altare. Præter ordinis Benedictini traditionem id sæculo XI. testatur Lantfrancus loco superius laudato: „Offerendus Puer facta sibi prius corona, manibus portans hostiam cum vino, sicut mos est, post Evangelium, Sacerdoti qui Missam celebrat, a parentibus offeratur. Qua oblatione a Sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manum Pueri in palla, qua altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas; Quo facto præfati parentes, coram Deo & Sanctis ejus statim promittant, quod per se, aut a se suppositam personam, susceptum ordinem puer nunquam relinquat; neque se ei scienter aliquid daturos, unde puer, quod absit, perire possit. Hanc promissionem prius scriptam, coram testibus, verbis ibi prius edicant, & postea super altare ponant. His expletis benedicat Abbas cucullam, & exuens puerum cappa, vel pellibus, vel aliqua hujusmodi clamyde dicat.... & induens eum cuculla subjungat...... Dein ducatur ad vestiendum & radendum, sicut nostri Ordinis consuetudo est. Hunc ritum ita Lantfrancus describit.

II. Formulæ oblationis diversæ erant pro varietate Regionum & offerentium. Hanc Smaragdus formulam oblationis refert: „Hunc filium nostrum N. cum oblatione in manu, atque petitione, altaris palla manibus involutis, ad nomen Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & Abbatis tralo coram testibus regulariter permansurum: ita ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub jugo Regulæ extutere". Aliam quoque refert Ruthardus in c. 59. Reg. *Promitto ego ille coram Deo & Sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua & conversione morum, atque obedientia*. Edmundus Martene in Reg. S. Patris c. 59. duas hujusmodi refert formulas, unam concinnam valde, prolixiorem alteram, utramque referendam: *Trado Puerum istum in devotione*

tione Domini nostri Jesu Christi, coram Deo & Sanctis ejus, ut persistat omnibus diebus vitæ suæ, & fiat Monachus usque ad mortem suam. Est hæc sæculi IX. ex veteris MS. Cod. S. Cæciliæ Albiensis. Altera vero est ex Cod. item MS. Montis-majoris: Sancitum est in Veteri & Novo Testamen. Pueros Deo offerre, ut Abraham . . . .* . . . leguntur fecisse, quorum exemplo, & aliorum multorum instructus, ego ille pro remedio animæ meæ & parentum meorum, nunc offero hunc filium meum illum Deo Omnipotenti, & Sanctæ Mariæ genitrici ejus, secundum Regulam B. Benedicti in Monasterio Montis-majoris, in præsentia Domini Abbatis illius, ab hac die, ut non liceat ei collum de sub jugo Regulæ excutere, & promitto nunquam per me, neque per suspectam personam ullo modo ei occasionem dare egrediendi, quod absit, & ut hæc scriptio firma permaneat, manu propria firmo". Prostant passim hujusmodi formulæ apud Benedictinos auctores, quibus plures referre nihil attinet. Non est tamen prætereunda, quam refert inter alios Auctor Monachatus S. Thomæ cap. 2., quod adhiberi solita fuerit in Monasterio Casinensi: „ Ego N. Princeps aut Comes in Dei Omnipotentis nomine hunc filium meum N. coram Domino N. Abbate, & cuncta congregatione hujus Sancti loci, tradoin hoc Monasterio S. Confessoris Christi Benedicti, cujus corpus hic continetur, coram testibus, cum oblatione atque petitione, in hoc Sancto Cœnobio reguliter permansurum, & cum cæteris gratanti animo militaturum: ita ut ab hac die non liceat illi collum excutere de sub jugo Regulæ, sed magis studeat ejus instituta servare. Et ut hæc mea traditio inconcussa permaneat, promitto sub jurejurando coram Deo & Sanctis ejus, nunquam per me, nunquam per suffectam personam, nec quolibet alio modo, facultatem exeundi de hoc Monasterio me illi tribuere. Ad firmamentum hujus meæ petitionis, manu propria eam subterfirmavi, & idoneis testibus affirmare curavi. Hæc non modo oblationum ritum exponunt, sed etiam ostendunt quanta ejus vis fuerit & efficacia; insuper quam longe lateque fuerit receptus: de quibus suo loco dicemus.

CAP. III.

A quibus Pueri impuberes Monasticæ vitæ potuerint addici.

I. Postulat maxime instituti nostri ratio, ut quæramus a quibusnam impuberes filii Monasticæ regulæ supponi potuerint? Pater Sanctus in hoc Regulæ capite solos Parentes facit Dominos Puerorum offerendorum. Quo certe nomine Pater & Mater communi appellatione fuerunt semper designati; istosque, non alios, a S. Benedicto designatos fuisse patet ex eo, quod offerendos Pueros appellet filios; igitur vi textus Parentes solum hujusmodi oblationis faciendæ jure gaudebant. Qui sive per se, sive per alios id facerent, parum intererat. Hic enim quoque locum habet tritum illud: Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Non desunt hujus rei exempla multa in Monasticis historiis. In vita enim S. Bonifacii c. 2., quæ extat p. 2. sæculi III. Benedict. legimus Othlonum quinquennem per legatos missum esse ad Monasterium ab ægrotante Patre. Quod legati, seu procuratoris munus geri solitum legimus a Monachis. Nam in ordine Cluniacensi (hoc nomine vocabantur ritus Cluniacenses ab Abbate Bernardo sæculo XI. digesti) par. 1. cap. 27., quod est de pueris, ita præscribitur: „ Cum visum fuerit D. Abbati . . . . . jubet uni fratrum, ut Puerum offerat *in vice* parentum ejus, qui peritionem quam facturus est, scriptam habens, confirmat eam signo propriæ manus, & postea legit eam in aperto, & mittit in manum D. Abbatis. Est autem hujusmodi: Ego frater ille offero Deo, & Sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo hunc puerum nomine ill. *vice* parentum ejus, cum oblatione in manu, atque petitione, Altaris palla manu ejus involuta, ad nomen sanctorum, quorum hic Reliquiæ con-

* *desunt aliqua.*

„ continentur, & domni ill. Abbatis præ„ sentia & de coram testibus, regulariter „ permansurum, ita ut ab hac die non „ liceat ei collum de sub jugo Regulæ „ excutere, sed magis ejusdem regulæ fi„ deliter se cognoscat instituta debere ser„ vare, & Domino cum cæteris gratan„ ti animo militare: & ut hæc petitio „ firma permaneat, manu mea subterfir„ mavi, testibusque tradidi roborandam. „ Accipit puer cum offertorio patenam & „ calicem Hostia imposita, & vino infu„ so, & ita *Vicarius* ille involvit manum „ pueri cum palla altaris, ut tam ipsum „ puerum, quam ejus sacrificium offerat a „ Sacerdote recipiendum ". Quibus omnibus patet solitum fuisse apud hos Monachos in oblatione Puerorum vices parentum geri a Monachorum aliquo.

II. In Patre hanc potestatem solummodo resedisse certius est, quam ut dubitari possit: adeo ut ille etiam matre reclamante potuerit filios filiasque subdere legibus Monasticis. Unde ad Patrem spectant ea Concilii Toletani X. verba can. 6. *Si aut unus, aut ambo parentes dederint*. Quibus congruit relata superius formula: *Ego N. Princeps, aut Comes*. Multo vero minus jus offerendi filios competere Tutoribus unquam potuit, quamvis tutores succedant parentibus quoad omnia quæ pertinent ad filiorum educationem. Cujus rei testes locupletissimi sunt omnes Benedictini auctores, qui harum rerum diligentes rimatores fuerunt, Hildemarus & Smaragdus inter antiquos, Martenius & Mabillonius to. 3. vet. Annal. inter recentiores; qui ostendunt, excepto Patre, potuisse neminem sive tutorem, sive affinem, sive consanguineum impuberes Pueros Monachos facere. Quibus consentiunt Carolus Cointius Orat. Gall. Presb. & Petrus de Gussanvilla Presb. Carnoten. ille in Annal. veter. Francor. to. 1. ad ann. 544. hic in adnotationibus ad ep. 54. Petri Blesensis. Succedit quidem tutor Patri quoad omnia, sed quæ pertinent ad ipsam puerorum tutelam, non vero quæ pertinent ad ipsum jus Patriæ potestatis, vi cujus has puerorum oblationes factas fuisse sumus suo loco ostensuri. Extat hac de re clarissimum testimonium Petri Blesen. in ep. 54. ad L. Pictaviensem, cui quod Adelitiam Neptem suam invitam ad Monasterium compelleret, gravem objurgationem scripsit, contendens illam ad hoc compelli non posse duabus de causis, primo quod sit adultior ætate, deinde quod a Patris potestate per ejusdem obitum sit emancipata. Habe Blesensis verba: „ Cum „ præfata Adelitia jam ætatem habeat, „ & ad annos discretionis evaserit; non „ est, sicut mihi videtur, ad religionis „ propositum violenter urgenda, maxime „ cum scriptura testetur Deo grata non „ esse coacta servitia. Sed & Canonum „ clamat auctoritas, quia *Monachum* sive „ *Monacham facit propria professio, vel pa*„ *terna devotio*. Propriæ vero professionis „ vinculo non ligatur, qui professioni, „ quantum potest, renititur & reclamat. „ Nec abstringit ipsam paterna devotio, „ quia non est in sacris Patris, sed quasi „ emancipata per patris mortem, & in „ alienam potestatem non recidens libe„ ram animi sui adepta est facultatem. Quibus Petrus Blesen. ostendit Adelitiam ad Monasticen cogi non posse, tum quod sit adultioris ætatis, tum quod ipsa post Patris mortem in nullius potestatem inciderit, ut Monasterio invita possit offerri.

III. Extat quidem to. 3. Veter. Analect. formula quædam oblationis, qua Agenaldus Nepotem suum Gotefredum offert Deo in Monasterio Saviniacensi Diœcesis Lugdunensis; hæc tamen, & id genus reliquæ eodem Mabillonio judice intelligendæ sunt de iis, qui per rationis usum jam quasi sui juris facti postulabant se offerri a propinquis ad supplendum ætatis defectum. Quod vero narrat Petrus Boherius apud Martenium, in hoc reg. cap., in suo Monasterio pueros aut a parentibus, aut ab amicis oblatos fuisse, id ita accipiendum est, ut amici pueros loco parentum obtulerint, vel amici indulgerent voluntati amicorum puerorum prope puberum se postulantium offerri de parentum consensu. Adeo autem tale jus solis parentibus competebat, ut ne ipsi quidem fratres alios fratres natu minores offerre potuerint. Hic tamen negotium aliquod nobis facessere videtur M. Antonius Dominicyus in Ansberti familia rediviva part. 2. c. 7. Ubi hanc formulam edit desumptam ex Bello-

lo-

locensis Abbatiæ Chartulario, in qua frater a fratribus oblatus est: „ Cum legaliter sancitum, antiquitusque teneatur „ & cautum cum oblationibus Domino „ parentes suos tradere filios in templo „ Domini Domino fideliter servituros, „ procul dubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Idcirco nos Gauffredus, & Benedictus hunc fratrem nostrum, nomine „ Petronem, cum oblatione atque petitione altaris palla in manu ejus involuta, „ ad nomina sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & Frodoini Abbatis, „ & omnis congregationis, tradimus coram testibus regulariter permansurum, „ ita ut ab hac die non liceat collum „ de sub jugo Regulæ excutere, & ut „ nostra traditio inconvulsa permaneat, „ promittimus sub jurejurando coram Deo „ & Angelis ejus, quia nunquam per nos, „ vel quolibet modo per rerum nostrarum „ facultates egrediendi ei aliquando de „ Monasterio tribuamus occasionem . . . . Vehementer hic stupet Carolus Cointius To. 1. Annal. Vet. Francor. ad ann. 544. quanam de causa Christophorus Justellus, in cujus manu venerat prædictum Chartularium, Dominicyo imponere voluerit eidem suppeditando formulam hanc corruptam & vitiatam. Fatetur enim ingenue, Cointius lectam a se fuisse formulam hanc in Bellilocensi chartulario, charta 82. atque ita se habere. „ *Cum legaliter sancitum* . . . . idcirco nos in Dei nomine „ Gauffredus & uxor mea Folcusa hunc filium nostrum nomine Petronem cum „ oblatione in manu, atque petitione altaris palla involuta . . . . . tradimus „ coram testibus regulariter permansurum: „ ira ut ab hac die jam non liceat ei collum de sub jugo Regulæ excutere. „ Non a fratribus ergo, sed a patre Gauffredo & matre Folcusa fuit Monasterio oblatus Petro.

IV. Porro quemadmodum Tutores nequibant offerre Pueros offerri nolentes, ita poterant e Monasterio educere Pueros educi nolentes, intra tamen diem & annum, quo in illud propria sponte fuerant ingressi. Quod nisi fecissent, jure repetendi pupilli excidebant ex Concilio Triburiæ habito ad Rheni ripam dexteram anno 895., can. 24. „ Quæcumque virgo sub „ parrocinio ante annos XII. non coacta, „ sed propria voluntate sacrum velamen „ sibi imposuerit, annumque & diem nullo repetente velata permanserit, ab eodem sancto habitu ulrerius non recedar, „ sed sponsa vero Regi Christo, immaculato Agno, ulterius incorrupta & immaculata deserviat. Si vero idem Patronus post annum & diem sanctum „ propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam „ sponsam rapere, secundum præstituta Canonum præjudicemus, ut vires non obtineat, sed Christo Regi suam sponsam „ relinquat. „ Quo Canone Tutorum potestas educendi e Monasterio pueros suo patrocinio commissos ad annum & diem coarctatur. Arctiores autem termini patriæ potestati præscripti fuerunt a Concilio Toletano X. an. 656. can. 6. Voluerunt enim ii Patres, ut si impubes Monachus vel Monialis fieret, parentibus aut nolentibus aut nescientibus, ideoque minime consentientibus, continuo nullaque interposita mora repeterentur a Parentibus; alioquin impuberes illi a libera facultate ad sæculum revertendi penitus exciderent. Inquiunt „ Si in qualibet minori ætate, „ vel Religionis tonsuram, vel Religione „ debitam vestem in utroque sexu filiis, „ aut unus aut ambo parentes dederint, „ certe aut nolentibus, vel nescientibus „ sese, susceptam non mox visam in filiis „ abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamque in conventu „ eosdem filios talia habere permiserint, „ ad sæcularem reverti habitum, ipsis filiis quandoque penitus non licebit, sed „ convicti quod tonsuram aut religiosam „ vestem aliquando habuerint, mox ad „ Religionis cultum habitumque revocentur, & sub æterna districtione hujuscemodi observantiæ *inservire cogantur*. Ab his discrepat nonnihil antiquorum Canonum collector Gratianus, qui caus. 20. qu. 2. quærens an necessarius sit parentum consensus, ut impuberes Religiosam vitam possint amplecti, differt multum a laudatis verbis Concilii Triburiensis. Cum enim illud de solis Patronis, Tutoribusque agat eo, quo diximus, modo, Gratianus de Parentibus æque ac de Tutoribus agit;

Cap.

Cap. enim 2. laudatæ quæst. sic refert Triburiensem Canonem: „ Puella, si ante „ duodecim annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt „ statim parentes ejus vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si „ annum & diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa, mutare poterunt voluntatem. Si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens „ Deo servire elegerit, non est parentibus „ potestas prohibendi. „ Igitur ubi Triburiense Concilium hoc unum sancit, ut Monasterio addicta remaneat puella, quæ parentibus orbata, & sub tutorum patrocinio posita, infra ætatem legitimam sponte ac nullo cogente Monasticæ vitæ nomen dederit, in eoque annum & diem nullo reclamante transegerit; Gratianus hanc sanctionem extendit ad eas puellas, quæ vivis parentibus Monasticam vitam suscipiunt infra legitimam ætatem, & utrisque jus facit educendi eas e Monasterio, antequam ibi annum, & diem sint commoratæ. Quare vir doctissimus Carolus Cointius ad an. 554. Veter. Francor. omnino asserit voluisse forrassis Gratianum, suo tempori accommodare Triburiensem Canonem: & non bene fuisse superiorum temporum disciplinam assecutum, dum paria constituit Tutorum atque Parentum jura in eductione filiorum e Monasteriis, qui non impetrato eorum consensu Monasteriis sese obtulerunt. Utrorumque autem impuberum dispar conditio erat. Qui enim sub tutela erat impubes ex Synodo Triburiensi repeti a tutoribus poterat ad annum integrum & diem; quæ vero sub parentum potestate erat, nisi a parentibus repeteretur intra spatium temporis multo brevius, ammittebat facultatem ad sæcularem vitam redeundi, ex Toletana Synodo. Nihilominus si verba Gratiani expendantur, nihil est quod nobis adversetur. In eamdem enim nobiscum sententiam venit, penes parentem & tutorem fuisse jus ad sæculum reducendi filium? qui nondum in legitima ætate constitutus Monasterium propria sponte erat ingressus. Ad hujus capitis plenam perfectamque absolutionem inquirendum restat, quidnam agendum esset viduæ filios habenti, & sæculari vitæ sese subducere cupienti? Quomodo enim & suæ saluti prospiceret, & filiorum educationi consuleret, præsertim ubi idoneos tutores invenire esset difficile? dubium omne, si quod est, sustulit hac in parte S. Rictrudes Marcianensis Abbatissa quæ ut habetur sæculo II. Benedict. cap. 11. cum marito viduata esset, desiderio sanctæ conversationis & vitæ arctioris, semetipsam cum filiis Monasterio obtulit, ibi & Deo servitura, & filiorum educationi sanctissime consultura. Quod saluberrimum consilium aliis Sanctis Viduis familiare fuisse dicit Edmundus Martenius in hoc Reg. cap.

CAP. IV.

De ætate filiorum offerendorum.

I. De ætate filiorum offerendorum nihil omnino statuit S. Benedictus. Hac de causa factum opinamur, ut creditum fuerit licere Parentibus filios suos quavis impuberi & infantili ætate ad serviendum Deo in Monasteriis tradere. Quod etiam statuerat S. Basilius, qui ubi de Puerorum offerendorum ætate agit, nullum omnino ætatis discrimen agnoscit. Ait enim in Reg. fus. disput. interr. 15. *Ad eos, qui nos accedant, admittendos nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus, vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis.* Sanctus Gregorius Nazianzenus testatur se ab ipsa prima ætate Deo a matre dicatum fuisse. Nam in Orat. 1. quæ est Apologet. pro fuga sua, *ab ipsa juventute*, inquit, *accitus sum; (libet enim aliquid multis incognitum afferre) atque adeo a vulva ipsa projectus, & ex materna pollicitatione donatus*; In Orat. vero 19. quam habuit in funere Patris sui, & ad Nonnæ matris suæ consolationem, asserit id de omnibus suis liberis Nonnam præstitisse, quos omnes illa *etiam ante ortum Deo promisit, atque in lucem editos statim consecravit*. Hæc oblatio ex voto parentum fiebat in Ecclesia, quæ praxis deinde traducta est ad Monasteria institutore S. Basilio, a quo illam S. Benedictus accepit, auxit, ornavit, ut dictum est. Sanctus etiam Heliodorus puer natus annos non amplius quam tres Monasterium est ingressus, ubi sexaginta & duos annos egit sanctis-

ctissimæ vitæ, adeo rerum omnium expers, ut diceret se nec porcos, nec gallos, nec alium hujusmodi vidisse unquam, ut Theodoretus in Philotheo narrat apud Benedictum Haefrenum lib. 4. disquisit. Monast. disquisit. 1. Sed ne discedamus ab exemplis ex ordine Benedictino petitis, Protomartyr ordinis S. Placidus septennis Deo oblatus est; itemque Faustus scriptor vitæ S. Mauri in prologo testatur se traditum fuisse Dei servitio nutriendum secundum normam Regularis observantiæ, cum septennis duntaxat esset, in Cœnobio quod totius Sanctitatis vir ædificaverat. Septennis quoque Deo in Monasterio Giruvensi oblatus fuit S. Beda, ut ipsemet in Epitome testatur, anno 680. (is scilicet Beda est, qui idcirco Venerabilis dicitur, quod cum ejus opera publice in Ecclesia legerentur, atque Venerabilis titulo vivens celebraretur, factum est ut hic titulus ejus operibus semel insertus nunquam potuerit deleri.) Sæculo V. Benedict. ad annum Christi 888. Sanctus Dunstanus, qui postea fuit Archiep. Cantuarien. defertur ad Templum cum oblationibus, ibique Deo offertur, postquam loqui incepisset, ut est ibid. in ejus Actis. At ne longiores simus, illud est memoratu dignissimum quosdam necdum natos Monasticis institutis dicatos fuisse; cujus oblationis celebre documentum posterorum memoriæ mandavit laudatus Beda lib. 5. Hist. Anglor. cap. 24. Narrat enim Regem Osuvi Anglum, cum ab infensissimo hoste Merciorum Rege premeretur, cuperetque adversus eumdem cælesti præsidio muniri, perpetuæ Virginitati dicasse filiam suam Elfledam, unum, non amplius, natam annum: Unde cum insignem postea de eodem victoriam reportasset, stetisse promissis, votique reum Elfledam Monasterio obtulisse; in quo illa diu discipula, dein Magistra cæterarum effecta beato fine quievit.

II. Processu temporis placuit Toletani Concilii X. Patribus anno 665. ætate puerorum offerendorum ad decennium redigere, ultra quod parentibus filios suos offerre non liceret amplius. Sic enim statuitur canone 6. „ Cum hucusque dissolutæ operationis effectus interdum nutare facit „ honestum constitutionis edictum . . . . „ parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum ætatis eorum annum licentia „ poterit esse. Postea vero an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit „ solitarium votum, erit filiis licitum Religionis assumere cultum. “ Ivo Carnotensis part. 7. decret. cap. 27. non decimum annum legit, sed duodecimum; & Gratianus caus. 20. qu. 2. cap. *si in qualibet*, decimum quartum annum scribit. Quod ab utrisque hac de causa factum est, ut Canon Toletani Concilii suorum sæculorum accommodaretur. Cujus rei auctores habemus Petrum de Gussanvilla in suis adnotationibus ad Ep. 54. Petri Blesensis, Edmundum Martenium ad hoc reg. cap. & Carolum Cointium ad ann. 544. Veter. Franc. Et sane cum Ivo Carnotensem Ecclesiam regeret sæculo XII. quo filii a Patribus Monasteriis offerri poterant usque ad annum duodecimum eorum ætatis; & cum Gratianus Sæculo XIII. floruerit, quo filii patriæ potestati spectato oblationis jure erant subjecti usque ad annum decimum quartum; non erat, cur uterque sequeretur praxim & disciplinam Sæculi VII., quo Concilium Toletanum habitum est, sed prudenter uterque rationem habere voluerunt disciplinæ suorum temporum. Ultra hanc ætatem igitur in hoc oblationum negotio filii a patria potestate erant soluti. Simili omnino argumento utebatur, ut vidimus, Petrus Blesensis ut suaderet Adelitiæ consanguineis eam non posse cogi ad Monasticam vitam, quod per legitimam ætatem esset ab hoc jure soluta. *Cum præfata Adelitia jam ætatem habeat, & ad annos discretionis evaserit, non est sicut mihi videtur ad religionis propositum violenter urgenda.* Voluere præterea nonnulla Monasteria, ut quicumque infra hanc ætatem a patribus Monasteriis offerrentur, non continuo reciperentur, sed præceperunt nonnulla, ut offerri non possent, nisi in ea ætate constituti, ut enutriri non indigerent, & culpas noscent evitare. Id inter alios præstitit S. Cæsarius, qui in sua Regula Sanctimonialium art. 5. quæ extat apud Holstenium in Cod. Regular. part. 3. pag. 11. *Si fieri potest, inquit, aut difficile, aut nulla unquam in Monasterio infantula, nisi ab annis sex aut septem, quæ jam &* lit-

litteras discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. At in Monasteriis Benedictinis nequaquam hujusmodi restrictio facta est, in quibus, & decennes, & septennes, & quinquennes, & trimuli, & anniculi fuere semper recepti, donec stetit hic mos. Visum tamen est Abbatibus in Conventu Aquisgranensi coactis anno 817. Can. 36. statuere, ut quem Pater & Mater tempore sacrificii obtulissent altari facta pro eo coram laicis testibus petitione, hanc oblationem *tempore intellig bili ipse puer confirmaret*, seu ratam haberet, qua de re inferius sumus dicturi. Interim observes, lector optime, Aquisgranensis Conventus nomen celebre esse in Monastica historia. Fuit enim primum specimen & norma Capitulorum Generalium apud Monachos. Ope Ludovici Pii Imperatoris indicta fuit ista Synodus, & ab Abbatibus septuaginta duo capitula condita sunt a Monachis inviolabiliter servanda. Præfuit eidem magnus ille Monasticæ disciplinæ jam collapsæ restitutor Sanctus Benedictus Abbas Ananiensis, qui scripsit librum de Concordia Regularum ad Abbates & Monachos omnes. Hoc volebamus, nescius ne esses.

CAP. V.

Pueri Oblati exhæredabantur, vel eorum hæreditas, aut portio aliqua Monasteriis offerebatur.

I. ORientalium Monachorum Pater Sanctissimus Basilius interrogat. 304. ex brevibus, cum inquisiisset, numquid a Monachis aliquid esset accipiendum pro fratribus, qui erant oblati, si quid in eorum oblatione a propinquis Monasteriis offerretur, hoc responsum subjicit Monastica sanctitate, & Ecclesiastico spiritu plenum: „ Hujus rei cura arbitriumque esto „ penes Antistitem. Verumtamen in hoc, „ si mea etiam sententia exquiritur, exi„ stimo magis consultum iri offensioni „ multitudinis, & ad ædificationem fidei „ fore commodius, si repudientur hujus„ modi munera. Si quidem ex illorum su„ sceptione primum illud incommodum „ nascitur, quod sæpenumero ob eam „ rem male audit fratrum respublica; dein„ de illud etiam, quod ad sustollendos „ animos propinquorum illorum, unde „ allata illa sunt, causam dant. " Quo sanctissimo consilio providit Sanctus Basilius, ne quispiam in avaritiæ suspicionem vocaret Monachos suscipientes divitum oblationes, neve ipsi offerentes in superbiam inflati inciderent, & de suis oblationibus gloriarentur. In hoc etiam tanti Patris sapientiam expressit S. Benedictus, qui Regulæ cap. 58. statuit, *ut suscipiendus frater res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio*, non quidem tanquam suceptionis pretium, sed eleemosynæ gratia. Utrumque enim Sanctus Pater liberum suscipiendo reliquit: hinc cap. 59. sequenti jussit filios pauperum, *qui ex toto nihil habent*, citra ullam donationem admitti. Quam sanctissimi legislatoris sanctionem, juribus omnibus consentaneam, magna uti par erat religione observabat Goffridus Abbas Vindocinensis, cujus verba desumpta ex lib. 4. Ep. 49. recitat Mabillonius Tom. 2. Veter. Analect. *Nihil pro faciendis Monachis quærimus: sed si quid oblatum fuerit, quia illud Regula recipi jubet, suscipimus. Ordo siquidem noster exigit, ut tales simus, qui non lucris temporalibus, sed lucrandis animabus operam demus*. Ceterum S. Benedictus ipsum Monachum oblatum rebus omnibus spoliatum voluit in hoc Regulæ capite præcipiens hæc parentibus: „ De rebus autem suis „ aut in præsenti petitione promittant sub „ jurejurando, quia nunquam per se, „ nunquam per suspectam personam, nec „ quolibet modo ei aliquid dent, aut tri„ buant occasionem habendi. Vel certe si „ hoc facere noluerint, & aliquid offerre „ voluerint in eleemosynam Monasterio „ pro mercede sua, faciant ex rebus, quas „ dare volunt Monasterio, donationem, „ reservato sibi (si ita voluerint) usufru„ ctuario. Atque ita omnia observantur, „ &c. " Erat igitur ex Regulæ præscripto tantummodo puer oblatus Monasterio, eique præterea possidendæ hæreditatis spes omnis recisa. Parentes enim jurisjurandi Religione interposita pollicebantur, se nullam unquam operam daturos pueris oblatis ad hæreditatem possidendam. Unde Ruthardus in hoc Reg. cap. recitata obla-

oblationis formula narrat parentem oblati dicere solitum: " Promitto per viventem „ in sæcula, quia nunquam do illi hæreditatem suam, aut aliquid quidquam; „ sed exhæredo illum ab omni mea hæreditate, ut exhæres sit in perpetuum: „ ita ut per nullum ingenium possit quærere hæreditatem meam: „ Quæ quidem verba, ut ait Menardus in Concord. Regul. cap. *66.* omnem excludunt explicationem. Quapropter oblatus puer exhæredatus erat, Monachus erat, & paupertati Religiosæ omnino subjectus.

II. At quemadmodum improbanda non erat Parentum pietas, si quando erga Monasteria munifici erant, quibus filios suos addicebant: ita neque Monasteriorum Præsulibus vitio dandum erat, si huic pietati morem gerentes, integras puerorum hæreditates, aut eorum portionem recipiebant, quæ simul cum Pueris Monasteriis offerebantur. Hac ratione se gessit S. ipse Legislator cum Tertullo Sancti Placidi parente, qui simul cum Filio decem & octo prædia Casinensi Cænobio obtulit, ut habetur in Casinensi Kalendario, in quo ante annos amplius sexcentos aureis litteris scriptum est. III. *Non. Octob. apud Siciliam Natalis S. Placidi beatiss. Mart. cum sociis suis .... pro quo Pater ejus Tertullus patricius XVIII. patrimonii sui curtes beatiss. Patri Benedicto obtulit*; ut est apud Mabillonium in Annalibus Benedictin. ad ann. Christi 534. Provide autem præcipit S. Pater, ut si parentes omnino vellent hæreditates oblatorum simul cum filiis tradere Monasteriis, Monasterium quidem puerorum hæreditate donarent, sed ipsius usumfructum sibi retinerent. Quo facto res, quæ post parentum obitum hæreditario jure erant ad pueros perventuræ; ad alios transferri minime poterant. Quare licet puer tunc non caderet pleno jure hæreditatis, nequibat tamen eam pro libito in propria commoda convertere, postquam illa sibi obvenisset. Qui vero nihil, quod offerrent, habebant, ommissa exhæredatione, pro eis petitio fiebat; & cum oblatione coram testibus offerebatur. Hinc factum est, ut ex parentum liberalitate magni Monasteriis accesserint proventus, quod illi multas opes & ampla prædia Cænobiis conferrent in suorum filiorum gratiam, quos offerebant. Quod sane ex multis oblationum formulis præsertim fit manifestum. Instar omnium sit, quam refert Hildemarus apud Martenium: „ Offero etiam ejus portionem pro „ mercede animæ meæ in hoc Monasterium, ut dum ego adjunxero ejus portionem, usufructuarium habeam, post „ meum vero discessum, tunc veniat ejus „ hæreditas in hoc Monasterium, aut certe aliquid plusquam portionem suam. " Clarior est etiam, quæ refertur Tom. 3. Veter. Analector. qua oblatus est Petrus in Monasterio Conchensi, qui postea fuit Episcopus Pampilonen. „ Cognitum sit omnibus tam præsentibus, quam & futuris, „ quod Dominus Dido de Andoca offerens „ Deo & beatæ Fidi de Conchis unicum „ filium suum, nomine Petrum, postea „ Dei gratia factum Pampilonensem Episcopum, insuper etiam cum uxore sua „ Stephana Monasticum suscipiens habitum, dedit Sancto Salvatori, & Sanctæ Fidi gloriosæ Virgini locum & Ecclesiam de Plantas, ac alodium pro remedio animæ suæ & omnium parentum suorum in perpetuum possidendum .... Facta charta ann. ab incarnat. „ Domini 1110. Regnante Ludovico Francorum Rege. " Unde tria præcipue in hac oblatione consideranda sunt, ut notat Mabillonius To. 2. eorumdem Analect., nempe oblatio puerorum, quorum manus parentes cum oblatione & petitione involvebant in palla altaris; Donatio hæreditatis pueri, aut portionis alicujus Monasterio factæ; insuper litteræ publicæ utrumque confirmantes.

III. Extat hac de re To. 2. Analector. factum quoddam certe non omittendum, non modo, quod rerum Monasteriis oblatarum in puerorum oblatione alterum specimen exhibeat, sed etiam quod difficultatem explanet huic nostro capiti apprime opportunam. Itaque cum vertente Christiani nominis Sæculo XII. in Monasterio Sancti Pantaleonis Colonien. quidam puerum obtulisset cum portione quadam bonorum; intuens hoc vir quidam dives, sed avarus, eidem Monasterio filium tradere volebat sine ulla prorsus dote. Cui avari consilio cum Monachi restitissent, conquesti ab illo avaritiæ gratia puerum

sua dote privatum Monasterio oblatum esse, ille ex adverso Monachos pessimo simoniæ crimine accusavit. Quamobrem Sibertus ejusdem Cœnobii prior per litteras Rodulfum Abbatem Monasterii S. Trudonis in agro Leodicensi consuluit, ab eodemque petiit quidnam sibi & Monachis reliquis avaro esset respondendum, ut & ipsi simoniaca labe non polluerentur, & pecuniosus homo malitiæ suæ fructum nullatenus reportaret? Rodulfus Abbas prudentissima responsione litem omnem diremit, ingenue aperiens quidnam consilii & ab homine pecunioso, & a Monachis esset capiendum in tanta animorum discrepantia. Duo ille respondit; primo reprehendendum esse hominem avarum, quod filium hæreditate nudatum Monasterio vellet intrudere avaritiæ gratia; Deinde Siberto & Monachis nihil esse exigendum pro puerorum oblatione, nec ab illis aliquem ad hoc cogi posse, quamvis possit commoneri utcumque ad aliquid Monasterio offerendum. Hæc igitur inter cætera Siberto Rodulfus scribit: „ Susceptiones igitur de Ecclesiis & in Ecclesiis „ maturarum & immaturarum personarum, utique omnes debent gratis fieri: „ propter illud mandatum: *gratis accepistis, gratis date*. Et quia Dominus Jesus omnes vendentes & ementes ejecit „ de Templo: qui hæc scimus & libenter „ audimus, illud quoque ignorare non debemus, quia tales susceptiones duos præcipue respectus debent habere, scilicet ut „ imminutus numerus Deo in Ecclesiis famulantium per eos, qui suscipiuntur accrescat, & labor servitii Dei tolerabilior „ fiat. Quod si pecuniosi avari filius ad „ istos respectus non est necessarius, pro „ eo quod sufficiens sit vobis numerus, „ & de Dei servitio nullus defectus est; „ non videmus quæ sit ratio, ut gravetur Ecclesia de superfluo, & non necessario. Superfluum amputari debet, non „ necessarium assumi non debet .... Sicut „ vestrum est, nihil ab eo, vel ab alio „ aliquo pro hujusmodi re exigere: ita & „ ejus erat, si homo Dei esset, & non „ mammone, de portione hæreditatis, quæ „ filio deberet contingere, oblationem cum „ eo ad Ecclesiam facere, quæ eum amplius deberet & nutrire & vestire". Hæc certe nobis ommittendæ non erant. Præterquam quod enim ad rem nostram faciunt, illud nobis ab initio proposuimus, ut illustriora referremus documenta, quæ ad hunc ritum maxime pertinent.

C A P. VI.

Pueri Monasteriis oblati ad Sæcularem vitam amplius reverti nequibant.

I. NOstrum hic est probare, quos semel parentum pietas ex Regulæ instituto, cæterisque juris formulis consecraverat Monasteriis, eosdem Ecclesiasticæ disciplinæ antiquo rigore veri nominis Monachos fuisse, adeo ut amplius ad Sæcularem statum reverti minime potuerint, & parentum de se factam oblationem ratam habere debuerint. Cujus rei tot & tam clara sunt argumenta, ut qui majora quæreret, is in media veluti luce cæcutiat necesse est. Etenim cum S. Pater jubeat puerorum oblatorum patres juramenti religione constringi, ut numquam sive per se, sive per alios, sive quolibet alio modo, aliquid de hæreditate dent oblatis, ut nempe hac ratione omnes obstruantur viæ, per quas puer deceptus perire possit, suamque hæreditatem repetere ille nequeat amplius, ut satis arbitramur demonstratum; quis quæso inde non colligat, nihil præterea superfuisse puerulis oblatis, nisi obligationem Monasticæ vitæ pie ac sancte traducendæ. Ideo S. Pater præcepit Pueros cum oblatione offerri, ut per hoc quod foris ostendebatur, significaretur id quod agebatur interius: nempe eos infantes Domino effici holocausta, sicut holocaustum fiebat ipsamet oblatio hostiæ cum vino, quemadmodum docent Lantfrancus in decretis c. 18. & Martenius lib. 5. de Antiq. Monachorum ritibus cap. 5. Si vero nullum nobis aliud argumentum ad id probandum suppeteret, nisi veteres petitionum, oblationumque formulæ, confecta res esset. Hæ numero multæ videri possunt in scriptis summorum virorum Ruthardi, Hildemari, Smaragdi, Lantfranci, Menardi, Martenii, Acherii, Mabillonii, aliorumque. In primis sese considerandam offert ea formula, quæ extat apud Ruthardum in hoc Reg. cap. *Promitto ego ille coram Deo*

Deo & Sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua, & conversione morum, atque obedientia. Quæ cum absolute pronunciata sint, absolute intelligenda sunt. Si enim ad tempus aliquod ea fieret oblatio & promissio, dubio procul conditio exprimeretur, præsertim cum stabilitatis nomen non paucos annos sonet, sed vitæ ipsius durationem, ut etiam Menardus notat loco sæpius laudato. Sed si quod remaneret dubium, penitus auferunt oblationum formulæ a nobis cap. 2. in medium allatæ, quæ sat bene aperiunt, quidnam stabilitas ista sit. Ea enim formula, quam ex Smaragdo primum attulimus, ita filium Monachum facit, *ut ab hac die jam non liceat illi collum de subiugo Regulæ excutere*. Quod si quis adhuc dubitaret, quidnam sibi vellent ea verba, præsto illi est, quæ hoc idem explicat formula tertio loco allata: *Trado puerum istum in devotione Domini nostri Jesu Christi, ... ut perfistat omnibus diebus vitæ suæ, & fiat Monachus omnibus diebus vitæ suæ*. Qui sensus a formulis omnibus oblationum solet exprimi, diversis licet verbis. Præ cæteris tamen modis, quibus parentum promissio non retrahendi pueros a Monasteriis exprimebatur, illud valde placuit, qui passim obtinuit: *Non liceat illi collum de sub jugo Regulæ excutere*.

II. Neque vero existimandum est, disciplinam hanc privatis Monasteriorum ritibus duntaxat nixam fuisse. Nam anno 633. a Christo nato Sisenandi Hispaniarum Regis studio in Basilica S. Leocadiæ Toleti habitum fuit Episcoporum Concilium, in quo Canones septuaginta quinque editi sunt, eisque Toletani IV. Concilii nomen inditum est. Multi canones in eo editi sunt ad rem Monasticam pertinentes, præsertim vero canon 49. cujus hæc verba sunt: " Monachum aut paterna devotio, aut " propria professio facit: quidquid horum " fuerit alligatum, tenebit: proinde his ad " Mundum revertendi intercludimus adi- " tum, & omnes ad Sæculum interdici- " mus regressum. Canon iste de duobus agit, de impuberibus æque ac de puberibus: utrosque Monasterio alligatos vult, nullamque amplius illis ad Sæculum revertendi facultatem competere, si aut istos propria voluntas, aut illos paterna devotio Monasterio consecraverit. Idem eisdem omnino verbis repetit Concilium Wormatiense ann. 868. can. 23. Præterea idem Toletanum Concilium can. 55. vult anathemati subdi eos, qui a propriis parentibus detonsi cum fuerint, Monasticam vitam postea deseruerunt; istorumque conditionem communem facit cum eis, qui parentibus orbati a propria voluntate compulsi Monasticen susceperunt, & postea ad sæcularia sunt reversi. " Quicumque ex Sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt " se, & rursus prævaricantes laici effecti " sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad " pœnitentiam, ex qua recesserunt, revo- " centur. Quod si aliqui per pœnitentiam " irrevocabiles sunt, nec admoniti rever- " tentur, vere ut apostatæ coram Ecclesia " anathematis sententia condemnentur. " Non aliter, & hi, qui *detonsi a paren- " tibus* fuerant, aut sponte sua amissis pa- " rentibus, se ipsos Religioni devoverunt, " & postea habitum sæcularem sumpse- " runt. " Præfuit huic Sanctæ Synodo sanctus Isidorus Metropolita Hispalensis, Canonum auctor, magnoque in Monasticam Rempublicam amore affectus, ut ex ejus Regula patet; in qua cap. 4. hæc habet: *Quicumque a parentibus propriis Monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum*; quod etiam refertur in Can. *Quicumque* c. 20. qu. 1. " His et- " iam consonat Concilium Toletanum X. " anno 665. can. 6. Si in qualibet minori " ætate, vel Religionis tonsuram, vel Re- " ligione debitam vestem, in utroque sexu " filiis, aut unus aut ambo parentes de- " derint, certe aut nolentibus vel nescien- " tibus se, susceptam non mox visam in " filiis abdicaverint; sed vel coram se, vel " coram Ecclesia, palamque in conventu " eosdem filios talia habere permiserint, " ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis " quandoque penitus non licebit; sed con- " victi quod tonsuram, aut Religiosam " vestem aliquando habuerint, mox ad " Religionis cultum habitumque revocen- " tur, & sub æterna districtione hujusce- " modi observantiæ inservire cogantur. " Quo decreto Toletani Patres eum parvulum ad sæcularia nequaquam reverti posse decreverunt, quem decennio minorem pater solus, aut ambo parentes Deo in Mo-

Monachum obtulissent, vel Monachum fieri tacite consensissent. Cæterum voluerunt, ut pueri ætatem decem annorum prætervecti nonnisi sua propria voluntate Deo possent in Monasterio consecrari.

III. Huic Hispanicæ severitati concors fuit Germanicæ Ecclesiæ disciplina, quæ editis legibus nihilominus apertis & manifestis irrevocabiles statuerant puerorum oblationes ab eorum parentibus factas. Concilium enim Wormatiense anno 868. can.22. hæc decernit. „ Si Pater vel Ma„ ter filium filiamque intra septa Mona„ sterii in infantiæ annis sub regulari tra„ diderit disciplina, non liceat eis post„ quam ad annos pubertatis pervenerint, „ egredi & matrimonio copulari. Hoc er„ go omnibus devitandum est, quia nefas „ est, ut oblatis Deo a parentibus filiis „ voluptatis frena laxentur. Igitur, ut „ prædiximus, non liceat eis susceptum „ habitum unquam deserere, sed convictis „ quod tonsuram aut religiosam vestem „ aliquando habuerint, in religionis cultu „ habituque, velint, nolint, permanere „ cogantur. “ Quam sanctionem canone sequenti 23. confirmarunt, ut diximus. Si ergo oblatio puerorum a parentibus facta, ita eos Monasterio addicebat, ut si inde egressi uxorem duxissent aliquando, a conjugalibus amplexibus essent Ecclesiastico rigore amovendi, & carnis operibus renunciare cogerentur, quis inde non videat tanti roboris illam extitisse, ut nulla postea oblatorum reluctatione potuerit rescindi? Concilio Wormatiensi consentit Concilium Triburiense anno 895. can. 6. „ Quem „ progenitores ad Monasterium tradide„ runt, & in Ecclesia cœpit canere & le„ gere, nec uxorem ducere, nec Mona„ sterium deserere poterit; sed si discessé„ rit, reducatur; si tonsuram dimiserit, „ rursus tondeatur; uxorem si usurpave„ rit, dimittere compellatur. Hujus quidem Canonis verba ab Hugone Menardo in cap. 66. Concor. Regul. intelliguntur de iis, qui pubertatis annos attigerunt, quod inusitatum sit pueros ante pubertatem Matrimonio jungi. Neque a nobis certe asseritur id Concilio venisse in mentem, pueros nempe impuberes oblatos veste Religiosa relicta Matrimonio posse copulari ante pubertatem. Illud tamen indubitanter asserimus disjunctione quadam præfatum Concilium intelligendum esse, ut nimirum si puer intra impubertatis annos a parentibus fuisset Monasterio devotus, factusque pubes inde exisset, uxoremque duxisset, ad eam deserendam Ecclesiastico rigore compellendus esset, vel si impubes e Monasterio exisset, ac tamdiu extra illud fuisset moratus, ut Matrimonio aptus uxorem duxisset, eodem Ecclesiæ rigore a conjugalibus amplexibus esset sejungendus. Nihilominus ex laudato Canone aperte sequitur pueros oblatos Religioni perpetuæ adstrictos fuisse vi oblationis, etiamsi eo in Canone sermo esset de Matrimonio ante pubertatem contracto. Si enim talis oblatio non adstrinxisset pueros oblatos perpetuæ Religioni, non fuissent ab Ecclesia etiam per censuras compulsi ad conjugale thorum deserendum. Ideo enim pueri oblati uxores deserere compellebantur, quod eas post oblationem duxissent. Quæ fuit priscorum Sæculorum communis disciplina, ut ex iis quæ sumus dicturi magis magisque patebit. Esset hic proprius locus agendi de Canone 23. Concilii Moguntini Sæculo IX. celebrati, sed rem ad sequens caput commodius transmittimus.

CAP. VII.

Eadem disciplina in Gallis maxime viguit.

I. Hispanicæ & Germanicæ disciplinæ offerendi Deo parvulos etiam impuberes, adempta inde ad Sæculum revertendi quacunque spe, non dissensit Ecclesia Gallicana, in cujus Monastica Historia frequentissima sunt hujus rei exempla. Non leve, neque vulgaro arbitramur, quod Sæculo Ecclesiæ VII., contigisse refertur lib. 1. Miracul. S. Richarii Centulæ Abbatis num. 14. nempe anno a Christo nato circiter 645. Filius quidam paralyseos morbo laborans a parentibus, a quibus vehementer diligebatur, *in cunabulis* delatus est ante Mausolæum S. Richarii; ibique devoverunt, “ ut si pristina incolumi„ tate, Dei auxilio ac Sancti sui implo„ ratu fungi mereretur, Domino manci„ pari atque loci ipsius patrono sub Mo„ nachica norma deberet famulari. In cu„ jus devotionis titulo sumpta forcipe ca„ pue

„ put instar coronæ totonderunt ea con-„ ditione vel tenore, ne *in reliquo ab hac* „ *professione retro pedem vertere voluisset*... „ Per hujus Sancti suffragium adeptus est „ omnium artuum sanitatem . . . . . . ac „ congruo suo æquo tempore reductus, „ dignius ac honorabilius Domini servitio est mancipatus. Quæ omnia non nostra interpretatione, sed aliena lectione solum indigent. Aliud quoque ejusdem conditionis exemplum legimus in vita S. Agili Abbatis Resbacensis scripta ab auctore Anonymo sub æquali eodem Sæculo VII. quod fuit Benedictinum II. anno Christi circiter 650. Agnoaldus vir Nobilis una cum uxore unicum filium suum Agilum septennem sanctissime educabat. Contigit autem, ut forte S. Columbanum illac prætereuntem domi suæ hospitio exciperent: cui cum puerulum suum obtulissent, ut tanti Viri benedictione muniretur, Sanctus Columbanus " data benedictione præmon-„ strat veritatis præconio eundem filium „ talem futurum, qui multis viam salutis „ ostendat, atque gloriosus in Christi mi-„ litia effulgeat . . . . Proinde mul-„ timodo hortatu persuadet utrisque pa-„ rentibus vovere Deo eamdem prolem „ *sub norma religionis Monasticæ*. Unde „ factum est, ut divino instinctu illius ad-„ quiescentes sermonibus, quem sibi opta-„ bant superstitem, hæres esse mereretur „ Dei, & cohæres Christi. " Infinitum esset per singula excurrere.

II. Quam usitata hujusmodi pia consuetudo fuerit in Galliis, satis superque colligi potest ex Concilio Aurelianensi V. anno 549. celebrato. In quo duo Sanctimonialium genera distinguuntur præter eas, quæ in domibus propriis degebant: aliæ clausuram perpetuam observabant, aliæ inclusæ non erant. Utræque præterea duplicis erant conditionis, nempe quæ propria voluntate Monasterium expetebant, & quæ a parentibus in puerili ætate offerebantur. De utrisque c. 19. statuitur, ut quæ sive propria voluntate Monasterium ingrediuntur, sive a parentibus propriis offeruntur, annum integrum permaneant in veste, qua intrant, nempe Sæculari. Si vero perpetuo inclusæ esse non debeant, triennio sic permaneant, quod nempe istæ majori periculo sint futuræ expositæ, ac proinde majore indigeant probatione, ut exponit Mabillonius To. 1. Annal. Bened. ad anno 559. num. 59. Porro si potuissent oblati vel oblatæ Monasteriis, postquam pervenissent ad pubertatis annos, egredi, frustra illis fuisset tantum probationis tempus assignatum. Verba hujus Concilii referemus infra c. 10. Hujus ritus quoque meminit S. Gregorius Turonensis, tanquam praxis suo Sæculo usitatissimæ. Nam in lib. de Gloria Martyrum, p. 1. cap. 76. ait: *Mulier quædam filium suum unicum ad hoc Monasterium adducens Abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus Clericus sacris manciparetur officiis*; quem paulo post vocat *puerulum & infantulum*. Et in lib. de Gloria Confess. cap. 22. *Puerulus autem unus de familia Turonicæ Ecclesiæ in valetudinem corruit. Sed & puella de his Mancipiis simili sorte febricitans cum ante cancellos monumenti fuisset exposita, in ipsa die incolumitati est restituta. Ad nos vero cum horum notitia devenisset, puerulum humilitatis capillis Monasterio cessimus: puellam vero mutata veste cætui Sanctimonialium conjungi præcepimus*.

III. Severior hæc disciplina in Gallis vigebat tempore D. Bernardi. Nam cum Robertus ejusdem S. Patris ex fratre Nepos se se subduxisset e Sancti Patris disciplina, atque ad Cluniacenses transiisset, inter alias defectionis suæ rationes hanc adducebat, quod non Cisterciensi, sed Cluniacensi Cœnobio fuisset oblatus. Scripsit illi S. Bernardus Epistolam Monastica charitate plenam, qua omnes a transfuga Nepote adductas rationes diluit, sibique asserit ratam futuram fuisse Roberti oblationem Cluniaco factam, si in ea solemnes Ecclesiæ ritus servati fuissent. Quod cum factum minime fuerit, non esse dicit, cur ab ea Robertus Cluniaci debeat retineri. *Videat . . . . . Legislator noster Benedictus, quid regularius fuerit: utrum quod factum est de infantulo, nesciente ipso, an quod ipse per se postmodum prudens & sciens fecit cum jam ætatem haberet, ut de se loqueretur. Quanquam dubium non sit, promissum illum fuisse non donatum. Nec enim petitio, quam Regula præcipit pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta in palla altaris, ut sic offerentur coram testibus*. Igitur ideo

ideo tantum oblationem Roberti Cluniaco factam ratam non habebat S. Bernardus, quia ex omni Regulæ præscripto facta non erat. Præterea cum Thomas de S. Audomaro in Monasterio S. Bertini a parentibus puerulus esset oblatus, & grandior factus studio sanctioris conversationis ad Clarevallenses transire vellet, Monachi Bertiniani eundem prohibuerunt. At S. Bernardus Leonio Abbati & cæteris ejus Monachis epistolam scripsit, num. 324. qua ideo docet præsatum Thomam prohibendum non esse, quominus Claram-vallem transiret, non quod oblatio de ipso facta a parentibus Monasterio Bertiniano eum non adstringeret, sed quod votum parentum integrum maneret, immo illud commutaret in melius. *Ego autem dico, quod votum parentum integrum manet, & oblatio eorum non est exinanita sed cumulata. Nam & idem offertur, quod prius oblatum est, & eidem offertur cui prius oblatum, & quod prius a solis parentibus oblatum fuerit, nunc offertur a filio*. Commutari enim posse vota in melius constans fuit semper sacrorum Canonum, & Doctorum sententia, ut videri potest apud D. Thomam 2. 2. quæst. 189. art. 8.

IV. Quare minime nobis probari potest sententia eruditissimi viri Ludovici Thomassini, qui part. 1. Discipl. Eccles. cap. 57. asserit sæculo Nono incepisse in Galliis mitigari inhumanitatem quamdam priorem, qua parentes Clero vel Cœnobiis filios obtrudebant, etiam renitentes, etiam adempta spe & facultate resiliendi. Cum enim hic ritus in Galliis maxime floreret tempore S. Bernardi, ut modo diximus, nempe sæculo XII. qua ratione cœpit in desuetudinem abire sub Carolo Magno, qui fuit sæculo IX.? Ideo autem Thomassinus Caroli Magni clementiæ, & humanitati tribuit hoc severioris disciplinæ lenimentum, quia anno 811. scripsit Breviculum graviorum quarumdam rerum conferendarum cum Episcopis & Abbatis hoc titulo: *Brevis Capitulorum, quibus fideles nostros Episcopos & Abbates alloqui volumus, & commonere*: in quo Breviculo caput X. ita ferebat: *In quo Canonum, vel in cujus Sancti Patris Regula constitutum est, ut invitus quislibet aut Clericus, aut Monachus fiat. Aut ubi Christus præcepisset, vel quis Apostolus prædicasset, ut de nolentibus & invitis & vilibus personis congregatio fieret in Ecclesia, vel Canonicorum, vel Monachorum*. Hanc Carolinam Clementiam in causa fuisse arbitratur, cur Concilium Moguntinum, & Concilium Cabilonense habita anno 813. oblationi puerorum modum imposuerint. Nam Moguntinum eos, qui in antecessum his compedibus irretiti fuerant, absolvere nequivit: & lato, inquit Thomassinus, Canone 23. cavit ne in posterum his nexibus obligarentur pueri, nisi ætate a Canonibus præfixa, ipsorumque impetrato consensu: *De Clericis vero hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt, sive in Canonico, sive in Monastico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate & spontanea voluntate, vel cum licentia Domini sui*. Concilium vero Cabilonense canonicas pœnas statuit in Episcopos & Abbates, qui per dolos & artes in suas congregationes alliciebant eos, quorum pecuniis inhiabant magis, quam saluti: *quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt*. In quibus, inquit Thomassinus, nihil vetat parvulos intelligi. Patiatur quæso clarissimus Vir, ac de studio Ecclesiasticæ disciplinæ optime meritus nos paulisper ab ipso dissentire. Etenim cum neque a Moguntino, neque a Cabilonensi conciliis parvuli nominati sint, qui certe nominari debuerant ut in re magni momenti, & antiquorum Canonum rigorem relaxante; non levis inde conjectura exoritur aliud ea concilia voluisse, ac ipse contendit. Et sane quod attinet ad Carolum Magnum, quærit ille primum quonam in Canone, vel in quanam Sancti Patris Regula inveniatur, ut *invitus quislibet* aut Clericus aut Monachus fiat? Profecto id in nullo Canone legitur, in nulla Regula sancitur, ut *quislibet etiam invitus* aut Ecclesiastico ordine initietur, aut Monasterio offeratur? Patria enim potestas pueros Deo offerendi sub Monastica Regula suos semper habuit limites, & interdum ad peculiarem quemdam annorum numerum, interdum ad alium erat coarctata. Primo enim legimus in Concilio Toletano X. can. 6. patriam po-

potestatem ad decennium ætatis filiorum restrictam esse; deinde pueri usque ad ætatem XII. annorum, postremo quatuordecim poterant a parentibus offerri ut est observatum. Quæ potestatis restrictio cum minime observaretur Caroli Magni temporibus, hac de re graviter ipse conquestus est ad Episcopos & Abbates. Alioquin de pueris nequaquam potuisset postulare summus Imperator, in quonam Canone & Patris regula legeretur, posse aliquem nescientem, aut nolentem Dei servitio addici. Episcopis enim & Abbatibus responsio in promptu fuisset: In Regula S. Benedicti, S. Isidori, aliorumque. In Canonibus Conciliorum Toletanorum, Triburiensis, Wormatiensis, & aliorum. Quod a Carolo Magno, cæterisque Episcopis & Abbatibus fuisse ignoratum quisnam sibi animo finget? Quare optimo jure adultorum etiam invitorum offerendorum licentiam compescuere Moguntinum & Cabilonense Concilia, primum decernendo, *ut nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia Domini sui*. Porro cum legitima ætas requirat Concilium, poterant igitur pueri offerri intra spatium a sacris Canonibus constitutum. Præterea post hoc Concilium Rabanus Maurus Fuldensis Abbas scripsit librum (de quo postea multa dicemus) adversus eos qui impugnabant institutionem S. Benedicti de offerendis Deo parvulis, cum eo tempore viveret ille, quo nec hujus Concilii acta ignorare poterat, nec procul dubio Conciliari institutioni adversari; id ergo argumento est non de aliis loquutam esse Moguntinam Synodum, quam de pueris adultioribus. Alterum vero Concilium cohibuit eos, qui *quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt*; in quorum numero cum Thomassinus comprehendat parvulos oblatos procul abit a Concilii mente. Aliud enim est obvios quoslibet fraudulenter & artificiose circumvenire, quod nunquam licuit, ut fiant Monachi; aliud pueros ex *Sanctæ Regulæ* præscripto Deo offerre. Quid? quod Thomassinus ipse cap. 59. ejusdem libri libens fatetur etiam post D. Bernardi tempora jus vetus hac in parte suum antiquum rigorem retinuisse, & id unum relaxatum fuisse, ut ab una Monastica congregatione ad aliam fieri posset transitus. Quæ quidem mutatio facta est ab Alexandro III. summo Pontifice, ut mox dicemus. Nihil ergo Caroli Magni tempore immutatum fuit, quod ad intimam hujus ritus naturam pertineret.

V. Illud tamen additum fuit, ut oblati pueri, postquam annos pubertatis attigissent, deberent Monasticam vitam profiteri; ratamque habere de se a parentibus factam oblationem. Cum enim anno 817. habita fuerit Synodus Aquisgranensis sub Ludovico Pio Imperatore interventu S. Benedicti Anianensis Abbatis, ut diximus in fine capitis 4., septuaginta & duo capitula sancita sunt ad rem Monasticam pertinentia. Cap. 36. statutum legimus, ut quem Pater & Mater tempore sacrificii obtulerant altari, facta pro eo coram laicis testibus petitione, *hanc oblationem tempore intelligibili ipse puer confirmaret*. Quod passim apud Monachos Benedictinos obtinuit, ut etiam videri potest in Decretis Lanfranci & apud alios. Quæ quidem non sunt ita accipienda, ut ante confirmationem oblationis liceret oblatis pueris a votis parentum resilire; sed simplex erat ratihabitio facti, quod per se sartum tectumque erat. Quæ votorum confirmatio genus quoddam professionis erat simile ei, quæ nunc apud Religiosos ordines votorum renovatio appellatur, quæ scilicet novam non inducit obligationem, sed jam pridem inductam ratam habet, probat, roborat; quemadmodum ad hoc Reg. cap. Martenius docet, & Mabillonius etiam To. 3. Veter. Analect. Quod usque adeo verum est, ut S. Udalricus lib. 3. Consuetud. Cluniacensium cap. 9. hanc votorum confirmationem appellet benedictionem. In hunc sensum accipiendi sunt S. Anselmus & Lanfrancus: ille dum apud Eadmerum, in lib. 1. de vita ipsius, Oberni pueri oblationem ab ipsius professione distinguit: iste vero, dum cap. 17. decret. ritum suscipiendi parvulos in Monasteria a ritu professionis sejungit: *Cum vero adulta ætate facturus professionem fuerit, fiant ei cætera, quæ superius debere fieri converso jam diximus*. Conversi autem nomine intelligit Lanfrancus eos, qui adulti ad Monasticen accedebant, teste Mabillonio.

CAP.

CAP. VIII.

Ritus offerendi pueros in perpetuum Deo a Romana Ecclesia probatus ac servatus.

I. RItum a Benedicto prius institutum offerendi Deo in Monasteriis filios adhuc impuberes, atque Monasticæ vitæ addicendi, adempta quacumque ad sæculum revertendi spe, non paucorum Monasteriorum praxim olim fuisse, sed Ecclesiæ ipsius disciplinam, hoc in capite aperimus: in quo quid summi Ecclesiæ Pontifices senserint, ac pro re nata decreverint, sumus in medium allaturi. Ducat agmen Gregorius II. qui consultus a S. Bonifacio Episcopo Moguntino & Germanorum Apostolo, an infans oblatus Deo a parentibus, ut viveret sub Regulari disciplina, posset pubes factus ad sæcularem reverti vitam, sic respondit anno 726. " Addidisti adhuc, quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa Monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari? Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. Igitur ut prædiximus non liceat eis susceptum habitum unquam dimittere: sed convicti, quod tonsuram Monachalem, aut Religiosam vestem aliquando habuerint, in Religionis cultu habituque, velint, nolint, permanere cogantur. " Quæ postea verba usurpata fuerunt a Concilio Wormatiensi can. 22. superius relato. Porro Gregorius II. hanc solam & unicam adducit rationem, cur nequeant parvuli ad domos paternas redire post pubertatis annos, quia semel Deo a parentibus oblati fuerunt. Deinde Causa 20. qu. 3. cap. 4. extat epistola Nicolai I. ad omnes Episcopos Germaniæ data anno 866. in qua agitur de quodam Lamberto, qui cum invitus inter octavum & decimum annum a Patre Monachus factus fuisset & cuculla indutus, paulo post etiam Monasticam vestem ab Episcopo accepisset invitus, voluit deinceps hæreditatem suam repetere, At reclamantibus fratribus consuluit Nicolaum I. summum Pontificem, a quo dispensationem petiit, ut posset ad sæculum reverti. Quod ille facile obtinuit, Patre non solum affirmante interposito juramento, Lambertum a se invitum Monachum factum, verum etiam a se illum oblatum Monasterio nulla ab Abbate benedictione percepta, nec manu pueri altaris palla involuta, ut moris erat. Hæc causa potissima fuit Nicolao I. dispensandi Lambertum. Unde quemadmodum ex Gregorio II. qui secundum juris regulas Monasterio erant oblati, inde egredi amplius non poterant; ita ex Nicolao egredi poterant, qui hisce Formulis minime servatis offerebantur. Pari omnino constantia Alexander III. prædecessorum decretis adhæsit. Anno 1180. scribens Episcopo Beluacensi, ut refertur in Cap. *Significatum*, extra, de Regul. irrevocabilem esse docet professionem eorum, qui sive a parentibus oblati fuerint adhuc parvuli, sive post annum XIV. fuerint professi: " Mandamus quatenus si inveneris, quod G. non fuisset oblatus a parentibus: & intra decimumquartum annum facti voti pœnitens a Religione recesserit: ab illo voto professionis, quod fecerit, denuncies absolutum. Si autem a parentibus fuerit oblatus, seu decimum quartum annum compleverit cum religionem intravit, seu post XIV. annum professionem a se prius factam, ratam habuerit: eum ad eamdem, vel ad aliam redire compellas. " Quod certe de transitu ad strictiorem ordinem intelligendum esse nemo negare potest, qui vel leviter fuerit in Canonum doctrina versatus.

II. Arbitramur his satis demonstratum, quænam hac in parte fuerit Romanæ Ecclesiæ disciplina, atque consensus: ac proinde ab omni veritate alienum esse, quod in suis ad hoc Regulæ cap. commentariis scribit Antonius Perez, (quem Card. Jo. Bona in notitia auctorum præfixa Divinæ Psalmodiæ appellat virum doctum, sed in Regula S. Benedicti explicanda parum diligentem;) nempe hanc oblationem puerorum a parentibus factam ita firmam fuisse, ut durante infantiæ ac pueritilatis ætate non liceret filiis citra parentum arbi-

trium a Monasteriis recedere, si consentientibus ipsis parentibus Monasticæ regulæ fuissent subjecti: at annis pubertatis expletis integrum pueris fuisse pro libito manere, aut recedere, quantumcumque a parentibus fuissent Monasterio addicti; perinde quasi ex adductis testimoniis non constet, quid juris olim hac in re fuerit. Merito sane Vir doctissimus Edmundus Martene in sæpius laudato loco inquit: „ Quæ habentes a nobis dicta sunt, adeo clara „ sunt & perspicua, ut vel cæcus ea digito tangat; omnique oporteat lumine „ destitui, qui hæc non adverterit. Adeo ut „ mirum sit, aut potius stupendum, quosdam per multiplices alienarum violentarumque glossarum inventiones in oppositum sensum illa detorquere; qui tamen nullo sive rationis, sive auctoritatis fundamento suam sententiam stabilire possunt.

III. Neque nos latet solere ex adverso objici decretum Marcelli Papæ, qui sæculo IV. præcepisse dicitur cauf. 20. qu. 1. cap. 10., ut pueri Monasterio oblati anno ætatis eorum XV. inquirantur, utrum in eo statu permanere velint, nec ne. Si permanere voluerint, omnis inde regrediendi sit illis aditus interclusus; Si vero noluerint, nullo modo illis talis facultas denegetur. Respondet Menardus loco jam sæpe laudato, hoc decretum sibi non esse omnino certum, quod tempore hujus Marcelli, nempe sæculo Ecclesiæ IV. ineunte, talis puerorum oblatio in usu non fuerit, cum de ea nihil legatur ante tempora S. Benedicti, vel certe S. Leonis Magni, qui de puellis Deo oblatis agit, ut videbimus. Sed etiamsi eo tempore oblatio puerorum aliqua in usu fuisset, nihil est quod ex hoc decreto nobis objici possit. Satis enim ostendimus auctorem amplificatoremque hujus ritus D. Benedictum extitisse. Non leve tamen argumentum contra nos sumi posse videbitur ex ep. 92. S. Leonis Papæ cap. 12. & 13. quæ est ad Rusticum Episcopum Narbonensem. " Propositum Monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato &c. Puellæ, quæ non coactæ Parentum imperio, sed spontaneo judicio Virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligant prævaricantur. „ Multum sane in hoc nodo solvendo esset elaborandum, nisi ipse Clemens III. Romanus Pontifex eamdem difficultatem elisisset. Hic enim anno 1190. eamdem observantiam confirmavit, ac superiores Pontifices; Nam in cap. *Cum simus*, extra de Regular. nititur canone Concilii Toletani IV. Cum autem sibi objecisset decretum Leonis Papæ Magni relatum, asserit illud esse intelligendum de iis puellis, quæ jam ætate maturæ cum sint, non sunt amplius in potestate parentum, ut queant offerri, ideoque retro pedem vertere possint, si invitæ fuerint oblatæ. „ Nec, inquit, obloquitur, quod „ de Sancti Leonis Papæ constitutione per „ contrarium sensum assumitur, ut puellæ quæ coactæ parentum imperio Virginitatis habitum susceperunt, ipsum „ possint, sine prævaricatione deserere, „ Cum de ea possit intelligi, quæ in ætate nubili noscitur constituta. Tunc „ enim quia liberum arbitrium habet, in „ electione propositi, parentum sequi non „ cogitur voluntatem. „ Quod cum a Thomassino quoque notatum fuerit, satis est ut constet, quonam sensu Leo Magnus sit intelligendus, quamquam hæc interpretatio non satis illi arrideat. Verum, ut antea dicebam, ad rem nostram satis superque est hanc disciplinam de irrevocabili puerorum oblatione a parentibus fieri solita in Ecclesia Latina fuisse summorum Pontificum decretis firmatam, quæ olim auctore ac propagatore D. Benedicto in medium prodierat.

IV. Interim coronidis veluti loco hortari placet pium lectorem, ut animadvertat quanti Deus hanc puerorum oblationem fecerit, quo tempore illam Ecclesiæ disciplina ferebat. Libro 3. Miracul. S. Bavonis Gandavensis Confess. sæculo II. Benedict., nempe anno a Christo nato circiter 663. Vir quidam nobilis Sancto Bavoni in Monachum devovit filium suum infantulum; at puero adulto facto patrem voti pænituit, eumque oblatione neglecta domi retinere secum decrevit. Cum vero amicos consanguineosque suos ad convivium vocasset, in quo puer jam duodennis interfuit, gratulantibus cunctis inter pocula patri, quod filium domi retineret, factum est ut puer inopinato casu inter

illas corrueret subita morte correptus. Hoc autem perfido & perjuro Patri in pœnam defraudatæ oblationis contigisse antiquissimus scriptor non dubitat certissime affirmare. Sed, ut institutum repetamus, duo hic præterea cum Mabillonio to. 3. Vet. Analect. n. 11. & 12. adnotentur. Primo, parentes devoventes filios suos Monasteriis interdum ita comparatos animo fuisse, ut si oblatus filius moreretur ante viriles annos, alium ejus loco subrogaturos se promitterent; Quod cujusdam Ademari exemplo confirmat, qui filium suum Geraldum Monasterio Gellonensi ea conditione devovit, ut si ille mortuus esset ante adeptum Sacerdotii gradum, *alius ejus loco subrogaretur, & sic unus succederet alteri, donec aliquis Missam cantaret, & sub Monachali habitu dicto loco serviret*. Secundo, hosce oblatos puerulos ita fuisse Regularis observantiæ legibus adstrictos, ut in veste nihil a cæteris discreparent, præterquam in interula linea, quam cæteri Monachi laneam ferebant: & in cuculla, quam tempore duntaxat opportuno suscipiebant, deferentes interim floccum cum capello, quem frocum appellant alii; illudque ipsum est, quod Monachi Rochetum dixerunt. Ab esu quoque carnium abstinebant, quem tamen infirmæ valetudinis tempore illis concessit Synodus Aquisgranensis, de qua supra egimus, can. 37. *Infantes oblati carnem nonnisi infirmitatis gratia manducent*. Quæ tamen sanctio alicubi interdum temperata fuit.

CAP. IX.

Quibus fundamentis istæ oblationes reiterentur?

I. EX multis oblationum exemplis constat in ista puerorum oblatione habitam fuisse rationem puerulis Samuelis, qui a matre Anna, etiam antequam nasceretur, Dei O. M. servitio devotus est. Anna enim insignis pietate fæmina cum nimis esset animo amaro propter sterilitatem suam Domino Deo suo vovens vovit, si sexum virilem obtineret in filium, eumdem se dicaturam ejus servitio. Unde natus Samuel perpetuo Dei servitio dicatus est, lib. 1. Reg. cap. 1. In quam rem præclarum illud extat D. Chrysostomi dictum hom. 3. de fide Annæ: *Adduxit ac reliquit, nec puer a mamma divulsus moleste tulit, cum sciatis quam soleant indignari pueri, quoties a lacte depelluntur*. Præbuit hoc Annæ votum facem Christianis, ut ejusdem exemplo filios suos Deo consecrarent; non vero argumentum præbuit, ut ejus exemplo id a se fieri posse crederent. Longe maximum argumentum, quo tota quanta erat hujusmodi facultas nitebatur, a Patria potestate erat desumptum, quam veteri Romano jure Parentes in filios obtinebant. De qua pauca nobis dicenda sunt ab ipsius rei petita principiis. Liberos itaque fuisse olim, & nunc etiam esse in potestate Patris nemo negaverit, nisi qui totam naturam ignoret. Cum enim filius portio quædam sit a Patre genita, ac veluti decisa, ejusdemque cura alta & educata, non potest non esse in summa Patris potestate posita. Quare maxime ridendus est Hobesius liberioris ingenii homo, qui, ut est apud Gravinam lib. 2. Origin. n. 10. docuit non in patris, sed in matris naturali potestate filios esse positos, quod filios concipiendo prima occupaverit. At non vidit ille fæminam prius a marito occupatam esse jure ac præstantia corporis mentisque virilis, ac multo magis matrimonii jure. Quod recte intelligentes orbis terrarum gentes summum semper voluerunt esse Patentum in filios dominium ac potestatem, adeo ut jus Patrum in filios a Tito Livio lib. 4. *Paterna majestas* fuerit appellatum. Et sane memorat Aristoteles lib. 8. Ethic. c. 10. tamquam servis Patres usos esse filiis apud Persas. Plutarchus vero in Solone narrat licuisse Thebanis filios vendere, cum alendæ prolis copiam minime haberent. Immo vitæ necisque potestatem apud Gallos Patres habebant, teste Cæsare lib. 6. de Bell. Gallico. Quod deinceps sive moribus ipsis, sive lege Romuli apud Romanos erat in usu. Hæc enim de Patria potestate lex a decemviris translata fuit in quartam tabulam, ac permissum parentibus ut filios suos in manu, potestate, mancipioque haberent, haberentque propterea in eos jus vitæ & necis ac ter vendendi facultatem. Quo sensu *Patria potestas* propria civium Romanorum dicitur lib. 1. In-

I. Institut. tit. 9. non quod aliæ nationes talem non haberent potestatem, sed quod illæ hanc potestatem talibus juribus munitam non haberent, ut Romani cives. Ut enim ait Arnoldus Vinnius lib. 1. Instit. eod. tit. „ Romanorum in liberos potestas neque „ finem habuit, neque modum. Non finem, quia in omne vitæ filii tempus „ producta fuit, etiamsi summos honores „ ille gessisset.... Non modum, quia immensa fuit. Postquam vero Romani litterarum studio, initoque cum Grecia eruditionis & disciplinarum commercio mitescere cœperunt, raro admodum & parce hac venundandi & occidendi filios potestate, uti cœptum est; donec jus istud vitæ & necis, alienandi & vendendi filios, ut pote a ratione juris naturæ atque a pietate abhorrens emendatum fuit: permissumque duntaxat patribus filios corrigere, & si quid nimis grave & atrox admisissent, ad magistratus referrent, ut filii graviore animadversione plecterentur. L. 3. *Cod. de Patr. pot.* L. Un. *de emend. propr.* & L. 2. ad l. *Corn. de Sicar.* Præterea Constantinus lib. 1. *de patr. qui fil. distrax.* coercuit eorum patrum licentiam, qui filios ob inopiam paulo facilius objiciebant transeuntibus, voluitque eos tamdiu esse in potestate emptoris, donec a patre vel ab alio quolibet redimerentur.

II. Jus hoc Patriæ potestatis Christianis moribus valde quidem mitigatum fuit, sed non omnino sublatum. Quod respiciens B. Pater Benedictus non putavit esse alienum a patrio jure, quod *in pietate, non atrocitate debet consistere*, ut ait jurisconsultus L. 5. D. ad L. Pomp. de Parr. si pietatis erga Deum rerum omnium supremum Dominum causa parentes filios suos in perpetuum consecrarent in Monasteriis. Unde Hugo Menardus in cap. 66. Concor. Reg. ait: „ Dico hoc jus esse a „ naturali potestate, quam habent parentes in liberos, qui possunt etiam eos „ vendere necessitatis causa, ergo etiam „ devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium; tam pro salute „ sua, quam liberorum, modo id fiat pura intentione & devotione. Et hæc oblatio est summæ virtutis, quæ vincit „ amorem naturalem parentum in liberos, „ & etiam desiderium naturale propagandæ familiæ suæ, maxime cum uno „ oblato cæteri superstites possint sine liberis mortem obire: & etiam solatii, „ quod parentes possunt ex ejusmodi oblatis percipere, quo tamen privantur illos Deo offerendo „. Porro ut valeant Patres filios suos Deo in perpetuum offerre, rataque sit ista traditio, satis non est eorum patrium jus atque voluntas, sed insuper requiritur, ut Ecclesia tales oblationes accipiat ratasque habeat. Etenim ad veræ donationis naturam & vim requiruntur donantis potestas & voluntas, & donatarii acceptio. Donatio quippe sine acceptione non est, ac proinde perfecta censenda non est, antequam donatarius eam gratam habuerit, excepto casu expresso *L.* 10. Cod. *de Sacrof. Eccles.* in favorem Ecclesiæ. Plene autem perficitur ac veluti consummatur doni & promissi præstatione. Qua de re, inter cæteros, vide doctissimos viros Antonium Perezium, & Arnoldum Vinnium lib. 2. Instit. tit. 7. Itaque præter patriam offerendi pueros potestatem ac voluntatem, Ecclesiæ accipientis hujusmodi oblationes consensus necessario requirebatur. Quæ in toto prorsus Occidente per multa sæcula æquo animo magnaque disciplinæ constantia pueros a patribus sibi ineluctabiliter donatos accepit, ut demonstratum est & sumus prætcrea demonstraturi; in Orientis autem partibus nonnisi ad certum vitæ puerorum tempus hujusmodi oblationes receperit Ecclesia, ut ex D. Basilio præsertim notum fecimus. Quamvis autem hæc donatio esset in favorem Ecclesiæ, tamen Ecclesiæ acceptantis consensus requirebatur, ut esset rata; quia res Ecclesiæ donatæ nonnisi in favorem Ecclesiæ vertere possunt; at donatio perpetua creaturæ liberæ in Monachum vertere æque poterat in emolumentum, atquè detrimentum Ecclesiæ; ideoque fuit necesse auctoritas Ecclesiæ donationem recipientis, deque hisce rebus prudenter cognoscentis.

CAP.

CAP. X.

Solvuntur quæ contra hunc ritum objici possunt.

I. MAximum argumentum, quo æquitas antiquarum harum oblationum labefactari potest, est hujusmodi. Si quis invitus etiam impubes Monasterio intrudatur, maximum subest periculum, ne in deterius ille labatur. Unde cum S. Augustinus dicat ep. 78. n. 9. *difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quam qui in Monasteriis ciciderunt;* non esse videtur ille Deo in Monasterio devovendus, in cujus oblatione signa futuræ sanctitatis non apparent. In hac autem puerorum oblatione maximum periculum suberat, ne oblatos pueros vitæ Monasticæ tæderet, ac proinde vel nulla regularis disciplinæ habita ratione liberius viverent, vel veste Monastica abjecta ad sæculum redirent. Illud tamen ab hac imprudentiæ nota vindicare potest veteres oblationes puerorum, quod in confesso est apud omnes vel leviter in Ecclesiastica Monachorum historia versatos: nempe hunc ritum causam fuisse, & originem salutis plurimorum, & plane multo plurium qui fortassis in Sæculo permanentes periissent. Cum enim tunc temporis Monasteria a commercio Sæcularium valde abstinerent, qui semel Monasterio erat oblatus, nihil aliud cogitabat, quam de vita religiose, & sancte transigenda. Non est profecto, non est ex nostris de cæteris Sæculis judicandum, neque aliorum mores sæculorum ad nostros æstimandi sunt. Legantur quæso quæ de mira oblatorum puerorum simplicitate, pietate, atque integritate leguntur in vita S. Stephani Abbatis Obazinensis lib. 2. apud Baluzium tom. 4. Miscellan. Quæ sane accepta referenda sunt sanctissimæ institutioni, quam in Monasteriis accipiebant. Hinc S. Anselmus conquerenti cuidam Abbati, quod pueros indociles in Monasteriis adhuc sustineret, respondit id non tam ex prava eorum indole, quam ex minus apta institutione illorum, qui Monasteriis erant præpositi, proficisci, ut est apud Eadmerum lib. 1. de Vita S. Anselmi. Neque vero putandum est quoslibet oblatos indiscriminatim ac sine ullo delectu fuisse ab Abbatibus in Monasteria admissos. Nam in aliquibus Monasteriis probationi subjiciebantur non aliter atque adulti. Huic probando præsto est Concilium Aurelianense V. Sexto Ecclesiæ Sæculo celebratum, ut diximus cap. 7. Nam cap. 19. hæc statuit de Sanctimonialibus. „ Quæcumque puellæ seu „ propria voluntate Monasterium expe- „ tunt, seu a parentibus offeruntur, si „ quidem perpetuo inclusæ esse debeant, „ annum unum in ipsa, qua intraverint ve- „ ste permaneant; in his vero Monaste- „ riis, ubi non perpetuo tenentur inclu- „ sæ, triennium ipsa, qua intraverint ve- „ ste permaneant, & postmodum secun- „ dum statuta Monasteriis ipsius, in quo „ elegerint permanere, vestimenta reli- „ gionis accipiant. " Quod ideo factum est, ut hoc tempore earum indoles commode posset explorari; hanc autem probationis necessitatem etiam masculis fuisse impositam dubitari non potest. Præterea Sæculo II. Benedict. p. 2. Mabillonius refert vitam S. Willibaldi scriptam a quadam sanctimoniali, in cujus num. 5. narratur S. Willibaldum quinquennem Egbaltio Abbati oblatum fuisse, qui idcirco *secundum regularis vitæ disciplinam declarabat ista congregationi suæ*, Monachorumque sententias, consilia, voluntatemque exposcebat. Quod procul dubio faciebat religiosus vir, ut consuleret periculis, quæ ex præcipitata puerorum oblatione ac receptione contingere potuissent. Alias quoque cautiones pro conditione temporum, & regionum adhibitas fuisse ea, quæ attulimus, debent persuadere. Putamus autem id, quod fuit objectum, hac ratione posse ac debere explodi.

II. Qui tamen stant ex adverso urgent adhuc, multo ante XI. & XII. Sæculum a Sanctissimis viris de medio sublatum fuisse; quod facturi certe non fuissent, si ritum hunc æquitati consonum credidissent. Sanctus quippe Udalricus in præfat. ad Consuetudines Cluniacenses, apud Lucam Acherium Tom. 4. Spicilegii, laudat Willelmum Abbatem Hirsaugiensem, cui opus suum nuncupat, quod lata lege cavisset, ne pueri in Monasterio admitterentur; in-

quit

quit enim: *Sentiat quisque quod voluerit. Ego certus sum illam te radicem funditus extirpasse, ex qua sola præcipue omnia Monasteria destructa sunt vel in Teutonica, vel in Romana lingua*. Hæc porro de pueris dicta esse patet, quod ibidem dicat: *Ut opus fit præfatis Sæcularibus alium sibi nidum quærere, ubi reponant filios suos abortivos, veluti exhæredatos*. His consentanea sunt, quæ habet S. Petrus Damiani in Opusc. 36. ad Desiderium Abb. Casinen. cap. 16. loquens de Casino: „ Inter „ cæteros virtutum flores, quos in illo „ agro pleno, cui benedixit Dominus, re- „ peri, fateor hoc mihi non mediocriter „ placuit, quod ibi scholas puerorum, „ qui sæpe rigorem sanctitatis enervant, „ non inveni; sed omnes aut senes, cum „ quibus utique nobilis vir sedebat in por- „ tis Ecclesiæ; aut juvenili vivendi deco- „ re lætanres, qui nimirum ut filii Pro- „ phetarum idonei sunt ad Eliam per de- „ serta quærendum; aut certe adolescen- „ tiæ adhuc flore vernantes, qui juxta „ Apostolum Joannem vicere malignum". Quare id putant ex his fieri consequens e medio sublatas fuisse scholas puerorum oblatorum, qui in spem Monasticæ vitæ alebantur. Ita præsertim B. Damianum intelligit Carolus Dufresne in glossario, & multi alii. Licet nos libenter concederemus e Monasteriis ætate B. Damiani & Udalrici eliminatum fuisse morem hunc pueros Deo in perpetuum offerendi, id unum fieret consequens id moris iis desisse temporibus, non vero nullibi extitisse. Unde & ipse Edmundus Martenius ad laudata Udalrici, & Damiani testimonia asserit visum tunc fuisse nonnullis Abbatibus tollere e Monastica disciplina morem hunc *propter abusum nonnullorum, qui non tam devotionis, quam sublevandæ familiæ gratia, si quos gibbosos, deformes, aut Sæculi ineptos habebant filios, hos in Monasteria intrudebant*. Quo facto nihil instituti nostri propositum infirmatur. Si enim Hirsaugiensi Abbati, & aliis ita visum est, habita nempe ratione hominum, quos inter vivebat, consultissime fecerunt; at non continuo ubique desitum est pueros irrevocabili donatione Deo offerre, imo si ubique id fuisset desitum, non propterea sequeretur id nunqnam in usu fuisse. Ad alterum vero testimonium quod attinet, negamus de pueris Deo oblatis sermonem fieri a Petro Damiani. Cum enim duplicis generis pueri in Monasteriis reciperentur, quorum alii dicebantur oblati ad Monachatum, alii studiorum causa nutriti, ut ait Benedictus Haeftenus disquis. 1. lib. 4. posterius hoc genus ob plura incommoda nonnullis in locis fuit abrogatum. Unde Synodus Aquisgranensis an. 817. cap. 42. decrevit, ut *schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt*. Vetuit scilicet, ne laici scholas interiores Monasterii ingrederentur. Duplex itaque scholarum genus apud Monachos extitisse rerum domesticarum peritissimus Mabillonius docet præfat. 1. in sæcul. 3. §. 4. & alibi, præserrim p. 1. cap. 2. de stud. Monasticis: *Cum intra ordinis nostri Cœnobia pueri minoris ætatis identidem reciperentur; tum qui a parentibus offerebantur Deo; tum qui nonnisi ad tempus in eisdem morabantur, ut educarentur: duo pariter aderant distincta gymnasia, quorum unum pro Monachis interius dicebatur; alterum vero exterius pro Sæcularibus & laicis*. De scholis puerorum Sæcularium Casini loquutum esse Damianum testatur Haeftenus, & Thomassinus p. 2. discipl. lib. 1. c. 101. ac proinde emendasse videtur cap. 58. lib. 3. p. 1. ejusdem operis, ubi intellexerat Damianum de scholis impuberum qui in spem Monasticæ professionis alebantur, idest oblatis, ut aliqui interpretantur. Verum pueri oblati non nutriebantur in Monasteriis in spem Monasticæ institurionis, sed veri Monachi erant; ac propterea utrobique de Sæcularibus puerorum Scholis Damianum Thomassinus intelligit. Et jure quidem optimo. Nam Casini post hanc Petri Damiani gratulationem hujusmodi oblationes factas legimus tum paulo ante, tum paulo post quam ille Casinum adierit. Nam Petrus Diaconus cap. 40. de Viris Illustribus Casinensibus Landenulphum oblatum fuisse memorat Casinensi Monasterio Sæculo eodem XI. paulo ante annum 1063. quo Damianus Casini fuit, ut Baronius docet. Et Sæculo XII. Raynaldum, Petrum, ac Robam ibidem oblatos fuisse dicit. Immo idem ipse Petrus Diaconus huic Monasterio a parentibus quinquennis sub Girardo Ab-

Abbate oblatus fuit. Non defierat ergo paulo ante, & paulo post Sanctum Damianum in Casinensi Monasterio hic mos offerendi pueros; sed si quid desiit, pueris non oblatis interdictum fuit intimas Monachorum scholas adire; vel si mavis exteriores etiam scholæ sublatæ fuerunt. Quid enim hoc ad nos? Neque vero quidquam adversus antiquam hanc disciplinam facere censendum est, quod de sponsalibus nulli objiciunt.

III. Ajunt enim si filiosfamilias penes est statim ac adoleverint rescindere sponsalia, quibus dum essent impuberes a parentibus irretiti fuerunt, quidni ergo poterant vota parentum irrita facere, quibus Deo in Monasterio fuerant addicti? Qui ita ratiocinantur duo paulo attentius reputent, necesse est; primo aliud esse filium alicui puellæ despondere, aliud esse eum Deo voto sacrare secundum Monasticas & Ecclesiasticas regulas: aliud esse Matrimonio copulari, quod licet bonum sit, non est tamen perfectum; aliud Religioni devoveri, perfecto bono & statui. Deinde animadvertant oportet, quænam pro diversitate temporum fuerit de sponsalibus Ecclesiæ disciplina. Hodiernam quidem si spectes, utique filius-familias irrita habere potest atque omnino nulla sponsalia, si forte a parentibus ejusdem nomine fuerint contracta. Quod definivit Bonifacius VIII. cap. 1. §. ult. de desponsat. impuberum in 6. *Ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expresse consenserint*, vel tacite ...., *obligantur*. Secus vero est, si vetus jus Canonicum spectetur. Quicumque enim hoc vel leviter sciunt, optime noscunt parvulos jure patriæ potestatis non modo votis Monasticis addici, verum etiam Matrimonii jugo supponi potuisse: adeo ut illi etiam grandiores facti & adulti debuerint stare promissis sponsalibus, quibus a patribus erant ligati. Dubitas? Audi Honorium Papam anno 520. ita scribentem ad Eusebium quemdam Episcopum in cap. *Tua nos*, de Desponsat. impuber. *Tua nos fraternitas requisivit de filio adulto, quem Pater matrimonium vult contrahere, si sine voluntate adulti filii facere potest?* Ex qua sola postulatione colligimus secundum antiquatum jus potuisse ineluctabilibus sponsalibus filiosfamilias a parentibus obligari, quandoquidem Sæculo VI. dubitandi locus erat, utrum adultus posset hoc eodem vinculo ligari. Sed præstat audire quid pro ejus temporis jure responderit Pontifex: *Ad quod dicimus si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. Potest autem filium nondum adultum, voluntas cujus non potest discerni, pater cui vult matrimonio tradere: & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere*. Ergo Patria potestas eo protendebatur, ut posset omnino filium adultum adigere ad implenda matrimonio sponsalia, quæ a patre erant nomine filii adhuc impuberis contracta. Quæ Pontificis verba nequeunt exponi de decentia & æquitate, quod nonnulli inscie fecere. Nam quod *omnino debet adimpleri*, ex decentia & æquitate non obligat, sed prorsus absolute, & simpliciter, ut scholæ verbis utamur.

CAP. XI.

Nono Sæculo frustra tentatum est ab aliquibus hanc disciplinam amoliri.

I. Vertente Nono Ecclesiæ Sæculo tentatum est a nonnullis disciplinam hanc de irrevocabili puerorum oblatione rescindere ac longe amoliri. Cujus facti seriem hic exhibere depromptam ex Annalibus Benedictinis a nostri instituti ratione minime est alienum, immo eidem maxime consentaneum. Gothescalcus adhuc puerulus a Patre Berno Comite Saxone in celebri Zuldensi Monasterio juxta solemnem ritum vitæ Monasticæ subjectus fuit, Abbate ejusdem Monasterii Eigile. In quo a Rabano Mauro magni nominis & multæ eruditionis viro educatus est, & litteris etiam eruditus. Id inter cæteros testatur Hincmarus in opusc. de non dicenda Trina Deitate sect. 12. *In hymno Vespertiani, quem Gothescalcus ab ipsis rudimentis infantiæ in Monasterio Monachorum, in quo secundum Regulam oblatus & tonsus extitit, & usque ad adultam ætatem mansit, cum Monachis labiis cecinit*. Mortuo Eigile Abbate Rabanus ipse anno 822. Abbas factus fuit, qui Gothescal-

ſcalcum jam adultum, atque Monaſterio egredi volentem, & Patris ſui vota irrita facere conantem prohibuit contendens eum jam ſecundum omnes juris regulas oblatum eſſe atque mancipatum Monaſticæ vitæ. Hac de re actum eſt in Concilio Maguntino habito anno 829. cujus tamen acta interciderunt. Hinc interfuerunt epiſcopi 29. Chorepiſcopi 4. Abbates ſex. Gotheſcalcus quippe, cui fortaſſis non tam Monaſticæ vitæ diſciplina, quam Rabani Abbatis ſeveritas erat moleſta, graviter eſt in hoc Concilio conqueſtus, quod Rabanus eumdem coegiſſet Monaſticæ vitæ profeſſioni invitum adhærere, & oblationem de ſe puerulo a parentibus factam ratam habere. Otgarius Archiepiſcopus, qui concilio præerat ſimul cum cæteris patribus Gotheſcalcum a voto parentum abſolutum declararunt. At Rabanus ſentiens hanc abſolutionem latam eſſe contra priorum Sæculorum ſententiam, immo contra Pontificum & Conciliorum doctrinam ſcripſit librum *Contra eos qui oblationem ſecundum Regulam S. Benedicti deſtruere volebant*, eumque Ludovico imperatori nuncupavit ejus opem hac in cauſa implorans. Quid hac in cauſa fuerit geſtum, incertum. Illud autem certiſſimum eſt, Gotheſcalcum nequaquam ad Sæculum potuiſſe reverti; quia tamen in Fuldenſi Cœnobio ſub Rabano Abbate morari voluit, fuit illi permiſſum, ut Adorbacenſe Monaſterium apud Gallos ſe conferret, quod ille libenter præſtitit.

II. Multis Gotheſcalcus rationibus utebatur, ut oblationem de ſe factam irritam faceret. Hanc potiſſimum adducebat, ut in eodem libro Rabanus ait: *Quod non liceat cuilibet teſtes citare ad confirmandam veritatem Religionis Chriſtianæ, niſi de propria gente ſua V.G. dicunt, quod ſuper Saxonem nullus de Francorum, aut Romanorum, aut ex alia qualibet gente, licet inter ſuos nobilis natu ..... niſi Saxo teſtis eſſe poſſit. Hoc enim ajunt legem gentis ſuæ pati non poſſe, ut alterius gentis homo in teſtimonium citetur ad infringendam legem libertatis ſuæ. Quibus reſpondet, quaſi illi libertatem ac nobilitatem generis ſui perdant, qui ſervitium Chriſti profitentur: cum magis illi liberi ſint, qui uni Deo, quam qui diverſis vitiis atque peccatis ſervire probantur*. Quæ fere tota erat Gotheſcalci ratio ad infringendam vim voti, quod ex oblatione parentum contraxerat. Joannes Mabillonius hunc librum a ſe multum conquiſitum tandem invenit in Bibliotheca Monaſterii Mellicenſis in Auſtria, vulgavitque in appendice Tom. 2. Annal. Ord. S. Benedicti, quem qui velit legito. In hoc Rabanus proponit ſibi eos refellere, qui ſanctæ Regulæ detrahebant, quod in ea Sanctus Pater adimat oblatis a parentibus puerulis omnem poteſtatem ad ſæculum revertendi. Ac ſub ipſum initium carpit Gotheſcalcum his verbis: „ Sunt „ quidam qui a cunabulis ſuis ſacras lit- „ teras didicerunt, & ſanctæ Eccleſiæ nu- „ trimento tamdiu aliti ſunt, quouſque ſa- „ tis educati in ſublime ſacrarum ordinum „ proveherentur. Sed ingrati tanto mune- „ re contraria orthodoxorum fidei ſen- „ tiunt. Ajunt enim pompatice pravorum „ dogmatum impudentes artifices, quod „ non liceat parentibus filios parvulos ad „ Dei ſervitium tradere; nec convenire ho- „ mini libero ingenuum filium ſervum fa- „ cere. “ Adverſus hos Rabanus tria ſumit probanda: Primo licere homini Chriſtiano ſuos filios Deo conſecrare; deinde votum Deo factum ſine magno crimine negligi non poſſe: demum vitam Monaſticam non humanæ, ſed divinæ eſſe inſtitutionis. Quod adductis ex utroque Teſtamento teſtimoniis erudite probat, & pro eorum temporum conditione, etiam eloquenter.

CAP. XII.

De moderatione hujus ritus, ejuſque integra extinctione.

I. E Novi Sæculi contentionibus nihil omnino detrimenti allatum eſſe diſciplinæ de irrevocabili puerorum oblatione, tum ex adductis cap. 8. Romanorum Pontificum decretis, tum etiam maxime ex eo patet, quod omnium primus Cæleſtinus III. ſucceſſor Clementis III. cadente Sæculo XII. nempe anno 119. aliquod moderamen attulit huic ritui, moribus hominum avitam diſciplinam non ferentibus. Nam in cap. *Cum ſimus*, Extr. de Regular. hæc habet: Auribus noſtris „ eſt

„ est relatum, quod cum N. miles se „ cum filio suo discretionis annos nullatenus attingente, ad quoddam Monasterium cum bonis suis etiam se contulisset, dictum filium suum fecit habitum suscipere Monachalem ...... discretioni tuae respondemus, quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem; si ad hoc induci nequiverit, „ non est ullatenus compellendus: quia „ tunc liberum sibi erit eum dimittere, „ & bona paterna, quae ipsis ex successione proveniunt, postulare. Quare cum duo consideranda essent in hac oblatione, nempe ipsa puerorum oblatio ac dedicatio Deo ex voto parentum fieri solita, & obligatio puerulis imposita permanendi in Monasticae vitae instituto, & oblationem de se factam ratam habendi. Primum omnino intactum reliquit Caelestinus; alterum vero sustulit, veniamque fecit oblatis pueris, cum pervenissent ad adultam aetatem emittendi vota solemnia, aut relicta Monastica veste Saeculum adeundi, repetendi patriam haereditatem, seque praeterea Matrimonio copulandi. Caelestini III. vestigiis adhaesit Innocentius III. qui lib. 15. epist. 116. ad Lugdunensem Episcopum praescribit, ut *minoris aetatis filii, qui oblati Monasterio fuerint, suscipientis habitum vel tonsuram, si a praelatis suis anno XIV. requisiti, se in assumptae religionis proposito consenserint permansuros, poenitendi licentia praecludatur; alioquin eis non adimatur ad Saeculum redeundi facultas, ne coacta praestare Deo servitia videantur*. Nihilominus ipso XII. Saeculo cadente, & XIII. vertente frequentabatur oblatio puerorum, in spem nempe Monasticae vitae futuraeque professionis. Nam apud Lucam Acherium Tom. 9. Spicilegii pag. 155. legimus Guidonem in aetate impubere a Guillelmo patre Domino Montispessulani fuisse testamento Monasticae vitae devotum. Condito enim testamento ex filiis suis aliquos ordini Monastico addixit aliquos vero Clericali; idque anno 1211. singulis haereditatis portione adsignata. De Guidone sic statuit: *Guidonem filium meum volo esse Monachum Cluniacensem; & dimitto Ecclesiae Cluniacensi C. libros, quibus dictus Guido sit contentus de bonis meis*. Et ne vano labore rem notissimam ostendam, ommissis caeteris exemplis S. Thomae Aquinatis testimonium adducam, qui opusc. 17. advers. Guillelmum a Sancto amore ait: *Quod parentes pueros suos in annis minoribus constitutos offerant Deo in religione nutriendos, sub consiliorum observantia, Ecclesiae consuetudo habet, quae maximum habet pondus auctoritatis, & multipliciter auctoritatibus confirmatur..... Haec autem consuetudo pueros religioni tradendi, non solum Ecclesiasticis statutis quampluribus, sed etiam Sanctorum exemplis comprobatur ..... Hic etiam mos ab Apostolis sumpsisse invenitur exordium*. Quibus similia habet Quodlib. 4. art. 23. *Pueri ante annos pubertatis ex naturali jure sunt sub cura parentum, propter hoc quod patiuntur discretionis defectum, secundum quod possint bene seipsos regere: & ideo in hac aetate possunt quidem religioni tradi, si a parentibus offerantur: & erit rata traditio, praecipue si eum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerint paternam oblationem*. Ex quibus omnibus nemo non videt viguisse adhuc Saeculo XIII. morem offerendi pueros, sublata tamen quacumque omnino necessitate, & obligatione permanendi in ea religione, in qua quisque esset oblatus. Facultas enim pueris oblatis concessa primum a Caelestino III. jam coeperat ad usum reduci.

II. Hic autem gravissima suboritur difficultas petita ex To. 3. Hispaniae illustratae pag. 27. & 44. Cum enim anno 1131. Sancius Rex Arragoniae filium suum Ramirum una cum amplissimis praediis obtulisset Abbatiae S. Pontii Tomeriarum, deficiente postea in Arragonia stirpe regia Arragonii Ramirum hunc a Pontifice in Regem postularunt, ut nimirum abjecto cucullo Arragonia successorem Regis haberet. Horum precibus Pontifex annuit; atque in hac dispensatione concedenda Hispanus scriptor observat a Pontifice habitam fuisse rationem aetatis, quod nempe pene infans votorum reus factus fuisset. Unde videtur multo jam ante Caelestinum III. tempore ista consuetudo offerendi irrevocabiliter pueros coepisse in desuetudinem abire, atque aetatis defectus reputabatur esse causa sufficiens rescindendi vota a parentibus de filiis facta. Qui Ecclesiasticae

sticæ auctoritatis insolubile esse contendunt Religionis votum, sentiunt argumenti pondus, ideoque omnem moventem lapidem, ut fictitium hoc factum esse probent. Hos inter Card. Capisucchius in controv. de Voto solemni paragr. 3. levissimis conjecturis nixus historiam hanc in fidei suspicionem vocare conatus adversus Hispanos scriptores. Quem refellere ab instituto nostro alienum est. Neque enim ad hasce angustias nos cogit Ramiri factum. Cum enim factum quoddam peculiare sit, unique homini restrictum, nequit in jus transire, legemque universalem constituere. Non enim Pontifex legem tulit, qua vetus jus rescinderet, ac sui Sæculi disciplinam mutaret, sed tantum spectatis peculiaribus facti & temporis circumstantiis, & fortassis ad majora mala vitanda, annuit Arragonum precibus, ac Ramirum veniam fecit regni sui repetendi. Deinde quanam quæso ratione Ecclesiæ & Summo ejus Pontifici denegari potest facultas hæc justis intervenientibus causis a votis Monasticis liberandi eum, qui eisdem fuerit alligatus? An ignoratur, quod Bonifacius VIII. summus Pontifex idemque doctissimus in cap. Un. de Voto & Voti Redempt. in 6. definit, quod *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa?* Cur autem Ecclesia mutare & solvere non poterit, quod ejus constitutione est inventum? Videant Theologi, qui contrarium sentiunt, quomodo id facere queant post hanc Bonifacii decretalem. Sed ut ad institutum redeamus, exolevit paulatim puerorum oblatio in Ecclesia, quoad utrumque caput; donec tandem concilii Tridentini decretis fuit penitus abrogata. Cap. enim 15. sess. 25. ita statuit: *In quacumque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum; nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in professione steterit, ad professionem admittatur.* Et cap. 16. *Neque ante professionem excepto victu & vestitu novitii vel novitiæ illius temporis, in quo in probatione est.... Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit.* Demum cap. 17. statuit ut *si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat.* Adeo sacrum Concilium voluit esse liberum, prudens, & ab ipsa voluntate susceptum votum de Religioso ordine ineundo, ut etiam prudentissimo consilio eas omnes resecaverit vias, quibus subdole ingredientibus religionem artificia possent construi ad eorum consensum extorquendum; denique in Constitutionibus Casinensibus Regulæ suppositis, capiti 59. apponitur hæc declaratio: *Hujusmodi pueros minoris ætatis non recipimus.*

Hæc habuimus, quæ ad cap. 59. *Regulæ Sanctæ* explanandum in lucem proferremus; pauca illa quidem, si rem ipsam per se consideres; satis tamen, si rei ipsius præcipua ac nobiliora capita considerare atque cognoscere velis. Qua in re si quid est erratum, quod a recta Canonum, & Patrum intelligentia abhorreat, illud certissime auctore invito excidit, qui proinde est paratus ad omnia corrigenda & emendanda proborum, & doctorum hominum, in primis vero *Ecclesiæ Matris dilectissimæ* judicio.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



DE DISCIPLINA POPULI DEI

PARS QUARTA.

Antiquæ & severioris inter Christianos Disciplinæ relaxatio.



Xtremo loco pertractandum mihi hoc argumentum superest ; quod existimem , id a me deposcere narrationis ordinem atque contextum, ut, veterum Christianorum expositis hucusque moribus , ad extremum potissimas afferam causas illius differentiæ , quæ inter nostros primorumque Fidelium mores intercedit . Tanta vero est Christianorum recentiorum a prisca illa vitæ disciplina diversitas , ut plures haud dubie descriptionem hanc illis narrationibus similem arbitraturi sint , quas reduces ex longissime dissitis regionibus viatores , de Indorum aut Sinensium moribus vitæque institutis proferre solent . Rudiores autem ægre admodum portentosam hanc diversitatem sibi persuaderi sinent , cujus originem causasque , litteratis quidem plane perspicuas , ipsi per ingenii hebetudinem non assequuntur. Generatim igitur , qua via & ratione morum ista laxitas incrementum sumpserit , edocebo.

CAPUT I.

Mali hujus inde a quarto Christi sæculo diversæ causæ.

EX quo semel Constantinus M. Christianam Religionem publice complexus est, ad defendendam , modisque omnibus proferendam suscepit ; certatim ad eam suscipiendam populorum studia conspiravere , fuitque illud maxime tempus , quo Prophetarum de Christi Ecclesia luculentæ vaticinationes ad literam , ut ajunt , impletæ sunt. (*a*) *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium , & elevabitur super colles ; & fluent ad eum omnes gentes : & ibunt populi multi & dicent , venite & ascen-*

(*a*) *Is.* 2. v. 2. & 3.

ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis ejus. Hactenus disertis verbis Propheta Isaias. Nimirum quotidiana Gentilibus ante oculos observabantur, longeque celeberrima prodigia, quæ ad Martyrum sepulchra edebantur; his adde morum sanctitatem, qua Christianorum plerique effulgebant; adde Religionis orthodoxæ invictum robur, quæ in maximis frequentissimisque trium omnino sæculorum jactationibus atque procellis adeo nihil imminuta aut labefactata fuit, ut ab ipsis potius damnis ac cædibus vires sumeret novas, radicesque in dies ageret altiores. Ex altera item parte sapientiorum inter Ethnicos Philosophorum vocibus editisque libris jam pridem explosa erat hominum in pluribus Diis adorandis stultitia, & Poetarum de ortu, & natura Deorum commenta usque adeo exsibilabantur, ut plerique, qui ingenio valerent, fidem illis omnem abnuerent, neque nisi politicis adducti rationibus ab imperita multitudine credi talia paterentur. Facile igitur ac perlubenter ab ea Religione descivere Gentiles, quæ publica Principum protectione, & Sapientum judiciis veluti gemino fulcro destituta sponte quasi sua in casum inclinabat. Ergo Ethnicorum complures Christo se adjunxere; alii vero falsæ libertatis morumque majoris licentiæ spe sibi proposita, nulli penitus Religioni sese addicebant, ne videlicet aut intellectum obsequio fidei subjicere, aut vitæ anteactæ dissolutionem, artesque ditescendi iniquas una cum male partis abjicere cogerentur.

Quare Gentilium per ea tempora duplex fere genus duntaxat reliquum fuit, alterum eorum, qui solam consuetudinem pro vitæ norma sequentes, haud alio quam sensuum magisterio rerumque exteriorum imaginibus ducebantur; hi de rudi vulgo omnes ac fæce hominum erant. Alterum vero genus eorum erat, quos singulares appellamus, suique judicii plus æquo tenaces; hi, noxia ingenii subtilitate dicam an obstinatione abrepti? Paganismum cæca quadam antiquitatis reverentia defendere, & allegoricis interpretationibus, quibus Philosophorum nonnulli suæ sectæ putidas fabellas exornabant, a communi invidia vindicare conabantur. Isti omnes Platonici eorum temporum erant, longe tamen a Platonis veterumque Academicorum, qui Platonem secuti fuerant, sapientia & doctrinæ soliditate remoti. Etenim omissis cæteris, ea solum, quæ in tota Platonis doctrina levissima erant maximeque infirma, sibi decernebant, atque hæc ipsa cum Pythagoræ placitis & Ægyptiorum mysteriis commiscentes novum sectæ genus procuderant, quæ tota magicis artibus tanquam fundamento nitebatur, & obtenta debiti spiritibus bonis ac malis cultus omne genus superstitionum probabat. Talis erat Juliani Apostatæ religio, cujus dogmata in Apulejo, Porphyrio & Jambico videre licet. [1] Pauci tamen Gentilium erant, qui in tam perplexas subtilitates intrudere se vellent, magisque in dies Idolatria evilescebat.

In tanta multitudine hominum ad Christi castra turmatim convolantium fieri vix potuit, quin aliqui eorum humanis duntaxat rationibus pellecti adreperent; hujusmodi rationes erant, spes augendæ sub Christianis Principibus fortunæ ac rei familiaris, studium gratificandi consanguineis & familiaribus, Dominorum, qui Christiana sacra jam complexi erant, reverentia & metus; denique omnia illa vanissima motiva ac momenta, quæ hodiedum mortales ad hypocrisin inducere solent. Quanquam qui isto ad terrena respectu ad Christianos transibant, intra Catechumenorum ordinem plerumque consistebant, cumque severior ipsius videretur morum apud Christianos disciplina, quam ut illi submittere sese auderent, baptismi susceptionem, quam poterant longissime, nec raro usque ad mortis articulum extrahebant; (*a*) quo sic pœnitentiæ in Ecclesia palam subeundæ periculo liberi, pristinæ vitæ infelicem licentiam impune continuarent. [2] (*b*) Alii contra baptizari se curabant, quin tamen serio ad Deum, & sanam fidem conversi essent; quosdam levis-

1 Confer ejus vitam nuperrime Gallico sermone perscriptam ab Abbate.
2 Vide Chardonium *T. I. hist. Sacram. p. I. de Baptismo.*
(*a*) *v. Aug. de Catechiz. c. 17.* (*b*) *Cyrill. Hieros. pro Catech.*

levissimos homines attraxit curiositas propius inspiciendi Christianorum mysteria, nullis aliis præterquam Christianis manifestari solita; nonnullos superstitiosa cupiditas invitavit, qua stimulante diversi generis ritibus initiari, & quidquid in quacunque Secta vel Religione sacrosanctum habebatur, experiri ipsi, partemque inde aliquam sibi præcerpere cupiebant, nullo inter Deum & Deos, inter Religionem, & superstitionem habito discrimine. Quantacumque vero Episcopi in examinandis fidei candidatis cura, & providentia uterentur, nihilominus quia homines denique etiam ipsi erant, non poterant non interdum simulatione hominum fucoque facto circumveniri.

Vel ex iis ipsis, qui citra hypocrisin atque ex animo nomen Christo dederant, complures a primo fervore sensim remittebant. Sublato per ea tempora Martyrii metu, mors ipsa longius, quam alias, distare, & abesse videbatur. Sane si olim sopitis ad perbreve tempus Tyrannorum persecutionibus, Christianorum, qui tunc vivebant, (a) fervor usque adeo intepuerat, ut Divus Cyprianus occasionem inde arripuerit, exprobrandi Fidelibus nimiam remissionem; quid arbitramur consecutis post temporibus factum fuisse, cum Ecclesia stabili pace frueretur, nec solum periculo vacaret, Christianum esse, sed honori idipsum duceretur? Interea Principes & Magistratus ad fidem recens conversi non cessabant christiane vivere, etsi bona sua, & honorifica officia retinerent; hac re animadversa cæteri Fideles inferioris notæ pedetentim honores, divitias, vitæque commoditates non amplius, uti prius fecerant, horrere, & aversari cœperunt; eoque factum, ut deliciarum amor, avaritia, & ambitio rursus exacuerentur, ac veluti e somno excitatæ in animis Fidelium evigilarent. Nimirum mundus, etiam ex quo Christianus factus est, non desiit esse mundus. Discrimen tunc fieri cœptum est inter Christianos, & sanctos ac devotos, quæ tamen olim pro synonimis habebantur. Sæpe Divus Chrysostomus conqueri auditus est, propterea quod Auditores sui ad excusandam bonorum terrenorum nimiam aviditatem, ac lucri immoderatam sitim, dicere solerent, non esse se Monachos, sed matrimoniis implicitos alendæ familiæ onus sustinere; quasi vero qui Romæ & Corinthi olim vivebant Christiani, quosque Apostolus ad æmulanda charismata meliora, id est, ad perfectissimam vitæ rationem exhortabatur, & Sanctos nominat, connubiis ipsi quoque juncti non fuissent, vitamque, si exteriora spectes, communem ac popularem non egissent.

Nimirum naturæ nostræ corruptio inficit omnia & depravat. Quod in officio divino & functionibus sacris sensibus blandiebatur, eo ad dissolutionem plures abuti cœperunt. Publicæ hilaritates in Dominicis diebus, & celebriora per annum festa nonnumquam sobrietatis & modestiæ christianæ limites ita egrediebantur, ut quarto jam Christi sæculo, (b) id quod supra commemoravi, necessum fuerit, abolere morem celebrandi convivia in festis Sanctorum Martyrum, prohibitique Clerici ad nuptialia festa intervenire. Probe nimirum Origenes animadverterat, quam difficile sit, gaudia illa, quæ sensibus percipiuntur externis, cum internis ac spiritualibus conciliare. Mancipium enim est corpus nostrum, cui si in victu, in somno, cæterisque vitæ commoditatibus satisfacere studeas, continuo lascivire incipit, insolentiusque exultare. Nam spiritui & libertatem adimit ad cœlestia evolandi, & vires ad resistendum tentationibus infringit ac debilitat; nec diu mens humana dominium in corpus retinere valet, nisi aspere illud duriterque tractet, ac veluti flagello armata rebelli mancipio identidem immineat. Loquor hic de temporibus, quæ impræsentiarum describenda sumpsi, atque in illis minimos quosque defectus notatum eo, ut in ipsa laxatæ disciplinæ primordia ac veluti fontes totius mali digitum intendam, nequaquam tamen animus est, hac ipsa rerum enarratione quicquam detrahere de illis laudibus, quibus Ecclesiæ mores generatim supra commendavi, quorum disciplina si unquam alias hoc ipso tempore maxime viguit, Cleri præsertim mira tunc sanctitas erat.

Etsi

(a) S. Cyp. de lapsis. (b) Origen. contra Celsum.

Etsi plane fateri cogor, non defuisse inter Ecclesiæ Antistites, qui plus justo titillari animum finerent honoris & venerationis, qua passim excipiebantur, rara publicaque significatione, quique de abusu ingentium (a) Ecclesiæ bonorum, quorum administratio penes ipsos erat, interdum postularentur. Liquet istud ex accusationibus contra Dioscorum & Ibam in Concilio Chalcedonensi factis. Crediderim tamen inter Episcopos orthodoxos neminem ferme repertum, cui talia ex vero objici potuerint. Sed quoniam sui quoque Christianis cæterisque hæreticis Sacerdotes, sui Episcopi erant, istorum inquieti ac turbidi mores reliquis etiam obsuere, deque debita sacerdotali ordini reverentia non parum decerpserunt. Pessimi cum apud Ethnicos tum apud Fideles haud satis eruditos exempli erat, videre homines tam verendis angustisque titulis conspicuos contra alios sui ordinis & status viros palam grassari, voce juxta & calamo mutuis sese calumniis discerpere, in Principum aulas animosque se insinuare, ad captanda videlicet factionis suæ patrocinia; nihil enim istorum omnium ab hæreticis tunc prætermissum fuit. Vidisses Anachoretas falso zelo exstimulatos ex suis antris in confertum populum lautasque urbes prosilire, moliri seditiones, omnia per vim inauditam agere ac miscere. In Oriente præsertim id genus turbæ fervebant, ubi animi hominum natura sua præfervidi, & in susceptis semel consiliis præ aliis constantes atque obfirmati, simul atque inordinata quadam affectione magis inflammantur, in extrema omnia præcipites ruunt. Hac via reverentia adversus person. Religionis ministerio dicatas, quodque plane consequitur, erga ipsam Religionem imminuta est.

Adhæc Gentilium fucatæ virtutes debilibus & pusillis offendiculo erant. Etenim non deerant inter illos, qui moraliter bene ac recte viverent, qui in promissis fideles, a fraudibus & sordibus alienissimi, æquitatem colerent, omnesque leges societatis humanæ ac civilis observarent id unum sufficere homini existimantes, ut rationem quisque ducem sequeretur, non implicando se omnibus ac singulis quæstionibus, quas inter se Christiani agitabant. Perinde acsi Christiani non id agerent ac profiterentur, ut Rationem eamque supremam, Verbum inquam Incarnatum, sequerentur. Hi mundani Sapientes fidem interpretabantur animi præoccupati levitatem esse; corporum vero afflictationem, exactam continentiam, spectaculorum & profanarum oblectationum fugam pro superstitionibus habebant. (b) Tametsi vero Christianismus per ea tempora Religio dominans esset, Imperatore ipso eandem amplexo; Gentilium tamen numerus adeo frequens adhucdum erat, ut impedire neutiquam possent, quin voce simulque editis libris ac publicis in Concionibus dogmata sua venditare pergerent. Erant istæ quædam quasi reliquiæ priscæ Philosophorum libertatis, qua hæretici in rem suam naviter abuti sciebant.

Ex altera parte Infidelium cætera multitudo semper magis magisque in deteriora prolabebatur. Quidquid vitiorum initio promulgati Evangelii regnasse in mundo superius adnotavi, id omne adhuc impune dominabatur. Exceptis iis, quos modo commemoravi, paucis Philosophis aliisque, quorum in vetere instituto retinendo pertinacius & Atheismo magis adjectum erat ingenium, nemo fere unus Græcos inter & Romanos reliquus erat, cujus probitas & virtus cæterorum malitiam exæquaret, aggeremque veluti objiceret exundanti licentiæ. Sub eadem tempora accidit, ut orbis Imperium ac summa potestas in Occidente corrueret; nam in Oriente Imperium ipsum tamdiu solum stetit, quamdiu armorum vi impugnatum non fuit. Nulla tunc amplius militum disciplina, nulla Ducum authoritas, nulla Conciliorum exequendorum ratio, nulla in gerendis negotiis peritia, usus rerum nullus erat; in juvenibus fortitudo, prudentia in senibus, in universis patriæ ac boni publici amor exoleverat, ad privatas quisque voluptates & lucra intentus erat: omnia proditione ac perfidia gerebantur. (c) Romani luxu otioque fracti atque effœminari, quo se a barbaris defenderent, Barbaros alios stipendis alebant suis; cæterum

(a) Act. 3. & 10. (b) v. Aug. contra advers. leg. & proph. (c) v. Amm. Marcell. lib. 14.

terum deliciis immersi noxiam delicatioris vitæ elegantiam, cui solidi nihil suberat, affectabant. Quid multa? criminum & abominationum ipsorum completa mensura, justissimus Arbiter Deus supplicium denique de impiis sumpsit, (a) a S. Joanne in Apocalypsi multo jam ante prædictum. Urbs orbis caput iterum ac sæpius a Barbaris occupata & expilata fuit; vindicatus innumerabilium Martyrum sanguis, quo Roma se ingurgitarat; demum Occidentis Imperium in prædam cessit populis septentrionalibus, qui supra ejusdem rudera nova regna exædificarunt.

Cum itaque in medio tam pravæ corruptissimæque actionis (Romanos eorum temporum intelligo) Christiani viverent; fieri vix potuit, quin virtuti eorum labis aliquid aspergeretur, ipsique a pristinis sanctissimisque moribus sensim defluerent; maxime cum ab Infidelibus non amplius, uti olim persecutionum tempore, divisi ac separati degerent, nec jam ab ipsorum sectationibus, sed magis a familiaritate & blanditiis eorum cavendum esset. Nemo proinde miretur, si a sæculo Christi quarto vitia Christianis exprobrata a Patribus fuisse legat. S. Augustinus aperte libereque de illis Ethnicos præmonere non dubitavit, qui Christo dedere se cogitabant, ut ea propius subinde inspecta minori recens conversis admirationi & scandalo essent: (b) *multos visurus es*, ita Augustinus, *quorum perversæ turbæ corporaliter implent Ecclesias, ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulatores, fornicatores remedia sacrilega sibi alligantes, præcantatoribus vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos; animadversurus etiam es, quod illæ turbæ per dies festos Christianorum impleant Ecclesias, quæ implent & theatra per dies solennes Paganorum*; & tamen omnes istos adhuc pro Christianis haberi, imo ab ipsomet Deo veluti paleam usque ad tempus ventilationi sustineri, Sanctus Doctor affirmat. Idem ubi contra Manichæos disputat, ingenue fatetur, (c) *in tanta copia populorum non deesse Professores nominis christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes . . . qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo*. In eandem sententiam persæpe alias S. Doctor loquitur in libris suis contra Donatistas scriptis, ubi luculenter demonstrat zizaria in agro Ecclesiæ cum electo frumento permixta esse debere usque ad tempus messis, ad diem inquam extremi judicii; sed juvat Sanctum ipsum suis verbis loquentem audire: *nunc vos*, inquit, (d) *illud moneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanqaam malos filios corrigere studet, . . . qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere; sed veniet tempus, quo zizania separentur*. (e) Haud absimilia hujus inter Christianos remissionis argumenta in Chrysostomi aliisque Patribus legere est.

Quorsum igitur, inquies, pœnitentiæ publicæ, quorsum excommunicationes in Ecclesia etiamtum usitatæ? ut a vitiis nimirum Ecclesia multis quidem, sed non plane omnibus perpurgaretur. Ad imponendam enim publice pœnitentiam peccatorem oportebat aut petere illam, aut certe acceptare; quare necessarium erat, ut peccatum quisque suum confiteretur sive spontanea sui denunciatione, sive aliorum delationibus acquiescendo. Porro ad excommunicationem quod attinet, ista in eos duntaxat fulminabatur, qui, quanquam seu propria confessione, seu judiciali probatione, seu publica demum facti evidentia convicti criminis erant, pænam nihilominus expiando crimini propositam subire detrectabant. Accedit, quod Episcopi, qua erant prudentia & in subjectos charitate præditi, non nisi lente ac perægre ultima hujusmodi malorum remedia adhibere solerent. Prius enim peccatorem de crimine convictum, nec tamen facti pœnitentem, de præsenti maximoque animæ

(a) *Apoc. 13. & 18.* (b) *Aug. de Catech. rud. c. 7. & 25.*
(c) *De morib. Eccles. c. 34.* (d) *Aug. ubi supra.* (e) *Chrys. in Matth. Hom. 61.*

mæ periculo admonebant, utque eo se expedire non tardaret, instabant, (*a*) neque precibus, lacrymis, comminationibus, ut cor durum emollirent, parcebant ullis, ad Deum etiam conversi, gemitus suos totiusque Ecclesiæ ad id congregatæ comprecationes convertendo homini impendebant, sique mores usque necteret obstinatus peccator, non continuo animum despondebant, quin potius patientiam & longanimitatem Patris misericordiarum imitati, errantes, donec in viam redirent, diu admodum exspectabant, ac præstolabantur. Ad extremum ubi omnia hæc sola ex charitate veluti deprompta leniora jacula effectu frustrata videbant; tum vero ultimum tristissimumque anathematis fulmen coacti vibrabant, animi dolore nihilo minori, quam quo piissimus quidam parens, ut filii vitam servet, filii brachium suismet manibus a corpore amputare cogitur.

Cæterum quorum occulta manebant crimina, sive quod natura sua ejusmodi essent, ut soli Deo paterent; sive quod probari idoneis testibus non possent, ii enim vero remediis illis Ecclesiasticis sanari non poterant; nec aditu ad Ecclesias, nec Sacramentorum communione, siquidem sacrilego ore contingere illa non metuerent, interdici occultis hisce peccatoribus fas erat. Quamdiu persecutionum æstus tenuit, non deerant certa argumenta, quibus paleæ a tritico, & ab auro scoria in igne illo persecutionum secerneretur; at ubi publicarum vexationum conquievit furor, facile erat perpetua ad mortem usque simulatione & hypocrisi suos reatus occultare. Interea tam flagitiosi debilesque Christiani multum Ecclesiæ Dei malis sermonibus, plus etiam pravis exemplis suis nocebant, domi præsertim & privatis in familiis. Liberos enim suos oscitanter & perfunctorie institutos ad baptismum nihilominus adducebant. Constat autem quantorum malorum primis illis sæculis fons & origo esset domesticæ instructionis neglectus; quemadmodum per ea tempora baptizatos recens parvulos publica catechesi erudiri solitos fuisse, nusquam legimus.

CAPUT II.

Barbarorum irruptiones, & corrupti mores.

Nihilo minus Ecclesiæ Christi Barbarorum incursiones & illata Imperio Romano vastitas, quam Romanorum per ea tempora inquinati mores fraudi fuere. Evangelium enim, utpote suprema regula omnis recti & rationis, ex æquo rejicit affectiones omnes ac defectus sanæ rationi oppositos. Neque stupidi, neque astuti ac versipelles, neque feroces, neque languidi remissique animi, cum in hujusmodi vitiis persistunt, esse veri Christiani possunt; nec minus crudelitas & ferocia, quam luxus atque mollities severæ castæque Religioni adversantur, perindeque cum pietate, quam cum justitia & qualibet honesti norma bella, & hostilis agendi modus pugnant. Multum igitur Ecclesia Dei passa est ea rerum omnium perturbatione, cum barbaricæ gentes e Borealibus plagis effusæ universum Imperium veluti facto impetu inundarunt. (*b*) S. Hieronymus aliique, quorum ætas in ea tempora incidit, non uno in loco rerum adeo miserabilem statum deplorant. Et sane urgens necessitas & cura vitam & fortunas conservandi, cum aut impetu expugnata civitas aliqua esset, aut hostium direptioni tota Regio pateret, solicitudo item servitutem a se, & vim ab uxoribus abstinendi nimium vehementes sunt aculei, quibus ad negligenda spiritualia sollicitantur mortales; nec nisi perfectæ, planeque heroicæ virtutis opus est, inter corporum cædes & carnificinam, inter horrorem sanguinolentæ victoriæ animo sibi constare. Adhuc supersunt Divi Basilii, & antiquiores S. Gregorii Thaumaturgi literæ, quibus Ecclesiasticæ pœnæ iis dictantur, quos Barbarorum in Cappadociam factæ irruptiones in diversa crimina præcipites egerunt.

Quo tempore Vandali totam late Africam

(*a*) Const. Apost. 2. c. 41. (*b*) Hieronym. in Isa. c. 5. in fine.

cam depopulatum ibant, nihil ita Sanctum Augustinum afflixit, quam animorum pericula & interitus, quemadmodum Posidius in ipsius vita refert: (a) *hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem, ille homo Dei ... non ut cæteri homines, sentiebat & cogitabat; sed altius & profundius ea considerans, & in his animarum præcipue vel pericula vel mortes prævidens ... amarissimam & lugubrem præ cæteris suæ senectutis jam pæne extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ... Ecclesias Sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque & quosque continentes ubique dissipatos, & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate perdita animi & corporis integritate ac fide, malo more ac duro hostibus deservire. Cernebat etiam hymnos Dei, & laudes de Ecclesiis deperisse, ædificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse ... Sacrificia, & Sacramenta divina vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile reperiri... ipsosque Ecclesiarum Præpositos & Clericos, qui forte Dei beneficio vel Barbarorum manus non incurrerant, vel evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse*. Facile ex hoc uno exemplo quisque æstimaverit, quid aliis multoque amplioribus Provinciis, Hispaniæ, inquam, Galliæ & Illyrico factum fuerit. Quis vero in hac temporum calamitate modus, quæ via relicta erat, erudiendi populos, Presbyteros & Doctores formandi? qua ratione visitare gregem suum sacri Pastores, aut cogere Concilia poterant, vacuis Episcoporum sedibus explendis, tuendæque disciplinæ idoneæ? Profecto habet Ecclesia, cur in omnibus suis orationibus pacem & tranquillitatem a Deo publicam exposcat tanquam fundamentum, cui universa Religionis exercitia necessario innituntur.

Non equidem negaverim, Barbaros etiam ipsos ad fidem conversos fuisse; nam Franci ex Gentilibus Christiani, Gothi & Longobardi ex Arianis Catholici facti sunt; sed tamen iidem diu admodum Barbari permansere. Barbariem hic nomino illam animi dispositionem, qua occupati homines non rationis usu, sed affectionum impetu & consuetudinis æstu quodam ac torrente agi se, abripique sinunt. Quanta vero solius etiam consuetudinis esse vis & efficacia soleat, exemplo suo luculenter obtendunt Iroci, sive Iroques aliique Americæ populi, quos Barbaros appellamus. Vix ulla nobis cognita Natio est, ab animi perturbationibus perinde atque illi, libera & immunis; mansueti sunt, continentes, & patientes ut nemo supra: colunt justitiam, grati adversus benefactores existunt: sua facile largiuntur, exercent hospitalitatem. Et tamen ad hanc usquediem laboratum est, & prope incassum labor omnis cecidit, ut in veros Christianos formarentur, iis solum exceptis, qui inde a pueritia sua Parentum oculis subducti, interque Christianos educati fuere. Atqui his populis nec ingenium, nec animus deest ad eas res, quibus a puero assueverunt, tractandas; ut vero novas rerum ideas animis admittant, induci & condocefieri neutiquam possunt. Non capiunt illi, Deum Universi Creatorem, omniumque sub sole nationum ex æquo Dominum esse: Non intelligunt necessitatem unius solummodo Religionis per totum orbem terrarum communiter omnibus amplectendæ: quid sibi velit spes & exspectatio futuræ vitæ, in qua bona solum spiritualia promittuntur, non percipiunt; Longe vero minus abstrusiora fidei nostræ Mysteria assequuntur. Ista quamdiu exponi sibi audiunt, arrectis quidem auribus pacatoque animo adstant, ut crederes, admirabili consensu annutuque omnia illis probari; at ubi dicendi finem feceris, nihil te ipsis persuasisse comperies. Siquis eorum baptisma interdum expetat, id fere fit præsentis alicujus commodi ac lucelli proposita spe, atque ad obtinenda nescio quæ crepundia, quibus mirifice tenentur; hujusmodi munusculorum aliquid ubi primum impetrarunt, continuo obligatæ Christo fidei immemores, cum suis popularibus ad genium redeunt, pristinamque consuetudinem mactandi hostes suos, & humanis carnibus vescendi. Aliud Barbarorum genus est longe stupidissimum, uti Nigritæ & Ca-

(a) Posid. in vita S. Aug. c. 28.

& Cafri, in quibus nec sensa ulla Religionis, nec aditum ad ea duris ingeniis instillanda invenias; adeo isti nihil percipiunt, nisi quod manibus, sensibusque externis usurpari possit. Omnes istos in homines ante convertas, oportet, quam Christianos efficias.

Nequaquam eo dicta hæc velim, ut Francos aliosque populos Romanorum victores in eodem plane statu versatos fuisse existimem; illud solum contendo, quod extra controversiam est, nulla ipsos litteratura, nullo liberali ingenuoque studio excultos, nec agriculturæ, nec aliis honestis artibus aut opificiis addictos olim fuisse, sed prædationibus cædibusque unice intentos, ut adeo solus ipsorum conspectus Romanis horroris esset. Præterea in illorum moribus, omnique vitæ ratione plurimum levitatis & inconstantiæ inerat, quæ barbarorum præcipua maximeque propria videtur esse nota; nam rationis primus fructus est constantia, & in consiliis omnibus, actionibusque æquabilitas. Sane humano more non vivit, qui habenas pravis appetitionibus suis laxans, rerum externarum, quæ in horas mutantur, impressiones temere sequitur. Nemo prudens negaverit, inter primos Francorum Christianos Reges non modo discriminis, verum etiam oppositionis plurimum fuisse. Clodovæus cum suis liberis ex una parte zelum & venerationem erga res fidei præseferebat insignem; idem tamen ab injustitiæ & crudelitatis labe non excusatur. (a) Cunthramnus Rex optimus, quem Ecclesia Sanctorum catalogo inseruit, inter multa & præclara pietatis opera suos etiam manes ac nævos habuit; denique Dagobertus tot cœnobiorum pientissimus conditor vitiis item insignis fuit. Non deerant quidem tunc Episcopi sanctimonia, & libertate Apostolica præstantes; verum hi ipsi inter multa mala, quod minus erat, eligendum putantes, Principes Christianos quantumvis imperfectos, ac in morum disciplina solutos, quam Paganos Ecclesiæ persecutores, & juratos hostes sustinere malebant. Quam vero parum fiderent Barbaris ad fidem conversis, inde liquet, quod duorum circiter sæculorum spatio nullos ferme præter Romanos ad Clericalem Statum evectos legimus; id quod ex eorum nominibus intelligere licet.

CAPUT III.

Romanorum cum Barbaris permixtio.

Processu temporis Romani cum Barbaris sensim & pedetentim in unam nationem coiere; quemadmodum vero in colorum permixtione accidit, ut de suo uterque aliquid amittat, & ex utroque tertius color existat, qui priores omnino delet; ita Barbari usu & consuetudine cum Romanis mansuefacti & eruditi fuerunt; Romani vero rudiores, magisque agrestes effecti; ut adeo jam inde a sexto Ecclesiæ sæculo ingentem morum in Occidente inclinationem observare liceat. In pervolvendis Historicis, Poetis, aliisque profanis Scriptoribus longe tunc minus, atque olim, operæ ponebatur. Verebantur nimirum, ne hujusmodi libros lectitando ad alia, quæ directe ad Religionem non pertinent, animus avocaretur, quem uni huic negotio intentum volebant; cum tamen hæc ipsa profana studia Religioni nequaquam inutilia sint, imo vero perquam opportuna ad cognitionem antiquitatis, sanamque Criticen conservandam. Qui enim hisce præsidiis destituti sunt, facile supposita, illustribusque Auctorum Ecclesiasticorum nominibus insignita volumina pro genuinis admittunt, nimiumque se credulos præbent ad omne genus miraculorum, unde unde afferantur, complectendum. Miraculorum, quæ ab Apostolis, & ipsorum Discipulis maximo numero patrata dicebantur, quæque indies ad Martyrum sepulchra edebantur, tam celebris & constans fama percrebuerat, ut ejusmodi prodigia non amplius accurato examini subjicerentur; & ut quæque historia miraculis iisque præter morem stupendis maxime referta erat, ita lectu jucundissima habebatur.

Verum hanc in moribus & doctrina barba-

(a) Martyrol. Rom. 28. Mart.

bariem abunde compensarunt rara pietas, aliarumque solidarum virtutum ornamenta. Tota morum disciplina, quam in tertia hujus Operis parte exposui, ad decimum usque Christi sæculum duravit. Nunquam Christiani, interque istos Principes ipsi ac Reges, in psalmodia divina magis assidui, nunquam ad observanda ecclesiastica jejunia, ad dies festos rite agendos, denique ad omnia Religionis exercitia ferventiores fuere, quam his, de quibus nunc ago, temporibus. Vidisses sacros Antistites admirabili vitæ integritate conspicuos, orationi juxta & lucris animarum unice intentos; testes hujus rei appello Apostolicos illos Viros, quorum opera, & prædicatione in Gallia Belgica, in Germania, aliisque ad Septentrionem longius porrectis provinciis Christi fides plantata fuit.

Episcoporum etiam authoritas cum die crescebat; nam præter Sacerdotii dignitatem, vitæque sanctimoniam, singularis peritia in negotiis pertractandis, & in populos amor ac propensio passim ipsos commendabant. Tempore barbaricarum irruptionum, ac vastationum persæpe accidit, ut exultanti ferocientique Barbaro Victori unus aliquis Episcoporum veluti aggerem murumque sese objiciens, civitatem sibi creditam vel cum periculo proprii capitis a direptione vindicaret. Sic Roma contra Attilam a S. Leone Papa defensa fuit; sic Trecæ a S. Lupo, Aurelianum a. S. Aniano servata; ex adverso S. Desiderius Lingoniensis, & S. Nicasius Rhemensis Episcopi pro grege suo Vandalorum ferro occubuerunt. Postquam ad nostra sacra Ethnici Principes transiere, Episcopos adhibuere sibi a consiliis, fidissimosque experti sunt Ministros. Neque ad alium finem sanctissimi Pastores & sua authoritate & Ecclesiarum suarum opibus utebantur, quam ut pauperum inopiæ, publicisque utilitatibus servirent. Legantur in Anastasio admiranda opera, quæ a S. Gregorio cæteri Summi Pontifices usque ad Caroli M. tempora moliti sunt, partim in reparandis Romæ ruinis, partim in Ecclesiis, Xenodochiis, imo viis etiam publicis & aquæductis exstruendis, partim denique in universa Italia a Longobardorum furore, & avaritia Græcorum vindicanda. Legantur S. Amulffi, S. Eligii, S. Audoeni, S. Leodegarii Acta, & res præclare gestæ aliorum Præsulum, qui ad publica negotia adhibiti fuere; & facile constabit, adeo nihil politicis rebus Christianismum officere, ut illis potius pro solidissimo fundamento serviat; nulla enim re facilius arctiusque mortales ad mutuam inter se ferendam opem conjunguntur, quam Religionis vinculo.

Tanta Episcoporum, & Abbatum existimatio atque authoritas sensim sine sensu temporali etiam jurisdictione, & sæculari potestate confirmata fuit, Dominique, ac Principes evaserunt Viri Ecclesiastici cum iisdem juribus atque oneribus, quæ Laici aut sæculares Domini habebant; nam ad suppetias militares tuendæ rei communi submittendas, & non raro ad easdem in campum educendas obligabantur. [1] Satis quidem tum temporis nationes inter se permixtæ erant, ut nullo amplius habito ex Barbaris perinde atque ex Romanis Clerici possent creari; difficile tamen factu erat, ut qui ex Barbaris eo evecti erant, mores suos omnino dediscerent.

CAPUT. IV.

Mores Christianorum Orientalium post sæculum quartum.

Etiam in Oriente, etsi aliis ex causis, laxata fuit Fidelium disciplina. Plurimum in animis hominum valuere hæreses ibidem grassantes, quarum impetu multorum ab imis fundamentis labefactata fuit fides. Suos ex una parte Nestorius, suos Eutyches ex altera parte vel potius Dioscorus Sectatores maximo numero habebant. Disputationum nullus erat finis, eæque in contentiones & seditiones sæpenumero erumpebant. Clerici & Cœnobitæ uti cæteris zelo præstabant, ita animis magis incendebantur. Anachoretæ quidem hæretici, ubi semel inconsiderato æstu abrepti ex antris suis in civitates se retulerant, Dei & Religionis, ut ipsi quidem exi-

1 Confer Muratorii *Antiquitates Italicas* T. IV. *Diss.* 45.

existimabant, acturi causam, nullum violentiæ genus a se alienum putarunt. Perspectæ sunt eruditis funestæ tragœdiæ ab inimicis Chalcedonensis Concilii in Ægypto & Syria editæ.

Imperatores Christiani ut authoritate sua tantis malis obviam irent, majus malum patraverunt. Nam cum ipsorum fuisset, Ecclesiæ sanctiones, & decreta executioni solum mandanda curare, pœnis de rebellibus & seditiosis in tempore sumptis; longius provecti, quam per statum liceret, argumenta fidei ipsi cognoscere, & ad componendas de religione controversias Edicta promulgare, viamque pacificandi omnia inire non dubitarunt periculi plenissimam. Subinde Episcoporum timida conniventia freti ac suffulti, dum Ecclesiasticam disciplinam recte ordinare student, eandem penitus evertunt, nulla alia relicta regula, quam quæ imperatorum ex voluntate fluxisset.

Licet autem Imperium adhuc regeret sese ac sustentaret; illud tamen neque Romanorum amplius, nisi ex nomine, neque Græcorum, nisi ex linguæ Græcæ usu dici poterat. Thraces, Illyrici, Isauri, Armeni, Persæ, Scythæ, Sarmatæ, Bulgari, Russi, denique Barbarorum omnis generis colluvies Imperium re ipsa obtinebat. Inde est, cur nulla propemodum natio tam corruptis moribus fuisse a Scriptoribus dicatur, qualis Græcorum erat extremis illis temporibus. Vitia isti quidem Majorum suorum habebant, sed virtutibus ipsorum, elegantia morum, & scientiarum laude carebant. Hi tamen omnes Christiani tunc erant, iidemque ad nostra usque tempora priscæ Religionis exteriorem cultum magno studio conservabant.

Non poterant isti non frequenter & familiariter agere cum Mahometanis, ex quo isti rerum in Oriente potiti sunt; imo quam plurimi ipsorum Mahometanis in Ægypto & Syria subditi erant, quin ea re cessarent Christiani esse. Nam Musulmanni, ita nominantur impurissimi Mahometis asseclæ, victoriis suis, & armorum secundo cursu religionem falsi Prophetæ ita stabiliverunt, ut in Provinciis, ubi Christiana Religio convaluerat, minime istam abolerent. Insulsior enim Mahometis doctrina erat, quam ut ab hominibus veræ fidei cognitione jam imbutis admitteretur. Exigebat enim a suis sectatoribus, ut a Deo missum se crederent, cum tamen hanc sui Missionem nec Prophetiæ cujusdam præviæ, nec miraculi ullius efficacia, ac ne ratiocinando quidem, sed sola simplicique sua asseveratione persuadere aliis conaretur. Invenit tamen Impostor ille stultissimæ sectæ discipulos, tum quia ad Arabes se convertit, homines perinde stolidos & obesæ naris ac ipse Mahometes erat; tum quia prospera in bello fortuna usus, spolia & prædas liberaliter cum suis divisit, barbaram adeo sectam horrebant Christiani, multoque ante servire Musulmannis coacti sunt, quam ut socialiter cum iisdem vivere in animum inducerent.

Ad extremum tamen, usu ipso horrorem leniente, iisdem assueverunt; & intra ducentorum annorum spatium corroborata sub Caliрharum Abasidarum regimine Musulmannorum potestate, minus odiosa videri Christianis cœpit ipsorum secta, utpote qui tot annorum lapsu rudes effecti, longaque servitute fracti jam erant. Satis tum temporis Mahometismi origo habebat antiquitatis, ut fabulas suas atque ineptissimarum rerum farraginem in Alcorano contenta involvere tenebris, & vero illustrare etiam posset. Nam in Alcorano illo tertio quoque verbo repetitum Dei nomen ad fucum indoctis faciendum mirifice valuit. Ubique Pseudo-Propheta ille unum Deum prædicat, & fugiendam hortatur idololatriam. Judicii extremi, Inferni, & Paradisi Mysteria proponit; de Moyse, de Prophetis, de Apostolis & Martyribus perhonorifice loquitur, ipsum adeo Redemptorem nostrum summis laudibus extollit. Ex alia parte multas Mahometani exteriores Christianismi functiones imitantur. Septies in die laudem Deo Christiani dicunt; Mahometani quinque vicibus Deum precantur. Illi jejunium quadraginta dierum, isti dierum undetriginta observant, quibus nonnisi vespere, quemadmodum eo tempore Christiani solebant, cibum capiunt. Christiani Dominicam diem, Mahometani feriam sextam celebrant. Nos ad Ecclesias orationis, sacræ lectionis & sacerdotalis institutionis

causa

pressæ; qui cum per eorum temporum iniquitatem instrui non possent, quantum ipsis necessarium erat, ut Religio veluti in novellis agris recens plantata radices satis altas ageret; credere juvat plurimum inscitiæ, & ad res divinas tarditatis in animis hominum relictum fuisse; atque hæc fortasse non postrema causa est, cur schismata, & hæreses tam facilem aditum in universo Septentrione invenerint. Continua post Ludovicum Pium civilia, & intestina bella ignorantiam, & morum dissolutionem in partes Regni Francici alioqui maxime sanas revocarunt, accedente ad cæteras miserias Normannorum Gentilium irruptione, & vastitate ab omni parte illata. [1] Hungari etiam ipsi Gentiles Italiam infestarunt; Saraceni diu admodum Italiæ finibus metuendi Apulejam denique, & Sicilia occuparunt, præter Hispaniam, quam ante centum jam annos, & amplius sibi subjecerant. Hunc in modum, quidquid ex Romanis moribus, & urbanitate reliquum, progressu temporis abolitum fuit.

Ferenda utcunque erat Politices, artium, & humaniorum disciplinarum jactura; nisi cum his Religionis etiam causa conjuncta fuisset. Verum ista sine studio, & institutione, quæ fidei ac morum præcepta conservat, stare diu non potest. Imo Deus ipse, qui Ecclesiam suam nunquam destituit, singulari providentia curavit, ut in summa temporum caligine Doctores nihilominus satis illuminati, virique sanctitate illustres existerent, quorum vita cæteris exemplo esset. Offerunt se in sæculo Christi decimo S. Dunstanus in Anglia, in Galliis S. Odo, Abbas Cluniacensis cum primis suis successoribus, in Italia S. Romualdus atque hujus discipulus S. Bonifacius M. S. Adalbertus Pragensis, & ipse Martyr, idemque Slavorum atque Hungarorum Apostolus, S. Udalricus Augustanus Episcopus aliique prætera, qui verbo, exemplis, & miraculis cum sanæ doctrinæ, tum disciplinæ Ecclesiasticæ traditionem tuiti sunt. Sub eadem tempora Laicos etiam atque adeo summos Viros ac Principes observare licuit sanctitate claros, cujusmodi fuere S. Geraldus comes Aureliacensis, S. Stephanus Rex Hungariæ, & hujus filius S. Emmericus, Robertus Hugonis Capeti Francorum Regis Filius, & in Regno Successor, SS. Henricus Imperator, & Cunegundis ipsius conjux.

In Sanctis his, Henrico, inquam, & Stephano duarum nationum recens ad fidem traductarum animadvertere licet prævias ad virtutem dispositiones, quibus instructi erant populi, quos Romani Barbaros appellabant; erant illi ad æquitatem, ad ingenuitatem, ad castitatem propensi, voluptatum, & commodorum corporis contemptores, pauperum vero, & justitiæ peramantes. Tanta gravitate, candore animi, & magnanimitate prædıti homines, ubi semel Evangelium degustarunt, derepente illud toto pectore ita complexi sunt, ut neque difficultatibus ullis avelli se ab eodem paterentur, neque ad ejusdem lenienda severiora præcepta benignæ interpretationis aliquid subtiliter excogitare vellent. Inferior quidem ipsorum indoles fuit Græcis, & Romanis antiquioribus, si constantiam in agendo, judiciique maturitatem spectes; verum hæc ipsa res eo valuit, ut iidem simulationis, & hypocrisis vitio minus essent obnoxii. Cæterum præcipua damna, quæ decimo illo Sæculo ignorantia invexit, ista fere erant, quod Doctorum, & Sanctorum, de quibus paulo superius egi, major indies raritas, & infrequentia esse cœperit, quod fides, etsi, quantum ad substantiam pertinet, inconcussa semper manserit, multis tamen, & magnis adminiculis exterioribus privata fuerit; denique quod apud multos Christianismus haud aliud ferme fuerit, quam pars quædam morum cujusque nationis, quæ solis propemodum externis ceremoniis, quibus nec falsæ Religiones carent, constare videbatur.

Christum passim omnes ita confitebantur, ut naturaliter id facere viderentur, & ferme pro una eademque re haberetur, hominem simul, & Christianum esse. Promiscue igitur ista duo inter se jungebantur, ut adeo in medio Ecclesiæ Christianum,

1 Vide miseram Italicæ literaturæ barbaris hisce sæculis conditionem a Muratorio descriptam T. III. Antiq. Italic. Diss. 43.

num, quemadmodum olim Philosophus ille hominem medio in foro, quærere liceret. Nihil prope Christiani a Judæis, & infidelibus differebant, quantum ad vitia, & virtutes attinet; nam ceremoniæ Religionum, quibus mutuo secernebantur, se solis nihilo meliores reddunt homines. Fatendum nihilominus est, in hac ipsa temporum nocte Evangelii divinam plane virtutem, & efficaciam mirum in modum eluxisse. Quantumvis enim ignorantia mundus involveretur, omnes tamen etiam rudes mulierculæ agnoscebant, & adorabant unum ac verum Deum universorum Conditorem, & humani generis Reparatorem Christum JESUM; omnes Judicium vitamque nunquam finiendam credebant. Hæc nostræ fidei morumque disciplinæ altissima dogmata ab omnibus pro certis exploratisque habebantur; cum e contrario apud veteres Græcos vel cum florentissimus esset ipsorum status, sapientissimi quique inter eos disputandi, & altercandi de hujusmodi veritatibus finem nullum facerent.

Libenter quidem concesserim, multorum vitam cum his ipsis fidei præceptis parum consensisse; licet enim nemo unus eorum aliquod in dubium revocaret, pauci tamen erant, qui ex iisdem in suos usus salutares elicerent consecutiones, multoque minor eorum suppetebat numerus, qui, quod animo verbisque confiterentur, factis item, & moribus exprimerent. Nihilo tamen minus Evangelica morum disciplina non destitit, magna quædam etiam in malis Christianis commoda producere. Multum enim mali per eam impeditum fuit; populi immanitate plus aliis efferati, multum de sua credulitate remiserunt, magisque tractabiles, & mansueti evasere. Si a peccatis non temperabant omnes, eorum quidem certe pœnitentia, & dolore compungebantur, & vel pœnis Ecclesiasticis ipsi se submittebant, vel saltem vitam suam damnabant, & aversabantur. Denique Christianismi professio illud maxime utilitatis orbi attulit, ut humanitatis, pudicitiæ, & honestatis quandam quasi auram omnibus afflant, quam frustra ab alia quacunque religione exspectes.

CAPUT VI.

Oppositio morum ejus temporis ab instituto primorum Christianorum.

IN sæculi decimi perturbato præposteroque cursu quærenda nobis est origo maximæ laxitatis in Ecclesiasticam disciplinam, & mores Christianorum introductæ. Nulli enim mores cum instituto primitivæ Ecclesiæ perinde pugnarunt, atque illi, qui per ea tempora in Italia, in Francia, ac prope in universa Europa impune dominabantur. Primi illi Christiani egregie imbuti erant Divinæ Legis cognitione. Utque eandem perfectius condiscerent, lectionis atque piæ commentationis assiduitate procurabant; nihilo minus animis charitas, quam ingeniis sacra eruditio inerat; ejus nexu communiter animabantur omnes, interque sese fraterne consentiebant. Contra vero infelice illo sæculo ignorantia, & dissensio passim invaluerant. Laicorum quam plurimi ne characteres quidem norant, librisque ferme destituti erant. Siqui forte Principum aut nobilium virorum antiquum aliquem codicem inter cimelia sua conditum habebant, eundem, quod latino sermone conscriptus esset, cujus tunc usus exoleverat, neutiquam intelligebant. Nam in vernacula lingua nulla tunc volumina conscribi solebant. Neque nisi in latino idiomate officium Divinum, & publicæ in Ecclesiis sacrarum litterarum lectiones peragebantur, quarum insuper expositio admodum infrequens per ea tempora fuit; raro etiam proconcione dicere auditi sunt. Sæculares vero Domini intra Castella quisque abditi satis habebant, aut in vicino quodam Monasterio Divinæ rei interesse, aut Missam duntaxat privatam, a Sacellanis celebratam domi suæ audire, ubi ad Civitatem Episcopalem adire integrum non erat. Sæpe enim per crebra bella, ea præsertim, quæ cum Episcopis sæculares gerebant, eodem accedere non licebat. Nihilo melius reliqua multitudo Fidelium instituta erat; si paucos cives excipias, qui urbes habitabant, præstantibus Episcopis instructas. Jam in densissimis tenebris incredibile prorsus videri posset, quousque homi-

mi-

minimum levissimorum credulitas progressa fuerit, nisi ejus rei expressa luculentaque adhuc in antiquissimis, ut vocant, Legendis extarent vestigia.

Sacerdotes, & reliqui de Clero aut armis ipsi correptis tueri se, & hostiles impetus undequaque ingruentes a se propulsare cogebantur, quo Ecclesiæ possessiones, quibus ipsi victitabant, vindicarent; aut dura egestate compulsi ad humilia nimis atque indigna ministeria abjicere se debebant, aut denique provincias obire, ab Episcoporum aut Dynastarum quopiam victum emendicaturi. Inter has rei familiaris angustias, & publicas calamitates quæram ipsis studiorum opportunitas, quis modus suppetebat tuendæ morum æqualitatis, vitæque pro gradus sui ratione recte componendæ? Sane extra Ecclesias aliquot Cathedrales, & Monasteria locus relictus erat omnino nullus, in quo litterarum studia, & Christianæ legis exacta observatio veluti continua Traditione servata propagarentur. Cluniacenses præcipue Monachi plurimum hac in re per ea tempora elaborarunt.

Inscitia hæc, & indigentia fecere, ut non jam amplius Ecclesiarum damnis commoti Clerici, ad sua potius lucra respectarent, ac privatis solum negotiis curas intenderent suas. Inde simoniaca lues adeo vulgari cœpta. Concubinatus etiam invaluit, perque summam temeritatem ac impudentiam modis omnibus assertus fuit. Rudes isti imperitique Ecclesiastici, qui ministerium suum haud aliter atque officium tractabant, nec jam in communi, sed seorsim ab aliis vivebant, neque litteris neque precationi sacræ, sed curandæ augendæque rei operam sedulo navabant, non intelligentes sacri Cælibatus gravissimas causas, legem istam continentiæ pro jugo habebant ac tyrannide nulli ferenda. Hinc rabies illa, & furor incredibilis exarsit, quo in Gregorium VII. Pontificem Maximum, aliosque, scandalis hujusmodi extirpandis intentos, debacchati fuere.

Bonorum ingentium splendor, quibus Ecclesiæ abundabant, vehementer Principum ac Dominorum sæcularium animos sollicitabant, quibus ad vim inferendam nunquam non in promptu sua arma erant. Sæpe Episcopatus ab hominibus alia omnia promeritis violente usurpabantur; sæpe ex vicinioribus Dynastis unus filium suum natu minorem intrusit, quo filii nomine Ecclesiam spoliaret. Nec ipsa adeo Roma his malis immunis fuit; vicinos præsertim Regulos ac Tyrannos habuit infestos; intraque sæculum illud decimum continuæ propemodum erant Pontificum summæ, & Apostolicæ Sedis intrusiones atque expulsiones, in qua tamen ad id usque temporis morum disciplina quam purissima permanserat. Rara item cogebantur Concilia, propter bella aut potius latrocinia publica & passim usitata, vix ut ex una civitate in aliam tutus esset commeatus.

Ut aliquantulum respirare tot inter mala liceret, induciæ demum faciendæ erant, quæ *Trega* sive *Treva Dei* nominabantur; qua voce cessatio ab omni vi hostilique aggressione intelligebatur, sive certis per hebdomadam diebus, sive adversus certas personas observanda. (*a*) Trega hujusmodi complurium authoritate Conciliorum atque anathematis insuper proposita comminatione sancita fuit. Tanta etiam tum vis Religionis fuit, quam in animos mortalium exercuit, quantumvis efferati atque indomiti hi essent, convulsisque socialis vitæ repagulis omnia per vim ac violentiam agerentur. Hoc quoque tempus illud est, quo Excommunicationis frequens facta mentio fuit, in percussores Clericorum latæ. Nam prioribus sæculis, cum sola Fidelium reverentia tuti satis ac defensi essent Clerici, vix ad pœnæ genus animadvertere unquam licuit; consecutis vero mediis Ecclesiæ temporibus, cum atrocissimis passim injuriis & insultibus Ecclesiastici paterent, extremis item remediis utendum fuit.

CA-

(*a*) *Extravag. de Trev. & pac.*

CAPUT VII.

Ecclesiarum inopia.

NOrmannorum populatione aliisque internecinis bellis Templa, & Monasteria maximam partem eversa dirutaque fuerunt; quæque ex iisdem supererant, omni cura destituta veluti sponte sua in ruinam inclinare permittebantur, falsa nimirum persuasione Fidelium animis passim insidente, fore, ut annus a Christo nato millesimus orbi universo supremus illucescat. Hæc causa est, cur antiquissima etiam templa, quæ hodiedum extant, vix ultra quingentos sexcentosve annos natales referant suos. Quo tempore instaurari atque a fundamentis novæ condi Ecclesiæ rursus cœptæ sunt, forma quidem veterum ædificiorum retenta atque expressa iterum fuit, magnificentiam tamen veterem, sacræque supellectilis pretiosum apparatum imitari aut revocare non licuit. Etsi enim permagnis tunc quoque Ecclesiastici bonis instructi essent, Ecclesiæ tamen non cessabant & egere, & male administrari; propterea quod bona illa in titulos multorum beneficiorum veluti in totidem rivos divisa essent, quorum annui proventus a Possessoribus quam plurimis ita curabantur, ut si privata eorum bona forent, quam minima proventuum parte ad usus atque impensas publicas erogata. Episcopi ad quos redituum illorum pars maxima pertinebat; propter sæculares Dominatus, quibus sub id tempus instrui cœperant, non poterant non aliorum more Principum numerosam alere familiam, aulamque & apparatum suæ dignitati congruentem comparare. Quid? militum manipulos suis non raro stipendiis in promptu habere cogebantur. Ut adeo, si vel zelo animarum antecessoribus suis pares essent, tamen in faciendis impensis ad Ecclesiarum cum fundamenta, tum ornamenta longe impares Majoribus fuissent suis, qui & parcissime pro se victitabant, & universæ Diœceseos Ecclesiastica bona soli administrabant; præterquam quod ipsa illa priscæ magnificentiæ veluti nobilis idea cum tempore deperdita fuerit. Non parum erat calamitosis illis temporibus, secto ex lapidi Templa moliri, cupreisque columnis altare concludere; ex eadem materia cruces & candelabra formabantur, auro & argento faciendis sacris calicibus reservato; quanquam ne isti quidem, nisi in opulentioribus Ecclesiis aurei argenteique essent; (*a*) atque ad hæc tempora prohibitio illa referri debet, adhibendi in Sacrificio calices ex vitro, cornu, ligno cuprove factos, stanneorum calicum permisso usu; Reliquiariæ demum thecæ sæpenumero ligneæ duntaxat erant. Ex quibus eorum temporum miserrimum agentissimumque statum facile quivis arbitretur.

Cæterum quantumlibet egentes tunc Ecclesiæ essent, satis tamen ornatas magnificeque instructas fuisse, fatendum est, si cum profanis ædificiis comparentur, sive civium privatas domos spectes, ex ligno duntaxat ædificatas, sive Magnatum ac Dynastarum palatia. Extant eorum adhuc reliquiæ quædam, ex quibus discrimen illud satis liquido apparet. Sæculares illi Domini non nisi Castella Turresque sibi extruebant, in quibus fabricandis firmitatis ac securitatis solummodo habita ratio est, cæteris Architecturæ ornamentis Templorum ædificationi reservatis; ad quæ locupletanda gemmas etiam suas, & pretiosissima quæque iidem conferebant, id quod partim ex thesauris antiquorum Monasteriorum, partim ex Testamentis, codicillis, aliisque id genus antiquis chartis videre est. Robertus Rex pietatis causa Angeriacum * peregrinatus, Sacræ Ædi concham auream triginta librarum dono dedit; aliis item Ecclesiis bene multis Calices, Reliquiarias Thecas, diversi generis vasa, atque ornamenta dedit, præterquam quod *Capellam*, ut vocant *Regiam*, id est, instrumentum sacerdotale haberet, in paucis pretiosum ac splendidum, quod is, quoquo iter dirigeret, secum deferri curabat. Sub eadem tempora Gnesnensis in Polonia Ecclesia a Bohemis expilata fuit, ac per sacrilegam rapinam inde ablata Crux aurea trecentarum librarum, Christi e Cruce pen-

* Gallice S. Iean d'Angely Oppidum Aquitaniæ.
(*a*) *Conc. Chalced. An.* 787. *Tribur.* 895. c. 18. *Rem. de Consecr. Dist.* 2. c. 45.

pendentis simulacrum librarum facile nongentarum, denique tres tabulæ primarii altaris ex auro purissimo gemmis ornatæ, præter alia innumera ornamenta in vasis & sacra supellectili: (a) & hoc quidem in Regno illo, quod sane inter cætera Europæ Regna opulentissimum non est.

Sed enim parum proderat, abundare Ecclesias, nisi elegantiæ quoque & munditiei cura accederet, quam tamen ejus sæculi rusticitas, ac veluti depravatus quidam gustus excludebant. Eadem Ecclesiarum inopia fecit, ut Clericorum, quorum non omnino necessaria videbatur ad sacras functiones opera, numerus contraheretur atque adeo penitus tolleretur, hujus generis erant Ostiarii & Acolythi; brevique res eo rediit, vix ut præter Sacerdotes alii inferiorum ordinum Clerici superessent, quorum quilibet suo gradui peculiare obiret ministerium, quare functiones hujusmodi sacræ aut penitus intermissæ, aut a Laicis ministris famulisque curari cœptæ fuerunt. Ac ne ordo quidem, qualem olim Fideles pro sexus & ætatis discrimine in Ecclesia sacrosanctum observabant, in sacris cœtibus ultra custoditus fuit; quin potius deposita Ecclesiastici status reverentia, veluti perrupto aggere, Laicorum & fœminarum turmæ in loca templorum secretiora proxime Sanctuarium ipsum temere se infundebant; neque tunc laboratum amplius fuit, ut in locis a strepitu remotis templa exstruerentur, vacuumque circumquaque relinqueretur spatium ad supplicationes commodius deducendas; nimium enim tanta templorum laxitate civitatibus detrahi credebatur. Ergo pietatis summa in Ecclesiarum atque Altarium reponebatur numero, quin de iisdem laute ac magnifice instruendis multum solliciti Fideles essent.

Et fuit sane tempus illud, cum sacellorum domesticorum augeri supra modum numerus cœpit. Constantinus M. post conversionem suam unum in palatio suo Oratorium, unum item templum vel potius Tabernaculum portatile habebat, (b) quod castra semper atque exercitum sequebatur. Tenuere morem hunc subsecuti Constantinum Christiani Reges, & erat inprimis celebris Caroli M. *Capella*. Is, ut erat prope assidue in itinere detentus, voluit semper deportari secum Reliquias, sacrum ornatum, & quidquid ad rem divinam faciendam necessarium erat, una cum numeroso selectoque Clericorum cœtu. Quare nihilo minore apparatu ipsius Capella, quam in quacunque Cathedrali Ecclesia, Divinum Officium peragebatur. Caroli exemplum Successores ipsius imitandum putarunt; hos porro uti aliis in rebus omnibus, ita in isthac quoque secuti sunt Principes ac Reguli, qui in Carolingicæ Domus ruinis suam dignitatem inædificarunt. Cum vero quilibet Regulorum hujusmodi, quibus Europa omnis quam brevissimo temporis intervallo abundare cœpit, intra castelli sui munimenta clausus ac defensus, vicinos suos bello appeteret, quilibet etiam ipsorum intra arcis suæ ambitum peculiare sacellum sibi depoposcit, ne, quo tempore per tumultus bellicos alio concedere non licebat; Officii Divini & Missæ fructu carendum esset. Ergo alias necessitate, alias desidia adducti ab Ecclesiis publicis abstinuere; nec nullam ea in re partem sibi vendicabat ambitio, & aliorum despicientia; ne videlicet mixti ultimæ plebeculæ quisquiliis summi viri cernerentur, sed ut potius sacellanos in famulitio suo numerarent. (c) Persæpe sæculo Christi nono labente conqueri Patres auditi sunt, quod Ecclesiæ a copiosis viris atque Magnatibus deserantur, legeque sancitum fuit, ut solennioribus saltem festis eodem isti quoque se conferrent. (d) Secundum illa tempora Altaria portatilia, sacella domestica & privatæ Missæ usque adeo multiplicata sunt, ut sensim Majores Ecclesiæ a solis civibus & vulgo frequentarentur; quæque ante publicis templis offerri a Dominis solebant, ea isti in privatorum suorum sacellorum usus erogabant; cumque per ipsorum absentiam multum de Officii Ecclesiastici splendore deperiret, dubitare non licet, quin ipsorum etiam Ecclesiasticorum hominum fervor intepuerit.

Nul-

(a) Baron. ad An. 1036. n. III. (b) Euseb. in vita Const. Sozom. 1. c. 8.
(c) Concil. Ticin. An. 855. c. 4. (d) Theodulp. can. 45. 46.

Nullum tamen incommodorum, quæ magno numero tanta Ecclesiarum indigentia procreavit, molestius graviusque erat, quam pauperculorum neglectus & solitudo. Qui enim consuli huic turbæ a Clericis poterat, quibus etiam ipsis cum fame luctandum erat? aut undenam conquirere pias eleemosynas vacabat, cum latrociniis & populationibus intuta essent omnia? Xenodochia profecto nisi in opulentis urbibus exstrui conservarique non possunt, utque admissi ibidem egeni solicite ac bene tractentur, hominibus opus est prudentia, charitate, cæterisque ad gubernandum aptis dotibus abunde ornatis. Atqui nihil ferme istorum per ea tempora reperire erat. Ipsa adeo commercia sublata erant, quorum ope id, quod uni regioni natura negat, importatis in eam ex alia abundantiore provincia mercibus suppletur, ac veluti exæquatur. Progressu temporis tamen a Primoribus ac civibus opulentiorum urbium diversi generis Hospitalia, interque ista duæ præsertim Hospitalium novæ classes, leprosis & peregrinis excipiendis fundata fuere; quorum major pars post tempora S. Ludovici primum erecta fuit. Habes hic, amice Lector, præcipuos effectus, quos sæculi illius decimi depravatus genius produxit. Quæ qui enucleatius persequi singula velit, historiam universam calamitosi illius ævi conscribere necesse habeat; sed nobis ad scopum huic operi præfixum sufficiat, summa rerum capita attigisse.

CAPUT VIII.

Initium Reformationis a S. Petro Damiano susceptæ.

SÆculo Christi undecimo exeunte disciplina Ecclesiæ probique mores erigere iterum caput, ac reflorescere inceperunt, zelo & cura S. Petri Damiani, Summis Pontificibus Leone IX. Alexandro II. Gregorio VII. & Urbano II. authoritate, qua pollebant, Apostolica summaque sancti Viri consilia promoventibus. Educatus is fuerat inter Monachos *Nigros*, ut vocabantur, Cluniacenses, qui vitam monasticam ad statum pristinæ puritati admodum affinem veluti postliminio revocarunt. Magis etiam elimata Monastici instituti perfectio fuit, opera Monachorum Candidorum Cisterciensium, qui ad exordium sæculi duodecimi natales suos referunt. Itaque Petrus Damiani, quique eodem, quo ille, spiritu afflati erant sancti, & summi Pontifices incontinentiæ ac simoniæ, quæ geminæ pestes Clerum ea ætate miserandum in modum infecerant, magis animis bellum indixere, utque augustum hunc ordinem ac statum in veterem ac primævum splendorem assererent, vitam restituerunt Canonicorum in communi viventium, qui eam ob rem *Canonici Regulares* dicti fuerunt, quo sic a cæteris in veterno suo & priori laxitate persistentibus secernerentur. Canonicorum Regularium vita parum a monastica distabat; totaque propemodum differentia in eo sita erat, quod Clerici omnes ii essent ad ministeria Ecclesiarum destinati, ex quibus proinde Pastores & Episcopi maxima ex parte creabantur. Tota igitur hæc pietatis, & exercitationis virtutum Christianarum instauratio ad solos ferme Clericos ac Monachos pertinebat; & revera plurimum etiam ad communem Christianismi utilitatem intererat, utrumque hunc statum ad veterem formam refingi.

Divus Petrus Damiani, & plerique illorum temporum sancti Viri ad internam animorum culturam, quæ solidis virtutibus exercetur, corporis etiam afflictationes atque asperitates adjunxere, quibus ævi nostri delicati mores ægre admodum insuescere sustinent. Sed credere juvat, divinitus ipsis injectam eam mentem fuisse, qua novam hanc vitæ rationem stabilirent, ad morbos eorum temporum opportunis veluti medicamentis curandos. Agendum ipsis ac decertandum erat cum natione tam perversa & refractaria, ut ad eam salubriter commovendam rerum externarum, quæ sensus corporis graviter ferirent, veluti ariete admovendi essent. Parum enim exhortando, parum ratiocinando proficiebatur apud homines rudes, barbaros, cædibus & rapinis assuetos. Imo ne quidem utcunque severa pœnitentiæ & austeritatis opera quidquam effecissent in populo duris militiæ laboribus innutrito, loricaque & armis nunquam non onerato. At ubi videbant isti S. Bonifacium

Divi Romualdi Discipulum frigidissimas regiones nudis pedibus peragrantem: ubi S. Dominicum intuebantur cognomento Loricatum, dirissima verberatione tergora totumque corpus cruentantem, intelligebant illi denique, serio rem agere Sanctos istos, vereque Deum amare, ac peccata toto pectore detestari. Nihilo majorem animis religionem injecisset orationis internæ ac mentalis usus, imo hanc ne percepissent quidem inculti, efferatique homines, nisi moveri etiam labia, & in psalmos decantandos solvi lingua persentiscerent. Tunc primum diligi a Sanctis hisce proximum animadvertebant, cum eosdem cernerent, voluntarias pro ipsius salute pœnas ultro sibi infligere, suppliciaque de se sumere, quæ ex Canonum placitis subeunda peccatoribus erant, si ad eadem perferenda vires atque otium non defecissent. Ergo sub id tempus pœnitentiæ Ecclesiasticæ redintegrata consuetudo est, & quamvis ejus obeundæ spatium contrahi tunc cœperit, non pluribus verbi causa ad expiandum homicidium quam septem annis præfinitis; quia tamen, ut erant tum tempora, qui homicidia triginta ac totidem cum adulteria tum perjuria commiserat, pœnitentiam per aliquot sæcula extrahere debuisset, ideo Indulgentiæ certorum annorum impertiri cœptæ sunt, quarum in aliquot Bullis Pontificiis mentio fit. Pœnarum iste & pietatis exterior ac terrificus apparatus crudos peccatorum animos denique conciliavit atque emolliit, ut majori quam antea docilitate faciles Sacerdotibus ac Religiosis Viris præberent aures, quippe quorum vita admirationi erat, multique ea ratione permoti ad meliorem se frugem recepere. Cæterum prolixior psalmodia, flagrorum & catenarum ferrearum, ac reliquorum usus instrumentorum, quibus macerari caro solet, nequaquam recens eorum temporum inventum erat. Plura jam olim hujusmodi severitatis exempla edita fuisse, Theodoretus in Historia sua religiosa demonstrat; unusque Simeon Stylites sufficere abunde potest, ad quodcunque genus pœnarum quamlibet atrocium authoritate sua & exemplo commendandum. In regula S. Columbani, qui proxime finem sexti sæculi floruit, maxima pars erratorum, quæ Monachi admitterent, flagellorum certo numero præscriptis ictibus castigata fuit. Psalmodiæ porro tempus in eadem regula nunc brevius nunc prolixius erat, pro noctium videlicet inæqualitate, quæ in ea regione, ubi Sanctus is degebat, multoque magis in Hibernia, unde advenerat, tam varia & multiplex est, ut interdum noctes hyemali tempore inciderent quibus dimidium Psalterium absolveretur. Subinde Sanctos bene multos videre erat, voluntariis flagris in se animadvertentes, plures etiam, qui pro sua privata pietate totum in dies singulos Davidis Psalterium recitarent. [1] Flagellationum ille mos in abusum denique pertractus fuit ab Hæreticis, qui ea re (a) *Flagellantes* appellabantur, quique in Italia sæculo Christiano tertio decimo prodiere; hi enim devotionis præcipuum caput in publica verberatione situm esse contendebant. [2]

Psalmodiæ longioris studio temporibus, de quibus hic agimus, Officiorum Ecclesiasticorum crebrior numerus introductus fuisse videtur. Nam a Cluniacensibus Officium Defunctorum constitutum, [3] & (b) S. Petri Damiani ætate Officium parvum B. V. inchoatum fuit, [4] quod subinde Laicis omnibus, qui legere scirent, familiare & usitatum esse cœpit. Rosarii porro, aut Coronæ B. V. usus adjuvandæ rudium pietati excogitatus fuit. Jam inde a prioribus Ecclesiæ sæculis solitarios quosdam

1 Antiquiora tamen flagrorum exempla vide apud Gretserum in libris tribus *de voluntaria flagellorum cruce*. Quare non est, cur Protestantes, atque in his Io: Guill. Bajerus in Differtatione *de flagellationibus Pontificiorum* Ienæ 1615., morem hunc tantopere insectentur.

2 Historiam flagellantium edidit Iacobus Boileau Parisiis 1700. Confer tamen tum censuram ejus historiæ ab Iohanne Baptista Thiers edita Gallice *ibid.* 1702., tum Patres Trivultianos in Ephemeridibus anni 1704. Christ. Schoettgenius *de secta flagellantium* librum vulgavit *Lipsiæ* 1711.

3 Id oppido falsum, ut apud Bonam videre est *de Div. Psalm. cap.* 13. §. 2.

4 Et hoc falsum. S. Petrus Damianus B. M. Virg. Officium non inchoavit, sed restituit. Vide Bonam *l. c. cap.* 12. §. 2.

(a) *Annal. Eccles. an.* 1260. (b) *B. P. Dam. lib.* 6. *ep.* 32.

dam sive Anachoretas accepimus, singulis diebus orationum certum & oppido magnum numerum devotionis ergo persolvere solitos fuisse. De quodam S. Paulo Libyco Sozomenus in hunc modum scribit: (a) *velut quoddam tributum habens impositum, trecentas orationes unoquoque die reddebat; & ne numero forte delinqueret, trecentos lapides ponebat, & singulis orationibus* (finitis) *lapidem mittebat in sinum. Expensis vero lapidibus, orationes sciebat esse completas*. Consecutis post temporibus adhibita sunt grana precatoria filo inserta; quorum usus apud Orientales æque, ac apud nos, receptus est. Religiosis, qui legendi rudes erant, ut Templarii & Fratres Conversi Cistercienses, loco singularum Officii Divini Horarum certus numerus Orationum Dominicarum, quas recitarent, imperatus erat. Ad extremum S. Dominicus *Rosarium* instituit, centum & quinquaginta salutationibus Angelicis contextum, quo rudes Psalterii loco uterentur; ex Rosario postmodum Corona Virginis originem duxit. [1]

CAPUT IX.

Cruciatæ.

Susceptæ sæculo Christi undecimo Cruciatæ sanctum procul dubio expeditionum genus erant, planeque necessarium ad comprimendam Infidelium audaciam, secundosque armorum cursus inhibendos. Eo præcipue valuerunt, ut & Italia ab Infidelium continuis direptionibus præservaretur, & Sicilia ac demum Hispania ab ipsis occupata, barbaris hostibus liberaretur. Cæterum tam modus ac ratio ejusmodi expeditiones gerendi præpostera, quam fortuna ut plurimum adversa fuit; damnorum vero, quæ inde accepta sunt, longe maximum fuit disciplinæ remissio. Ad eam usque diem perstabat pœnitentiæ Ecclesiasticæ usus, nec nisi raro atque ad breve tempus ejusdem vel condonatio vel potius contractio fiebat. At ex eo tempore Indulgentia Plenaria introducta est, omnimoda, inquam, relaxatio quarumvis pœnarum Canonicarum, quas quisque peccando commeritus fuisset, si modo peregrinationem ad Terram Sanctam suscipere in animum induceret.

Nihilominus Cruciatas hujusmodi non tam simplicem meramque pœnarum omnium condonationem sive Indulgentiam, quam unius pœnæ cum altera permutationem esse volebant. Et revera peregrinationes ad loca populorum communi pietate celebrata, qualia erant Roma, Compostella, Turones ac præcipue Hierosolyma, multo jam ante inter Pœnitentiæ genera numerabantur. (b) Etenim sæculo Ecclesiæ nono motas fuisse querelas constat de abusu non uno, qui in easdem etiamtum irrepserat; & aliquanto prius conditæ leges fuerant ad coercendos vagos quosdam, & inertes homines, qui pœnitentiæ obtentu regiones obibant nudis corporibus, ferroque, & catenis ad universorum terrorem onusti. Hunc in modum a pristino ritu obeundæ pœnitentiæ pedetentim discessum est, quam domi, & in secessu fieri solitam, supra commemoravi. Sed tamen qui ita vel soli vel cum selecta piorum peregrinorum manu iter hujusmodi inibant, magis aberant a periculo seu dissipandi animum, seu in ea ipsa peccata, quæ expiatum ibant, relabendi.

Longe aliter se res habebat in Cruciatis. His enim qui nomen dederant, ii catervatim ac sæpe exercitus in morem proficiscebantur, propterea que id genus militares, ut sic dicam, peregrinationes haud opportunum satis ad deflenda peccata remedium erant. Quomodo enim in tanta rerum undequaque in sensus incurrentium varietate animus secum habitaret, spiritumque compunctionis teneret integrum? Sane in longis itineribus ad eorum levandam molestiam libenter captamus blanda colloquia, longosque, & familiares sermones miscemus; & qui minus quam cæteri

1 De Rosarii institutione Confer Bollandianos *T. I. Aug.* in *Comm. pravio de S. Dominico*, & Annales Dominicanorum Romæ nuper vulgatos *T. I.*

(a) *In Historia Eccles. tripar. l. VIII. c. 1.*

(b) *Concil. Cabil. II. An. 813. Capitulum Aquisgranense An. 787. c. 73.*

rì sapiunt, cæteris esse solent loquaciores. Præterea sollicitudo procurandi victus, & diversorii, ac diversi, ut in itinere fieri amat, repentinique casus animum alio avocant; facileque in cibo, potu, & somno capiendis plusculum nobis indulgemus, ad intuetæ fatigationis lenienda incommoda. Jam ipsa itineris ratio non una semper nec æquabilis esse poterat. Adde his tot regionum, quæ in profectione ad Terram Sanctam peragrandæ erant, diversos mores; adde quæstuum occasiones ex tanta genlorum, morum atque linguarum diversitate identidem pullulantes; adde blandissima illicia voluptatis ac dissolutionis, quæ, & Provinciæ natura sua lætissimæ, & consuetudo cum nationibus fœdum in modum depravatis afferebat. Profecto qui eorum temporum historias litteris prodiderunt, fidem faciunt, Crucigerorum exercitus militari licentia non modo reliquis exercitibus pares, sed etiam superiores fuisse, ac vitiorum omne genus, quæ partim ex sua quisque patria attulerat, partim in exteris terris addidicerat, ibidem regnasse. Quid multa? siquid votivæ illæ peregrinationes valuerunt ad castiganda peccata, castigatio hæc non tam Christianorum, qui expeditiones illas susceperant, quam Infidelium, & Schismaticorum, contra quos susceptæ erant, peccata vindicabat, utpote quos hoc veluti atroci flagello Justitia mulctari voluit.

Quod ad Cruciatarum commilitones sive Crucigeros attinet, ejusmodi peregrinatio illis non tam pœnitentiæ, quam oblectationi erat. Non vacabat quidem molestiæ, & doloris aliquo sensu, ad longum tempus patriam, familiam, charosque omnes deserere, sumptusque facere tanto itineri necessarios; sed tamen, ut erant persæpe homines claro loco nati, venationi insuper, pugnis ac cædibus assueti, non poterant ipsi non præsentem fructum voluptatis percipere, ubi videbant in profectionem militarem conversas esse varias corporis asperitates ac pœnas, peccatis suis alioqui injungendas; cujusmodi erant jejunia, prolixæ preces, &, quod per id tempus insignis pœnæ loco imperabatur, abstinentia ab armorum, & equorum tractatione. Aliis porro infirmæ fortunæ hominibus, qui ruri vitam transigebant suam, parum certe molestiæ labor ille creare poterat, & qualis demum cunque is esset, locorum ac rerum nova indies objecta sensibus veluti scena haud parum leniebatur.

Ratio etiam, & via inita fuit, Indulgentiarum hujusmodi participes reddendi eos, qui expeditioni sacræ non interErant, dummodo eleemosynarum aliquid ad impensas sacri belli sublevandas erogarent. Neque ulla hominum conditio reliqua fuit; quæ satisfacere pro pœnis criminum suorum non posset, quamvis canonicam illam, & veterem pœnitentiam non subiret. Etenim qui per egestatem largiri stipem non poterant, iis jejunia aliquot aut peregrinationes minus molestæ imponebantur. Hunc in modum satisfactio pro peccatis præstanda mere arbitraria incepit esse, Canonesque Pœnitentiales, cum in usum non amplius deducerentur, cito oblivioni fuere dati; & præcipua pœnitentiæ difficultas non alia fuit, quam Confessionis necessitas.

Magno semper numero Crucigeris associabantur Episcopi, Sacerdotes ac Monachi; quorum nonnullos zelus Religionis minime fucatus, alios vero libertatis amor allexit. Licere enim sibi tunc putabant, arma non modo gestare, sed etiam contra Infideles exercere. Atque hinc proclive est judicare, quantum laxamenti in disciplinam Ecclesiæ tanta licentia invexerit, præcipue quod ea conjuncta esset cum inveterata longissimi temporis ignorantia. Ipsi Summi Pontifices tametsi cæteroquin optime animati, zeloque flagrantes, nonulla ex hujusmodi malis ferre, & conqueri cogebantur. Nimirum ut summa rei non periret, dissimulanda erat privatorum quorundam dissolutio; conniVendumque Ducibus, qui Religionis causam strenue promovebant, etsi eandem flagitiis suis commacularent. [1]

C A-

[1] De hujusmodi expeditionibus Sacris in Orientem consule Auctores a Fabricio citatos in *Salutari Luce Evangelii* p. 518. quibus addi possunt Dan. Guill. Molleri Dissertatio *de expeditionibus Cruciatis* Altdorfii 1709. Bohemeri Dissertatio *de varia jurium innovatione per expeditionem cruce signatorum*, *Hala* 1740. & Voltærii *Histoire des Croisades* Romæ confixa 22. *Martii* 1754.

CAPUT X.

Doctorum multitudo.

INterea temporis instaurari studia litterarum cœpere, ita tamen ut Dialecticæ ac Metaphysicæ subtilitates haud paucæ ex Arabum disciplina haustæ iisdem inspergerentur. Antiquorum voluminum raritas, multoque magis eorundem intelligendorum difficultas ad recentiorum Scriptorum lectionem propriæque rationis discursus invitabant. Hac ratione Theologia, quam Scholasticam vocant, alteri, quam Positivam dicimus, anteferebatur, avidiusque Magister Sententiarum aut Gratianus, quam Patres, unde sua illi acceperant, perlectus, atque in divinis litteris exponendis plus figuratus, quam litteralis investigatus est sensus. Non amplius apud solos Episcopos Prædicationis officium mansit; imo post sæculum Christi duodecimum complures ipsorum verbo Dei Clerique sui institutioni segniter operam suam commodabant; adeo se temporalium negotiorum procurationi dedebant. Laici enim ac præsertim sæculares Principes, cum litterarum ipsi plane rudes essent, Episcoporum carere consilio, & opera non poterant. Episcopi ergo aut Abbates Cancellariorum & Ministrorum Status, ut vocant, præstabant munera; causarumque propemodum omnium cognitionem atque judicia ipsi exercebant. Ut adeo studia litterarum, Prædicatio, & Sacramentorum administratio partes inciperent esse muneris Doctorum, quibus Universitates abundabant, præcipue Mendicantium ex Ordinibus, qui laboranti calamitosis iis sæculis Ecclesiæ Dei sane quam opportune suppetias venere.

Cæterum omnes isti Doctores privati nulla ferme alia pollebant authoritate, quam quæ cuicunque suismet a meritis conciliabatur. Integrum discipulis erat, cui cui Magistrorum vellent, operam dare; inde opinionum & sententiarum in rebus, de quibus in utramvis partem disputare licet, nata diversitas. Cum enim inter Doctores admodum multi essent, qui a cura animarum vacui vitam omnem in scholis contererent, non poterant non abundare otio ad ventilandas quæstiones scitu sæpe curiosis ingeniis magis amœnas quam utiles. Laicis quoque data optio fuit, & Concionatorem, qui magis arrideret, audiendi, & Confessarium deligendi, quamvis proprius is Parochus non esset. Tanta Sacerdotum copia ac delectu naviter in suam perniciem abusi Laici facile unum aliquem in impertienda sacramentali Absolutione plus æquo benignum repererunt; quique se juxta atque alios decipere non dubitarunt, frequentare Ecclesias; & divinis Mysteriis frui pergebant, quin ea re meliores efficerentur.

Quid? quod ex ipsis Doctoribus ac morum Magistris quam plurimi corruptis populorum moribus, tanquam torrenti, cedentes, complures atque insignes abusus ac laxitates veluti in normam morum abire passi sunt. Denique non deerant Casuistæ, ut vocant, qui suam de moribus & interiore foro doctrinam magis humanæ rationis discursui, quam sacrarum litterarum ac Traditionum placitis inædificarent; quasi verò Sapientia Æterna Patris Christus JESUS haud satis luculenter veritatem omnem, quæ fidem ac mores spectat, nos edocuisset; ut necesse sit cum antiquis Philosophis eam primum nescio unde eruere atque scrutari.

CAPUT XI.

Sanæ doctrinæ sanctorumque exemplorum perpetuis temporibus conservata successio.

QUalicumque tandem modo, & a quibuscunque personis Ecclesia Dei pro temporum diversa ratione gubernaretur; sive Episcopi per se ipsi gregi suo advigilarent, sive Sacerdotes ab Episcopis aut Romanis Pontificibus ad id destinati eam curam sibi sumerent; sive sæculares illi Presbyteri sive Regulares essent, sive ordinarii Pastores, sive aliunde accersiti Missionarii; una tamen Religio, unum idemque sanæ doctrinæ veluti corpus permansit. Sua usque fidei eaque summa puritas, sua item præcipuis doctrinæ moralis capitibus firmitas constitit. In eo consentiebant ad unum omnes, Dei legem observandam esse, prout illa a Traditione & autho-

authoritate Veterum explicabatur, sanctosque Viros, quos Ecclesia publico ac solenni ritu veneratur, pro vitæ regula ante oculos omnibus esse ponendos.

Deus ipse per intervalla temporum non destitit Ecclesiæ suæ viros submittere minime vulgari sanctitate conspicuos, qui & dogmatum fidei servarent puritatem, & consopitam in hominum animis pietatem veluti admotis stimulis excitarent. Quantus, Deum immortalem! quamque per omnia summus Vir S. Bernardus erat? qui in se uno collegerat Prophetarum zelum luculentis prodigiis comprobatum, doctrinam atque eloquentiam Maximorum Ecclesiæ Doctorum, ac mortificationem denique vitæque austeritatem perfectissimis Anachoretis parem. Multum etiam haud dubie Innocentio II. cæterisque eorum temporum nomine ac re Summis Pontificibus debemus, multum item Magistro Sententiarum, Divo Thomæ aliisque, qui Theologiam in eam formam ac methodum, quam hodie Scholasticam vocamus, redegere. Sanctus Franciscus Assisias quam insigne omniumque in oculis positum mundo exemplum edidit Evangelicæ perfectionis ad litteram, ut ajunt, observatæ, colendo humilitatem ac mortificationem primis illis Apostolorum temporibus plane dignam? Ite de sæculo in sæculum, de progenie in progeniem, conservata a Deo O. M. in Ecclesia fuit non modo castæ puræque doctrinæ, sed exercitationis etiam virtutum Traditio.

Dicamus igitur quod res est. JEsus Christus idem hodie est, qui heri fuit, idemque erit omnium decursu sæculorum. Frustra degeneres, & improbi Christiani inde a longo retro tempore elevare atque infringere conantur eam, quæ hactenus perpetuo servata fuit, antiquitatis, & exemplorum, quibus Sancti præluxere nobis, reverentiam, falso statuentes atque in vulgus jactantes, homines primis illis Ecclesiæ sæculis longe diversæ a nobis naturæ fuisse, corpora ipsos habuisse robustiora nostris, & jejunio aliisque asperitatibus ferendis longe aptiora, animos vero indolemque gessisse magis docilem, atque ad virtutum quarumcunque exercitationes multo paratiorem. His tu hominibus si dicas, sanctos Petrum, & Paulum vitam duxisse pauperem, laboribusque, & ærumnis obsitam; continuo respondebunt: Atqui hi Apostoli erant. Si urgeas, sanctos Antonium, Martinum &c. in divexando multisque modis excruciando corpore insignes fuisse; isti quoque, reponent, Sanctorum e genere erant. Si porro instes, sanctum Augustinum Clericos suos ad vitam in communi agendam instituisse, vitamque, etsi Episcopus esset, planam nihilominus ac simplicem egisse, istud quidem, inquient, temporibus illis apte congruebat. Diceres gravissima illa nomina *Sanctitatis*, *Antiquitatis*, & *Primitivæ Ecclesiæ* totidem legitimos titulos esse exceptionum, quibus nostræ ætatis Christiani ab usu pœnitentiæ, a continua divinæ Legis commentatione, a voluptatum sæculi, ac turpis lucri fuga, ab obligatione demum vitæ Clericalis ad cæterorum ædificationem recte instituendæ eximi se putant. Adeo illi omnia sibi objecta solvere ac difflare videntur sola temporum distinctione.

CAPUT XII.

Quinam abusus, & quatenus tolerati fuerint.

NON nego abusus aliquot, qui altas jam radices egerant, ab Ecclesia dissimulatos fuisse, exspectante interim opportunitatem, commodumque tempus eos denique extirpandi; illud etiam concesserim, propter duritiam cordis humani nonnunquam laxamenti aliquid in veteri, & severiore disciplina permissum fuisse; ut cum data copia est, diebus esunalibus horam refectionis anticipandi, præterque istam cœnulæ quidquam, Collationem vocamus, sumendi; cum item pœnitentiæ aut satisfactionis de peccatis injungendæ modus ac mensura Confessariorum prudenti arbitrio relicta, cum Indulgentiarum thesauri frequentius impertiti, cum monasticorum institutorum complurium temperata severitas fuit. Sapienter nimirum existimabatur, Religiosos etsi infra regularum suarum modum perfectos, multo tamen in Religioso statu quam in sæculo futuros esse meliores; longeque præstare, lenire aliquantulum jejuniorum mole-

stias, quam, ut eadem penitus aboleantur, permittere. Cæterum non est, cur quisquam ex ista Ecclesiæ indulgentia jure concludat, planiorem nostra hac tempestate magisque expeditam ad cœlum viam esse factam, nosque Majoribus nostris hac in re longe feliciores judicandos, aut Pontifices, & Episcopos extremorum temporum plus Prædecessoribus suis sapere voluisse.

Sufficit attente perlegere Constitutiones Canonesve Ecclesiasticos, in quibus remissionis aliquid, & gratiæ concessum fuit, & liquido apparebit, nunquam ad ejusmodi concessiones Ecclesiam nisi dolentem ac prope reluctantem induci se denique passam esse. Accedit, quod plura ex iis, quæ nunc laxius fiunt, solo usu, & consuetudine introducta fuerint; dum interim Ecclesia mirifico studio hactenus conservavit certas formulas, quibus antiqua severiorque disciplina hominibus identidem in memoriam revocetur; hujusmodi sunt consuetudo ante mensam cantandi Nonam aut Vesperas in feriis Jejunii (ut appareat, cœnæ non prandii loco refectionem illam esse) item formulæ omnes Ordinationum, & cæterarum functionum in Ecclesia publicarum, quæ quasi totidem publicæ contestationes sunt, sæpius per annum iteratæ ad præpediendam omnem contra antiquas leges præscriptionem.

Aliqui tamen abusus ab Ecclesia semper proscripti ac damnati fuere: hujus generis sunt ludi inhonesti, qui per summam impietatem atque impudentiam in ipsis adeo Ecclesiis editi (a) a Concilio Basileensi demum prohibiti fuerunt; profanæ item hilaritates in festis Sanctorum, quarum reliquias nostro quoque ævo cernimus in festis S. Martini, SS. trium Regum, & quo die in pagis SS. Ecclesiæ Patronorum anniversaria recolitur memoria; antecineralium denique dierum licentia, quæ haud alio sane ex fonte manare potuit, quam ex imminentis horrore Quadragesimalis Jejunii. An vero timere olim atque existimare poterant Apostoli, & Apostolorum Discipuli, futurum aliquando, ut adeo sancta præparatio ad paschalem solennitatem in occasionem licentiæ atque intemperantiæ vertatur?

Nunquam non sancti ac genuini Christiani contra hujusmodi abusus pugnandum sibi existimarunt. Constant sancti Caroli Borromæi quanta contentio fuerit in iis extirpandis, quantoque is labore, & constantia spiritum antiquæ disciplinæ revocare ad usum allaborarit, vel in minutissimis Religionis nostræ partibus. Neque alio collimant Tridentinum Oecumenicum, & complura Provincialia Concilia; eundemque finem sibi propositum habent tot ac tantæ Reformationes Religiosorum Ordinum, abhinc sæculo uno pauloque ulterius susceptæ, ut videlicet ad primævam institutionem suam revocentur. Profecto ferre sancta Theresia non poterat, ut discretionis prætextu quorundam zelo modus poneretur, Sanctos primorum temporum imitari cupientium. Hoc discretionis genere depravari mundum sancta, & sapiens Virgo querebatur, plane, & asseveranter affirmans, homines ævi sui, quod nostro tantum non confine ac proxime superius erat, capaces esse virtutum omnium, quæ primitivam Ecclesiam illustrarunt; eamque in rem S. Petri de Alcantara vitam refert, cujus ipsamet oculata erat testis.

CAPUT XIII.

Usus præsentis Dissertationis.

Tantis authoritatibus ac testimoniis innixus operæ pretium facturum me putavi, si, quales fuerint, omninoque esse debeant Christianorum mores, universo terrarum orbi ante oculos ponerem. Nihil in toto hoc opere a me commemoratum fuit, quod Viris litteratis non perspectum, atque ex libris, quos ipsi manibus terunt, acceptum sit; imo multa a me prætermissa fuisse iidem facile animadvertent. Sunt tamen inter hactenus descripta complura facta, quæ cæteræ Fidelium multitudini haud satis cognita, ad eorum tamen ædificationem non parum momenti habent. Intelligent isti nimirum, nequa-

(a) *Conc. Basil. sess.* 21. *c.* 11. *Synod. Wigornensis an.* 1240. *cap. IV.*

quaquam Religionem Christianam ad meras consuetudines ac veluti formulas quasdam exterioris cultus arctandam esse, neque tam paucis, quam ipsorum pars magna crediderit, exercitationibus atque officiis includendam. Hujusmodi sunt, precatiunculas aliquot mane ac vespere recitare, Dominicis diebus Sacro uni privato interesse, quadragesimam non nisi ciborum discrimine a reliquis anni partibus distinguere, & ab ejusdem observatione levibus de causis sese eximere, ad divina Sacramenta perraro ac sensu pietatis tam exiguo accedere, ut ob eam causam solennissima per annum festa præ aliis diebus ingrata molestaque accidant. De reliquo mundanis crucis aut sensuum corporumque oblectamentis ita vacare, ut nemo Gentilium supra. Non est ista profecto Christianorum, quales hucusque adumbrare conatus sum, genuina forma atque imago.

Fortasse etiam nonnulli eorum, qui Reformationis obtentu ultro sese a nobis segregarunt, ista ex dissertatione agnoscent, male fundatum esse schisma suum, secessionemque a reliquo corpore, neque Primitivam Ecclesiam ejusmodi esse, qualem ipsi sibi animo effingunt; longeque alia ac diversa esse Catholicorum dogmata ac principia ab iis, quæ passim ipsis proponi solent.

Denique sperare ausim, morum adeo sanctorum contemplatione nonnihil commotum iri quorundam animos, qui temere nimirum ac cœco impetu veram Religionem cum falsis confundunt, quas aut error aut pseudopolitia mundo invexit. Si quis horum ex numero animum advertere ac reflectere cogitationem volet ad incredibilem morum commutationem, quam in universis nationibus Evangelica Lex effecit, atque reputare secum, quantum nullo non tempore veri probique Christiani a quibuscunque Infidelibus diversi, quantum iisdem superiores fuerint, næ is plane perspiciet, solidioribus opinione sua fundamentis Christianam fidem inniti, omninoque credi oportere, non nisi maximorum efficacia prodigiorum eandem in orbe constabilitam fuisse; nam sine miraculis tantam rerum conversionem accidisse, id enim vero miraculum esset cæteris omnibus magis incredibile. Prodigiorum ejusmodi tanta vis ac splendor erat, ut non nisi multo post in dubium ac controversiam vocare illa nonnullis in mentem venerit. Ut enim de iis duntaxat loquar, quæ nobis luculenter constant, haud multo amplius quam duobus abhinc sæculis Itali quidam fuere, ingenio illi quidem præstantes, & indolis experrectæ, verum in materia Religionis admodum peregrini, qui offensi nonnullis abusibus, qui in eorum oculos incurrebant, hanc credendi opinandique licentiam introduxernnt. Isti enimvero antiquorum ex Græcis Latinisque Scriptorum elegantia capti, legibusque politicis, quas ex illis hauserant, ac vivendi ratione usque adeo deliniti ac prope fascinati tenebantur, ut præter illa vetera nihil aliud propemodum sine stomacho tædioque legerent, admitterentque; idque eo ab illis factum est libentius, quod veterum illa præcepta cum depravata mortalium natura moribusque multitudinis melius utique, & commodius, quam Christianorum leges conciliari posse intelligerent.

Hoc ipsum malum recentiores hæreses confirmarunt, latiusque propagarunt. Illæ de fundamentis nostræ fidei tam frequentes controversiæ fidem ipsam in multorum animis labefactarunt, aut plane everterunt; qui tamen ob rationes nescio quas terrenas Catholicos se extima specie profiteri non desierunt. Adhæc inter heterodoxos longe major est illorum numerus, qui nulla amplius authoritate coerciti ex pravis suis principiis extrema omnia concluserunt, eoque demum delapsi sunt, vix ut ipsi sciant, quid credere tandem oporteat, sed Religionem haud aliter quam Politices partem aliquam considerent. Tam pestilens, & infelix doctrina nullo negotio fundi latius cœpit. Juniores enim natu homines ubi inaudierunt vel a parentibus, vel ab aliis, quos ipsi cordatos, & sapientes existimant, Religionem Catholicam impie ac petulanter traduci, & vero etiam serio asseveranterque proscindi tanquam nullis nixam solidis fundamentis, continuo laxioribus illis placitis adhæserunt, utpote quæ pravis affectionibus suis magis congruere, & favere intelligerent. Neque nullum ea in re locum vanitas, & arrogantia habent; hac enim ratione supra rude vulgus eminere se le-

vissimi homines putant, & acutius cernere, quam boni illi nimiumque simplices ac creduli superiorum sæculorum Christiani fecerint. Adde nihil otiosis inertibusque animis accidere commodius posse, quam ut abjecta procul cura rem tanti momenti, qualis Religio est, altius investigandi, in dubiis de Religione persistant, aut temere de iisdem nulloque præmisso maturo examine sententiam ferant. Verum dicant isti, per me licet, sentiantque, quod volent; contraria tamen exempla factaque toto hoc libro in medium allata inconcussa semper stabunt, & verum usque manebit, quod sæpe Origenes in libris contra Celsum inculcat, mundum universum a Jesu Christo reformatum, ac virtutibus ad ea usque tempora penitus ignotis cumulatum fuisse.

Utriusque Partis Conclusio.

HAbes pie, & erudite Lector in geminam Dissertationem contracta, quæ partim de Israelitarum, partim de Christianorum moribus vitæque interiori Oeconomia dicenda existimavi; habes etiam exteriorem disciplinam, ac veluti vultum ipsum Fidelium Veteris, & Novi Testamenti suis coloribus adumbratum. Ex prima quidem Dissertatione discere licebit optimum usum bonorum temporalium, honestissimamque vitam, & rationem maxime accommodatam vitæ in hoc mundo recte traducendæ. In secunda vero Dissertatione ostendendam sumpsi eorum vitam, quorum conversatio in cœlis est, & qui, cum adhuc in carne vivant, nequaquam tamen secundum carnem vivunt, sed spiritu ambulant. Vita hęc tota spiritualis & supra corruptæ naturæ leges assurgens, planeque cœlestis proprius effectus, ac veluti genuinus partus est gratiæ JEsu Christi. Ego me felicem sane reputaverim, si opusculi hujus lectione permoti Christianorum nonnulli aliquando tandem incipiant veram sinceramque animis ideam effingere vitæ illius, quæ & sanæ rationi, & perfectioni Christianæ consentanea sit: sique ad eam moribus opereque ipso exprimendam studia sua converterint. Hunc ego laboris fructum ubi consecutus fuero, æquo sane animo feram cum diversa hominum de tota hac lucubratione judicia, tum defectus, quos in eadem deprehendi fortasse contigerit.

ONUPHRII PANVINII VERONENSIS

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

INTERPRETATIO

Vocum Ecclesiasticarum, quæ obscura, vel barbara videntur.

QUam passim in Historiis ecclesiasticis, & præsertim Romanorum Pontificum vitis, multæ voces barbaræ, insitatæ ex Græcis Latinæ redditæ, alienis aliquando a suo significatu sensibus, metaphorice acceptæ, & ideo minus cognitæ, insertæ sint: operæ pretium facere existimavi, si brevem earumdem interpretationem, & expositionem ex vetustissimis quibusdam scriptoribus construerem, quo omnia legentibus clariora, & apertiora se se offerentia, eorum in legendo assiduam curam, & diligentiam non remorentur: sunt autem ejusmodi.

OFFICIA SIVE MAGISTRATUS

- Domnus Papa.
  - Episcopus.
  - Cardinalis.
  - Archipresbyter.
  - Presbyter.
    - Pœnitentiarius major.
    - Pœnitentiarii minores.
  - Archidiaconus
  - Diaconus
    - Palatinus, vel Basilicarius
    - Regionarius
    - Stationarius
  - Pater Diaconiæ

Ar-

Archiſubdiaconus vel
Prior Subdiaconorum
Subdiaconus
Regionarius
Baſilicarius, ſive S. R. E.
Palatinus
Oblationarius
Stationarius
Manſionarius
Manſ. primus
Acolythus
Regionarius
Stationarius
Supulmentarius
Paracellarius
Primicerius ſcholæ cantorum
Schola cantorum
Chorus
Primus ſcholæ paraphoniſta
Secundus ſcholæ paraphoniſta
Tertius ſcholæ paraphoniſta
Quartus ſcholæ, qui ec.
Archiparaphoniſta
Vice Dominus
Major Domus
Veſtiarius
Cancellarius, alias Bibliothecarius
Camerarius
Primicerius S. R. E.
Secundicerius S. R. E.
Arcarius
Saccellarius, alias Saccularius
Protoſcriniarius
Scriniarii XII.
Primicerius defenſorum
Defenſores
Defenſores Regionarii
Advocatores
Adminiculator
Primicerius Judicum
Judices
Primicerius Notariorum
Protonotarii
Notarii regionarii
Nomenclator
Rogo.
Sacræ Ædes
Et earum partes.
Eccleſia
Titulus
Paræcia
Oratorium
Martyrium
Diaconia
Xenodochium
Monaſterium
Gremium Baſilicæ
Abſis
Confeſſio
Ambo
Secretarium.
Ælium Sacrarum ornatus.
Patenæ alias Patinæ
Calices miniſteriales majores, minores
Amulæ, alias amæ
Oblatorium
Pugillares
Scyphi
Metrete
Hydriæ
Thymiamaterium
Pelvis ad Baptiſmum
Corona alias Pharum cantharum
Cum delfinis totidem
Ceroſtota
Phara canthara cum Delphius
Totidem, in quibs ardebat oleum.
Canthara Ceroſtota
Lucerna cum Lychnachis
Gemelliones.
Veſtium Genera
Anaboladium, *alias*
Anabolagium
Alba
Cingulum
Orarium
Mappula
Colobium
Dalmatica
Planeta alias Caſula
Pallium
Mitra
Offertorium
Phanon
Naccus.

OFFICIA SIVE MAGISTRATUS

Domnus pro Dominus per Syncopen dicitur, qua appellatione olim Pontificem Romanum, mox, & alios epiſcopos venerationis cauſa honorabant. Pontificem enim Domnum apoſtolicum vocabant : nam dominus non reverentiæ vocabulum eſſe exiſtimabant. *Papa* Græca vox, quæ Latine dicitur *papus*, avum ſigni-

gnificat, ideft, patrem patris, Aufonius ad nepotem.

.... Papos aviasque trementes,
Ante ferunt patribus feri nova cura nepotes.

Apud Bithynios cognomen Jovis erat, qui dicebatur Juppiter papas, ideft, pater. Hanc vocem omnes antiqui Chriftianorum epifcopi pro patre, five majore patre frequentarunt (avus enim aliquando major pater dicitur) & præfertim magnarum, & infignum urbium, ut Romæ, Carthaginis, Alexandriæ Hierofolymorum, & fimilium. Cornelius enim Epifcopus Romanus, presbyteri ejufdem ecclefiæ, & alii multi in epiftolis fuis Cyprianum Carthaginienfem Epifcopum papam, & papatem vocant. Dionyfius Alexandrinus Epifcopus Heraclam prædeceſforem fuum, in epiftola ad Philemonem presbyterum Romanum, beatum papam nominat. Similiter Athanafius, Theophilus, & Cyrillus Epifcopi Alexandrini papæ dicuntur. Sidonius in epiftolis fuis paffim omnes Galliarum epifcopos, ad quos fcribit, papas appellat. Hæc vox, poft Gregorii primi tempora, reliquis epifcopis adempta, foli Romano pontifici attributa eft. Qui & Apoftolicus eft aliquando dictus, ob præcipue apoftolicæ fedis, cui præeft, reverentiam.

Epifcopus, magiftratus apud veteres nomen fuit, cujus munus erat panis, & cæterarum rerum, quæ ad cibum pertinent, curam habere: ut colligi poteft ex verbis Arcadii Jurifconfulti Dig. lib. Tit. 50. de muneribus, & honoribus. Quæ vox de operatione deducta eft: Nam vel ab ἐπισκοπεῖν venit, quod fignificat fpeculari, confiderare, vel ab ἐπισκοπεύω quod eft vifito, five fpeculor. Quod nomen ad Chriftianorum pontifices translatum eft, & qui epifcopi vel vifitatores, feu infpectores, obfervatores & fpeculatores dicti funt: quod illorum præcipue officium fit, gregis fibi commiffi curam gerere, & mores explorare. Hac voce ufus eft Cicero lib. VII. epiftol. ad Atticum: „ Vult Pompejus me effe, quem tota hæc Campania, & maritima ora habebat, epifcopum, ad quem delectus, & negotii fumma deferatur.

Cardinalis vox varie accipitur. Viruvius lib. IV. cap. VI. „ Fores ita compingantur (inquit) ut fæpe cardinales fint ex altitudine luminis totius duodecima parte. Et lib. X. cap. XX. ait: Eæ concludantur fuperne inter cardinatis tradibus, fupra trabes collocentur capreoli Cardinibus alius in alium conclufi, in altitudine excitati pedes IX. & cap. XXI. ejufdem libri: Erigebantur, & arrectaria duo compacta pedum XXXV. craffitudine fequipedali, latitudine pedum II. conjuncta capitibus, tranfverfario cardinato tigno, & altero mediano inter duos fcapos cardinato, & laminis ferreis religato. Hic Vitruvius fcapis cardinatis fignificat cufpidibus, & dolatis linguiculis compactos, vel incorporatos, ita ut apud Vitruvium idem fit cardinalis, quod annexus, vel infertus, vel compactus. Hæc vox in eandem fere fententiam frequens eft in regiftro D. Gregorii, & epiftolis Pontificum Romanorum decretalibus. Quibus is cardinalis dicitur presbyter, vel diaconus, qui certe alicui ecclefiæ, vel diaconiæ proprius, & ad certi alicujus tituli, five ecclefiæ miniſterium ordinatus, infertus, annexus, & (ut ipfe loquitur) incardinatus eft. Nam S. Gregorio idem eft, Cardinalem conftituere in aliquo titulo, vel ecclefia, quod incardinere alicui Ecclefiæ, vel in aliqua Ecclefia cardinare. Idem etiam de epifcopis dicit, quod de fua ecclefia ad aliam neceffitatis caufa translatos, epifcopos quidem ecclefiæ fuæ; illius vero ad quam translati funt, facerdotes five pontifices cardinales vocat; quæ vox non folum Romanæ, fed omnibus aliis ecclefiis per provincias communis eft. At quoniam epifcopus, presbyter, vel diaconus ita cardinatus, & conftitutus principem locum in ea ecclefia, cui incardinatus erat, tenebat: hinc factum eft, ut cardinalis vocabulum, pro præcipuo, five principali acciperetur, in quam fignificationem Servius fuper I. Æneidos Ventos quatuor cardinales principales interpretatur. Et D. Cyprianus libellum de cardinalibus, ideft de principalibus Chrifti operibus fcripfit, & vox cardinalis in antiquis pontificum decretis, & præfertim S. Sylveftri in concilio Romano reperitur. Ifque dicitur presbyter, vel diaconus cardinalis alicujus tituli, vel diaconiæ, qui ejufdem præcipuam cu-

curam gerit, omnesque alios earumdem ecclesiarum ministros gubernat, & moderatur. Hoc porro nomen omnibus ecclesiis commune, multis adhuc hæsit, ut Ravennati, Pisanæ, Mediolanensi, Compostellanæ, & aliis, sed potissimum Romanæ: quia sicut Romanus pontifex omnium episcoporum Princeps est, ita & sacerdotes Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum clericos dignitate, & honore antecellunt: hinc cardinales hodie tantum appellari videntur, sed hac de re latius in libro, quem de origine cardinalatus scripsi, disputavi.

Presbyter Græce, Latine senior dicitur. Augustinus: „ Etiam grandioris ætatis, & (sicut scriptura loquitur) plenum dierum posse dici seniorem, hoc est presbyterum, quæ vox majoribus natu, & communi cum episcopo concilio, ecclesiam gubernantibus, sacraque misteria tractantibus attributa est, ut presbyteri, idest, seniores vocarentur. Hinc Tertullianus in Apologetico cap. XXXIX. Nobis præsident probati quinque seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Quorum primus archipresbyter dicitur, id est, primus presbyter, quemadmodum Archidiaconus, & Archisubdiaconus diaconorum, & subdiaconorum primi, & principes. Ex presbyteris porro Romanæ ecclesiæ quidam super pænitentes constituti sunt a Simplicio papa, ut his verbis docet Bibliothecarius. Hic constituit ad sanctos Petrum, Paulum, & Laurentium hebdomadas, ut presbyteri ibidem manerent propter pænitentes, & baptismum; regionem tertiam ad Sanctum Laurentium, primam ad Sanctum Paulum, & sextam, vel septimam ad Sanctum Petrum. Hi presbyteri pænitentium vocati sunt, qui eorum exemologeses audiebant. Quorum primus major penitentiarius dictus hodie est Cardinalis, reliqui minores pænitentiarii, non Cardinales, vocati.

Diaconus Græce, minister Latine dicitur. Apostoli Verbi Dei prædicationi vacantes, quum inopia laborantium sublevationi attendere nequirent, ministros septem quos diaconos appellavere, elegerunt. Quibus pauperum, & viduarum curam (ut Lucas Act. 6. tradit) demandarunt. Apostolorum exemplo Evaristus Papa primus in Romana ecclesia septem diaconos ordinavit, qui, quum presbyteri docendis populis, & sacramentis administrandis attenderent, ipsi, viduis, pupillis, pauperibus, & egenis, ex ecclesiæ thesauris, & oblationibus fidelium, subvenirent. Hi quum ante præscriptum sibi, & certum locum non haberent, sed eorum munia in promiscuo essent, primus urbis regiones singulis divisit Fabrianus papa, certaque loca assignavit, quæ diaconiæ, & pauperum hospitalia dicta sunt; quibus ii præerant, & in suis quisque regionibus fidelium pauperum necessitatibus, ex ecclesię pecunia, & Christianorum eleemosynis a subdiaconis collectis, atque ab ipsis custoditis, quantum in se esset, suppeditabant. Ex ipsis autem primus, vel antiquior, cum episcopi, cleri, populique consensu electus Archidiaconus, vel Diaconus Cardinalis, idest, principalis vocabatur, quemadmodum presbyterorum primus archipresbyter. Unus igitur tantum vetustissimis temporibus erat diaconus cardinalis, ut ex actionibus synodi Romanæ sub S. Silvestro papa celebratæ liquet, qui & archidiaconus, & diaconus circumlustrator, & perscrutator vocabatur. Longo tempore post diaconorum in ecclesia Romana numerus auctus est, & ex septem quatuordecim primum, deinde XIX. facti, qui omnes ut ab aliis diaconis non cardinalibus different, quorum multi in urbe erant, Diaconi cardinales vocati sunt, id est, principales, qui præcipue hospitalium, & diaconiarum ministri erant. Ex his porro XVIII. quatuordecim regionarii vocebantur, quod singularum regionum, quæ XIV. erant, diaconiis præessent: quattuor palatini, vel basilicarii dicti, quod in palatio, & basilica Lateranensi papæ ministrarent. Diaconi vero Stationarii nomen perpetuum non erant, sed ad tempus. Ita enim appellabatur is, qui ea vice pontifici ad stationem aliquam profecto ministraret. Antiquitus erant diaconi testimoniales, qui episcopum prædicantem custodirent, qui usus jamdiu exolevit. De diaconis, & subdiaconis ita scribit Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii. Prudentissimus pater-familias Christi Gregorius singulis diaconiis, vel xenodochiis, viros idoneos deputavit, quos, ut securius, imo segacius in opere pietatis, & misericordiæ la-

laborarent, privilegiis muniendos esse decrevit: Quia (inquit) te virum religiosum, & mensis pauperum exhibendis idoneum novimus, ideo te diaconiæ eligimus præponendum, & ne qua tibi nascatur ex hac administratione dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum, constituentes, ut de hoc, quod ad mensas pauperum vel diaconiæ exhibitionem percepisti, sive subinde perceperis erogandum, nulli unquam hominum cogaris ponere rationem. Hos ego puto in libello Romani ordinis vocari patres diaconiæ.

Subdiaconus, quamquam ordinis Subdiaconorum nulla in sacris litteris mentio extet: vetustissimus tamen is in Ecclesia est & sub ipsa Apostolorum tempora institutus, de quo Ignatius in Epistola ad Anthiochenos meminit, qui salutat presbyteros, Diaconum, & Subdiaconum. Hic antiquitus sacer ordo non erat, nec certo deputatus officio, nisi tantum clericali, vel divino: tunc enim in Missa nec Evangelium, nec epistola cantabatur. Adjunctus autem fuit Diaconorum adjutorio, quibus subministrabat. Fabianus Papa Romæ septem Subdiaconos primus constituit, qui septem notariis a Clemente Papa institutis imminerent, ut res gestas martyrum in integrum colligerent: & cum septem Diaconi, ut ministrarent pauperibus Christianis, totidemque notarii, ut martyrum facta describerent, per urbis regines sparsi essent, iis ipsi subdiaconi juncti fuerunt. Ideo etiam ipsi subdiaconi regionarii vocati sunt, ut regionum, primæ, tertiæ, quartæ, & præsertim postquam alii septem subdiaconi, qui, quod Missarum celebrationi in basilica Lateranensi per vices suas deservirent, S.R.E. sive basilicarii subdiaconi sunt vocati, instituti fuerunt. Nam Ecclesiæ majestate aucta, subdiaconi ad Epistolæ lectionem, & ministerium altaris acciti, & sacri ordinis participes facti sunt: & propterea regionariis, qui per regiones diebus stationum Pontifici ministrabant celebranti, septem alii additi, & ad quartumdecimum numerum aucti. Joannis subdiaconi regionarii regionis primæ mentio est apud Bibliothecarium in vita Sancti Silvestri papæ: Hi porro S.R.E. subdiaconi basilicarii, quod Pontifici certis officiis assisterent, & servirent, ut in camera, in mensa, & in processione Crucem ante ipsum deferrent, Palatini etiam subdiaconi dicti sunt. His in schola cantorum VII. alii additi, eorumque numerus unus, & viginti factus. Quorum primus Archisubdiaconus, primus, vel prior subdiaconorum in libris Romani ordinis nuncupatur. Ex his porro subdiaconis is oblationarius dicebatur, ad cujus per vices ministerium pertinebat suscipere oblationes, Pontifici Missam celebranti factas, & eas archidiacono præsentare. Stationarius vero erat is, qui hebdomada sua epistolam in stationibus, Papa Missam celebrante, cantabat.

Mansionarius, dictus est custos, & conservator ædium ecclesiasticarum, templorum & altarium: item familiaris, & domesticus, a mansione. Multi ex his erant in Ecclesia Romana, quorum major, primus mansionarius vocebatur. Unius horum, & ejusdem muneris meminit D. Gregorius in libris Dialogorum. Hodie in multis ecclesiis extant, curamque psalmodiæ, & altarium habent.

Acolytus, a Græcis is dictus est, qui nullis minis ab instituto poterat revocari. Quare Stoici Acolythi dicti sunt, qui impium putabant mutare sententiam. A christianis hoc nomine dicti sunt ii sacrorum ministri, qui, quum ipsi sacris non operarentur, ab illis tamen non excludebantur. Dicti Acolythi, quasi non prohibiti, a privativa particula α, κωλύω, quod significat prohibeo. Hinc eorum ministerium diversum fuit a diaconorum, & Subdiaconorum, qui sacris communicabant, munere. Ministrabant porro episcopis, & ecclesiis, in his, quæ ad sacra facienda pertinent, ut in parandis mappis, & in altaribus, luminibusque accendendis, & in ferendis iis, quibus in sacris faciendis usus erat. Fuerunt multi in urbe Acolyti, Palatini, vel S. R. E., qui Papæ ministrabant in Palatio, & Basilica Lateranensi: Regionarii, qui in regionibus diaconis serviebant: Stationarii, qui in stationibus Papæ celebranti præsto erant.

Subpulmentarius. Quid ejusmodi voce veteres significare voluerint, haud certo scio. Nisi is subpulmentarius fuerit, qui pauperibus ea eleemosynarum genera a palatio Pontificis distribuebat; quæ vel mensæ superfuerant, vel ad cibum pertinebant.

Quod

Quod innuere videtur Bibliothecarius in vita Hadriani Papæ.

Is etiam Paracellarius dicitur.

Primicerius Scholæ Cantorum. Quamquam tempore S. Silvestri Papæ, & postea plures, & magnæ fuerunt in Urbe basilicæ conditæ, non tamen singulæ Clericos, vel Monachos, speciatim habebant, qui in illis sacra officia celebrarent. Presbyteri enim titulis; diaconi diaconis præfecti, suo quisque tantum muneri vacabant: illi sacris administrandis: hi pauperum subventioni procurandæ. Psalmodia vero quotidiana in omnibus Ecclesiis, tunc in usu non erant, nam singulis Urbis Basilicis redirus adhuc assignati non erant, quibus possent singula collegia canentium nutrire. Ideoque schola cantorum institura fuit, quæ Urbi communis erat, & ad stationes, processiones, singulasque diebus eorumdem festis ecclesias urbis conveniebat, ibique sacra officia, & Missarum solennia pontifice, vel presbytero celebrante, decantabat. Hæc schola communibus sumptibus vivebat, habebatque magnæ in urbe dignitatis, & existimationis præfectum, qui Primicerius, alias prior Scholæ Cantorum vocabatur, cujus opera optimi juvenes selecti in cantu, lectione sacrorum librorum, & optimis moribus instituebantur. Hinc origo Primiceriorum per alias orbis terrarum Ecclesias cathedrales manavit, de quorum officio, & dignitate xxv. distinct. mentio est. Hanc scholam eam esse opinor, cujus initium scribit Bibliothecarius in vita Hilarii Papæ sic: Hic constituit in urbe ministrales (idest clericos) qui circumirent constitutas stationes, id est, ministrando sacris, & psallendo. Quamquam Joannes Diaconus libro II. de vita S. Gregorii Papæ ipsam hanc scholam S. Gregorium constituisse scribit: quod potius de ejus quadam reformatione, sive restitutione intelligendum esse opinor, quam de prima institutione, quæ longe ante fuisse necesse est. Sic autem scribit: scholam cantorum, quæ hactenus in iisdem institutionibus in Sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, scilicet, alterum sub gradibus Ecclesiæ S. Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis patriarchii domibus fabricavit, ubi usque hodie lectus ejus, quo recumbens modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico antiphonario reservantur. De hac schola cantorum hujusmodi statutum reperi in libro pervetusto Romani ordinis. Primum, in quacumque schola reperti pueri bene psallentes tollanrur, inde nutriantur in schola cantorum, & postea fiant cubicularii. Si autem nobilium pueri fuerint, statim in cubiculo nutriantur, & hanc accipiant potestatem ab archidiacono, ut liceat eis super linteum villosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. Deinde, sicut sacramentorum codex continet, quando, & ubi fuerint, usque in subdiaconatus officium ordinentur. Diaconi vero, atque presbyteri numquam nisi in publica ordinatione. Schola porro cantorum in plures choros dividebatur. Chorus autem (auctore Isidoro) proprie est multitudo canentium, inde dictus, quod initio in modum coronæ circum aras starent, & ita cantores psallerent. In schola cantorum, post Primicerium, quatuor majores reliquis erant, primus, secundus, tertius, & quartus scholæ vocati. Quorum tres primi paraphonistæ, quartus vero archiparaphonista dicebatur. Cujus officium erat pontifici de cantoribus, quum quid opus erat, nunciare. Ita in libello Romani ordinis.

Vicedomini, qui & Majores Domus, a Pontifice Romano ex ordine cleri, & aliquando episcopali constituebantur: viri prudentes, & gerendarum peritia insignes, quibus episcopi, vel Patriarchii Lateranensis cura, & administratio committebatur, in gubernanda domo, hospitibus suscipiendis, & domesticorum Pontificis causis cognoscendis, ut liquet ex epistola B. Gregorii ad Antonium diaconum, & Clementiam Patriciam. Bibliothecarius in vita Vigilii Papæ: Hic in Sicilia agens remisit Romam Ampliatum presbyterum, & Vicedominum suum, & Valentium episcopum S. Ruffinæ, ad custodiendum Lateranum, & gubernandum clerum. Hinc in palatio Lateranensi locus erat Vicedominium vocatum, de quo idem Bibliothecarius in vita Stephani III. Qui, & Vestiarii ibidem mentionem facit, qui Pontificis vestes Laterani custodiebat.

Cancellarius, alias Bibliothecarius. Is, qui Romanum Pontificem in chartis ecclesiasticis juvabat, & Orientis, Occidentisque Synodicis consultationibus (ut D: Hieronymus in epistola ad Ageruchiam de monogamia tradit) respondebat; quem antiqui scribam, a libellis; ab epistolis, epistolarum magistrum: nostro tempore secretarium vocant; Cancellarius in Ecclesia Romana appellabatur. Quam vocem a Flavio Vopisco in Carini vita primum usurpatam fuisse observavi: Unum (inquit) ex Cancellariis suis Urbi præfectum fecit. Hi quum a secretis, & libellis principum essent, scribendis quoque, ac custodiendis publicis rebus vacabant, & a cancellis, intra quos, demandata sibi munera obeuntes, permanebant, appellationem habuere. Quam rem in epistolis Cassiodorus subinde explicat, qui hoc officium cancellorum decus ita nominat. „Hoc igitur laudabile præjudicium, sententia gratiosa, malitia domestica a XII. indictione cancellorum tibi decus attribuit, ut consistorii nostri secreta fideli integritate custodias; per te præsentandus accedat, per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat, jussa nostra sine studiis venalitatis expedias, omniaque sic geras, ut nostram possis commendare justitiam. Respice, quo nomine nuncuperis: Latere non potest quod inter cancellos ageris. At cancelli ligneæ, aut ferreæ crates sunt, inter se modicis intervallis in quincuncem positæ, quibuscum aer, aspectusque admittatur, prohibetur accessus. His scænæ funestæ, judicum tribunalia, scribarumque subsellia (a quibus cancellarii dicti) muniri solent. Chirius Fortunatianus antiquus scriptor, principum antiquorum, & nobilium (ut nos hodie appellamus secretarios) olim cancellarios dictos refert. Omnium igitur scribarum, notariorum, & scriniariorum S.R.E. princeps cancellarius vocabatur: quod munus diu in ecclesia amplissimum fuit, & non nisi summæ auctoritatis presbyteris, & sæpissime episcopis concedi solitum: qui quod bibliothecarum etiam curam haberet, Bibliothecarius etiam dicebatur. Hic epistolas Romani pontificis nomine dictabat, synodicis episcoporum consultationibus respondebat, sacerdotum Romanorum decreta scribebat. A Cancellario dictus Vicecancellarius, qui Cancellarii vices gerit: de cujus officio, & dignitate librum singularem scripsi.

Camerarius a camera, vox est recens inventa. Archidiaconi enim S.R.E. officio Gregorii VII. Papæ tempore extincto, in ejus locum successit Camerarius: qui quod pecuniarum ecclesiasticarum, quæ in cameris conservabantur, curam gereret, ita appellatus est. Est autem proprie camera testudo, seu fornix, & ipsa pars superior: Item tectum devexum, & recurvum, a forma testudinis, quasi cameræ, idest, curvæ, ut inquit Servius super III. Georgicorum: Cameris hirtæ sub cornibus aures. Camera etiam dicitur integre pars Ædificii, parietes scilicet ipsi cum fornice.

Primicerius a cereo fit (ut auctores sunt Divus Hieronymus, & Cassiodorus in epistolis) quoniam & Grece [illegible] dicitur, quemadmodum & secundicerius, quæ officia apud Ammianum Marcellinum inveniuntur, ut Primicerius protectorum, notariorum, domesticorum, & similium: idem autem sonat, quod primus. Cæterum inter VII. antiquos Romanæ Ecclesiæ officiales, primi, & nobilissimi erant Primicerius, & secundicerius S.R.E. ab officiis nomina sortiti. Hi papæ continuo assistebant, quorum loca hodie tenent duo diaconi Cardinales primi, judicesque rerum Palatinarum erant: a dextra lævaque pontificem in omnibus processionibus comitabantur, sine quorum consilio nihil, quod magni momenti esset, pontifex transigebat: inde papæ Consiliarii dicti. Octavam super episcopos in matutinis festorum solennium lectionem legebant.

Arcarius ab arca pecuniarum, quas colligebat, & conservabat, dictus est, qui tributorum, & vectigalium exactioni præerat.

Sacellarius, alias saccularius, a sacello pecuniarum, quas erogabat, dictus. Is militibus stipendia, operariis, & familiaribus Pontificis salaria distribuebat, & sabbato scrutiniorum Eleemosynam dabat, Romano quoque clero, & populo presbyteria largiebatur. Hunc hodie Thesaurarius repræsentat. Cujus muneris Bibliothecarius frequenter in Pontificum vitis mentionem facit. Ductus autem est a sacco saccularius, vel a sacello, idest, parvo sacco sacella-

cellarius: quæ vox apud Augustinum extat in comment. Psalmorum: Ne amisso, (inquit) judicio pauperis in mala causa misericors, cujus si parcis sacello percutis cor. Eam autem pecuniarum summam, quam sacellarius, vel saccullarius distribuebat, Rogam appellabant: quæ vox sæpe in Bibliothecario legitur, & erogationem, munus, seu donativum, vel stipendium significat, ab erogando dicta.

Protoscriniarius, is scriniariis præerat. Scriniarius porro a scrinio dictus est, quod est arca, qua servantur pretiosiora, & secretiora, ut scriptiones. XII. porro in Romana ecclesia erant Scriniarii, qui scrinia publica scripturarum S.R.E. curabant; Epistolas a Cancellario, & protoscriniario dictatas scribebant, instrumenta, donationes, venditiones, & reliqua ejusmodi conficiebant. Horum munus cum notariatu plerumque conjunctum erat, ut infra dicam.

Primicerius Defensorum. Gregorius (ut auctor est Joannes Diaconus) remotis a suo cubiculo sæcularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios, familiaresque delegit, nemo laicorum quodlibet palatii ministerium, vel ecclesiasticum patrimonium procurabat: sed omnia ecclesiastici juris munia ecclesiastici viri subibant: ob quod nonnulli procerum se sub obtentu religionis tonsurare cæperunt. Hæc consuetudo postea diu obtinuit in Romana ecclesia, ut omnia ecclesiastica ministeria tum privatim, tum publice per solos Clericos administrarentur: quare notarii, & defensores ex clericorum quoque ordine sumebantur: quod tamen etiam ante S.Gregorium observatum a religiosis pontificibus videtur, ut ex rescriptis Zosimi, & Gelasii pontificum apparet. Quod autem fuerit defensoris officium, breviter describitur a Pelagio in rescripto ad Antoniam Patriciam, quæ postulabat monachum fieri defensorem, in quo ostendit officium monachi, & defensoris convenire non posse. Illis enim (inquit) quies, oratio, labor manuum; & iis caussarum cognitio, contentiones, actus, publica litigia, & quæcumque, vel ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas possit ex decreto Urbani patet, procuratoris nomine intelligi quemlibet ecclesiasticarum rerum administratorem, ut, verbi gratia præpositum, œconomum, vicedominum, defensoris nomine advocatum, sive castaldum, & judicem. Hos advocatos, sive advocatores dictos puto. Quorum quidam defensores sine adjectione, quidam defensores regionarii dicti sunt, quod scilicet in singulis regionibus distributi essent. Quorum primus, vel princeps, primicerius defensorum dicebatur, magnæ in Ecclesia Romana existimationis.

Adminiculator ab adminiculando, idest adjuvando dictus. Septimus erat ex Romanæ ecclesiæ primis officialibus. Hic pro viduis, pupillis, & egenis afflictis, & captivis procurabat: quod munus hodie pauperum advocatos facit.

Primicerius Notariorum. Notarius a nota dictus, vel a notando, quod scribendo cuncta notaret. Clemens Papa primus septem notarios, per toridem Urbis regiones instituit, ad res gestas martyrum diligenter scribendas. Quibus notariis septem subdiaconos ab se recens creatos imminere jussit Fabianus; ut accurate munus suum implerent. Quibus ne, pace ecclesiæ parta, & martyrio sublato, desides essent: Julius papa iniunxit ut notitia, quæ omnibus fidem faceret, per eos colligeretur, & ut omnium monumentorum in Ecclesia confectio, notariorum, & ipsius primicerii munus esset (ita enim ipsorum primus, quem aliquando cancellarii munus obiisse observavi, vocabatur) hæc autem, quo ad cautiones, instrumenta, donationes, commutationes, testamenta, colligationes, & manumissiones intelligi voluit. Hi autem notarii, dicti sunt regionarii: quia per septem regiones distincti muneri suo vacabant. Quorum usus diu mansit. Qui etiam inter cetera populo per Urbem (ut hodie cursores faciunt) denunciabant, quando papa Litanias, idest, processiones, vel supplicationes facere, aut ubi Missam celebrare, vel stationem indicere constituisset. Aucto deinde notariorum numero, qui ex septem illis primis fuerunt, notarii regionarii, vel protonotarii vocati sunt: reliqui notarii simpliciter. Notariis porro munus suum promiscue exercentibus additi sunt XII. Scriniarii, qui rebus ecclesiasticis scribendis tantum, quæ a cancellario, vel protoscriniario pontificis nomine dictabantur, vaca-

bant, ut bullæ, privilegia, actiones conciliorum, & similia. Frequenter tamen accidit, ut una persona duo hæc officia subiret, essetque scriniarius S. R. E., & notarius regionarius.

Primicerius Judicum. Multi in Urbe judices erant, qui de controversiis, & litibus populi Romani cognoscebant, quorum primus judicum primicerius vocabatur.

Nomenclator. Cujus in Romano ordine mentio est, a nomine calando, idest, vocando appellationem obtinuit, qui memoriter unumquemque vocare didicit, ut puta in foro reos, in convivio convivas, quo sensu in ordine Romano accipitur.

Sacræ Ædes, & earum partes

Ecclesiæ. Vetustissimus, ac ab ipsis Apostolorum temporibus mos in Religione nostra usitari cæptus est, ut Christiani homines, quocumque orbis terrarum loco essent, ad res sacras, quæ ad Christi fidem pertinebant, tractandas, & divina mysteria celebranda in unum certum locum convenire solerent. Cætus autem illos publicos plurium fidelium in unum congregatorum ecclesias, voce Græca, id est congregationes appellabant. Joannes epist. III. Ejicite eos (inquit) ex ecclesia, seu congregatione: & Paulus I. ad Corinth. XIIII. Sicut ubique in omni ecclesia doceo, & cap. IIII. Mulieres vestræ in Ecclesiis taceant. Conventus autem hos sacros celebrare, sic notare solebant apostoli: Convenire ad audiendum sermonem Dei: Convenire ad frangendum panem: Convenire in unum. Oportuit autem veteres Christianos in locis, & ædificiis certis convenire. Sed ea priscis ecclesiæ temporibus non ubique fuerunt ejusdem generis. Nam tum in templo Salomonis Hierosolymis, tum in synagogis publicis Judæorum, tum in Scholis, tum in privatis diversorum fidelium Ædibus prout Christianis initio commodius fuit, publicos conventus, ut ex actis Apostolorum constat, egerunt. Ceterum crescente religione Christiana, eaque per universum fere orbem terrarum sese diffundente, tum Romæ, tum per omnes provincias, ædificia aliquot publica, tenuia & exilia primum, deinde pace ecclesiis a Constantino Imperatore, sublatis impiis persecutionum edictis, data, magnifica, & variis ornamentis referta, extructa sunt, quæ a congregationibus, quas in illis publice Christiani frequentabant, Ecclesiæ vocatæ fuerunt, quum res continens appellationem a re contenta suscepisset. Dicebantur etiam Dominica, sive Basilicæ, & Templa Judaico, & gentili more, quod ad templorum, & basilicarum gentilium similitudinem ædificata essent. Vocabantur etiam Domus Dei, Domus orationis, oratoria, & martyria: quod in his, & Deus a fidelibus deprecaretur, & Martyrum memoria sacrosancte coleretur. Romæ quoque supradicta nomina, Tituli, paræciæ, & diaconiæ appellabantur, ut infra dicam. Hæc ædificia per singulas urbes plura, aut pauciora, tam intus, quam extra mœnia, secundum loci qualitatem magnifica, vel parva erant.

Tituli sunt sacræ ædes, templa, vel (ut hodie dicitur) Ecclesiæ, sive sacra loca in Dei, & Sanctorum memoriam erecta, & per Urbis regiones a Romanis pontificibus antiquitus distincta, in quibus animarum cura a presbyteris in eisdem commorantibus habebatur. Quibus qui præerant, presbyteri appellabantur Cardinales, id est, principales, similitudine a quattuor Ventis Cardinalibus, hoc est, ut ait Servius Grammaticus super Vergilium, principalibus deducta. Quum enim in unoquoque titulo plures essent clerici, qui sacramenta populis exhiberent, vel exhibentibus præsto essent, ut subdiaconi, diaconi, presbyteri: is, qui omnibus præerat, presbyter, a ceteris clericis illius tituli, vel a Romano pontifice creatus, dicebatur Cardinalis: quod omnibus dignior, principaliorve esset in eo titulo commorantium, cæterosque clericos regeret, vel gubernaret in titulo sibi commisso viventes. De quorum origine brevissime tractaturus, rem paulo altius repetam. Quum beatissimus apostolorum princeps, Petrus Catholicæ Romanæ ecclesiæ Pontifex primus sacerdotio in Orientalibus ecclesiis, præcipue Hierosolymis, & Antiochiæ rite instituto, in Urbem Romanam, ecclesiam fundaturus venisset, ex omnium fidelium multitudine, præcipuisque nostræ religionis cultoribus, viros quosdam seniores, bo-

bonum testimonium ab his, qui foris sunt; habentes, plenosque Spiritu Sancto, & sapientia, spectatæ fidei, & raræ probitatis, Hierosolymitanæ, ceterarumque ecclesiarum Orientalium more delegit, (hi cleri appellati sunt) quos per manuum impositionem, partim presbyteros, & partim diaconos consecravit; quorum opera Pontifex ipse, sive episcopus Romanus, in instruenda, crescente tunc, ecclesia, uteretur; quum ei tot millibus hominum, ad fidem Christi quotidie venientium, consulere non esset integrum. Porro autem presbyterorum, & diaconorum munera, ut pro se quisque suum officium & nosceret, & impigre faceret, dividere in primis conducibile visum fuit. Itaque summam rerum, animarum scilicet curandarum negotium, presbyteris commisit, ut sacramenta ecclesiastica plebi Dei administrante, orationi, & ministrationi verbi cum episcopo vacarent. Diaconis autem viduarum, pupillorum, & reliquorum pauperum fidelium subveniendorum curam demandavit, eisque injunxit, ut presbyteris quoque sacra facientibus præsto essent. Quorum omnium numerus, quum prius modicus, & incertus esset, ei modum statuere Cletus, & Evaristus Romani pontifices. Cletus enim (ut auctor est ex Damaso Biliothecarius) presbyteros ad certum numerum redegit. Evaristus vero apostolorum more ad septenarium numerum Diaconos in Ecclesia Romana auxit: quibus etiam injunxit, ut episcopum prædicantem, propter stylum veritatis, custodirent. Porro autem, ne presbyterorum administratio in promiscuo esset, idem Evaristus, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Romanus Pontifex fuit, circiter annum a Christo nato centesimum, titulos vel (ut nunc dicimus) paræcias in Urbe Roma ipsis presbyteris divisit, ut singuli a se invicem secreti, in sua Urbis regione, titulo, vel paræcia, confusionis tollendæ causa divina mysteria populum erudientes, sacramenta Dei omnibus ad se venientibus fidelibus, exhiberent, singulosque presbyteros in unoquoque titulo posuit. Sufficere enim tum visus est is numerus propter credentium paucitatem. Verum non longe post fidelium quotidie crescentium multitudine, permotus Hyginius Romanus pontifex, quum tot credentibus non sufficerent hi, plures in unoquoque titulo, cum clericos, tum presbyteros esse voluit. Hinc autem presbyterorum Cardinalium nomen manasse crediderim, ut is scilicet esset presbyter Cardinalis, id est, principalis, qui cæteris presbyteris ejusdem tituli (quos plures ab Hygino factos fuisse dixi, quum prius unus tantum per singulos titulos presbyter fuisset) præesset. Satis enim constat, aliquot annis post, ante etiam S. Sylvestri Papæ tempora, Cardinalis nomen in ecclesia Romana usitari cæptum fuisse: quod non nisi ex Hygini instituto oriri potuit, quum antea eo nomine uti opus non esset, quod non nisi unus per singulos titulos presbyter fuisset. Post Hygini tempora in presbyterorum Romanorum titulis nullam mutationem factam inveni, usque ad Dionysii papæ pontificatum. Nam sub annum Christi CCLX. Dionysius XXV. post Petrum Apostolum pontifex Romanus Evaristi exemplum sequutus, quum jam religio Christiana mirum in modum in Urbe crevisset, denuo titulos, vel paræcias in Urbe Romana, quum eas ampliasset, presbyteris divisit, ipsasque, quo quisque suis finibus, limitibusque contineretur, distribuit, pluribus per singulas, ut Hyginus fecerat, presbyteris constitutis: presbyterorum quoque ecclesiæ Romanæ curæ cæmiteria adjunxit: quæ, quum plura essent, ea inter presbyteros distribuit gubernanda, ut martyrum sepulturis consultum esset.

Verum non longe post circa annum Christi CCCV. Marcellus XXIX. post Petrum Apostolum Romanus Episcopus titulos Urbis Romæ, ab Evaristo antiquitus, & primo presbyteris datos, numero limitavit, decreto statuens XV. alias XXV. in Urbe Roma quasi diœceses esse ad Baptismatis commoditatem, eorumque opportunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant; quin ut etiam martyrum sepulchris consuleretur, ut auctor est ex Damaso Bibliothecarius. Titulos autem Romanos, sive paræcias, cessantibus persecutionibus, adauxere, presbyterosque plures in singulis constituere; Silvester, qui titulum Equitii; Marcus, qui titulum S. Marci; Julius, qui titulum S. Mariæ Transtyberim; Damasus, qui titulum Vestinæ fecerunt, & reli-

reliqui Pontifices Romani. Quum enim primo infinita gentilium multitudo, mox Urbs, & Italia omnis fidem Christi suscepisset, non sufficientibus XV. Titulis, nec his, qui in eis residebant, presbyteris, tum ob necessitatem, tum ad Urbis, & Romanæ ecclesiæ ornamentum, & majestatem, & Titulorum, & presbyterorum in unoquoque numerus auctus est: Factique sunt tituli XXVIII. quem numerum nunquam excessisse usque ad nostra tempora satis constat. Qui omnes, quum ecclesiæ essent, vel templa Divis dicata, nomen sortiti sunt, vel a Sanctis, quibus dedicati erant, ut S. Chrysogoni, S. Cæciliæ, S. Anastasiæ, S. Marci, & similium: Vel ab eis hominibus, qui ipsos erexerunt, ut Callisti, Damasi, Equitii, Pastoris, Vestinæ, Eudoxiæ, Lucinæ, Tigridæ, Pammachii, & similium. Porro autem XXVIII. Titulorum numerum circa Innocentii primi, vel Zosimi papæ tempora expletum fuisse multis conjecturis, & rationibus ductus crediderim. Neque enim facile post Zosimum papam inveniri potest, aliquem Romanorum pontificum titulum quendam novum addidisse, sed eos, vel mutasse, vel restituisse, aut tantum exornasse.

Paræcia, sive Parochia, idem est, quod titulus, scilicet sacra ædes, ubi animarum cura a presbyteris gereretur: qui parochi dicti sunt, idest, curati. Paræcia autem dicitur accolatus, sive accolarum conventus sacraque vicinia: nam παρὰ, juxta, οἶκος domus: ubi scilicet sunt domus contiguæ. Augustinus lib. XIV. de Civit. Dei, presbyter fuit quidam nomine Restitutus in paræcia Calamensis ecclesiæ. Et paræci sunt accolæ. Quare, qui sacram ædem aliquam accoluit, paræci dicti sunt, ejusdem scilicet fani consortes: Latine curia, & curiales, & curiones; dici possent. Qui parochiam vocant, eam vocem a parocho deducunt, ἀπὸ τοῦ παρέχειν hoc est, a præbendo. Erant enim parochi, qui legatis Romam publice venientibus, ceterisque alicujus dignitatis hospitibus salem, & ligna præparabant, ut exponit Acron super illud Horatii I. serm. satyra 5. *Tum Parochi, qui debent ligna, salemque*. Hi Latino Vocabulo copiarii dicti sunt, ut auctor est Porphirio: quod omnium rerum necessariam copiam regum, populorumque legatis suppeditabant. Nam quamvis Horatius loco jam citato salis tantum, & lignorum meminerit: tamen, ut ibidem animadvertit Acron, sub illarum specierum appellatione, omnia hospitibus necessaria voluit intelligi. A parocho Parochia dicitur, quibus singulis sacerdotes sui destinati sunt ad oblationem scilicet sacrosancti corporis, & sanguinis Christi, sub panis, & vini speciebus.

Diaconiæ a diaconis dictæ sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ oratoria, & sacella adjuncta habebant, in quibus a patre diaconiæ, sive diacono egenis necessaria subministrabantur. Nam diaconi inopia laborantium viduarum, & pupillorum ministri erant, hisque domibus hospitalibus præerant. Antiquitus in Romana ecclesia per singulas Urbis regiones diaconi distincti erant, diaconique regionarii vel talis, & talis regionis appellabantur. Post eorum præcipuo usu exolescente, & hospitalibus domibus ipsorum negligentia dirutis, ipsorum sacella, vel ædiculæ superfuerunt, quæ diaconiæ nomen retinuerunt: a quibus diaconi Cardinales Urbis Romæ postea denominationem habuerunt, sic Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ, & Damiani, vel S. Theodori.

Xenodochium idem est, quod domus publica hospitalis, qua peregrini hospites, & egeni hospitaliter recipiuntur. Hieronymus: Xenodochium in portu Romano situm totus pariter mundus audivit. Is qui præerat, Xenodochus dicebatur.

Monasteria a solitudine dicta, quæ olim in locis abditis, & ab hominum commercio procul remotis condi solebant his hominum actibus alendis, qui etiam a solitudine monachi dicti sunt, ubi contemplationi vacantes soli commorabantur.

Premium Basilicæ vocat Bibliothecarius, medianam basilicæ partem, quam nos majorem dicimus.

Camera. Bibliothecarius in vitis pontificum Romanorum frequentes basilicarum variarum Cameras profitetur, ut Lateranensis, & aliarum, quas etiam ab iisdem pontificibus exornatas scribit. Eas opinor ego fuisse sacraria, vel quid ejusmodi basilicis adjunctum.

Absis, sive Apsis, proprie & curvatura

rotæ, ideſt, lignum ſuper totas tenens ſcalas, vel in quo finguntur radii, vel ligneus rotæ circulus, quo ſignificatu alii primum aſpirant ſic, Habſis, ſcilicet a tangendo; quod ea pars, quum tota volvitur, terram contingat. Hoc etiam nomine ſignificatur fornicis curvatura, & aliquando integer fornix. Hinc eccleſiaſtici ſcriptores, quam nos eccleſiarum tribunam vocamus, habſidem vocant.

Confeſſio, quod verbum in Bibliothecario, & aliis eccleſiaſticis ſcriptoribus frequentiſſimum eſt, idem apud Latinos ſignificat, quod apud Grecos martyrium. Hi enim eccleſias Deo privatim dicatas dominica; martyribus vero martyria vocabant, hoc eſt, in quibus martyrum corpora jacerent, aut eorum memoria coleretur. Hinc baſilicam Vaticanam, Apoſtolorum martyrium vocat Joannes Chryſoſtomus. Quia vero matyr Græce, Latine a Cypriano confeſſor, ſive teſtis exprimitur, a confeſſore Confeſſio manavit, ut a martyre martyrium. Eſt vero confeſſio eccleſia, in qua confeſſorum, hoc eſt, martyrum memoria coleretur. Quos enim nos modo martyres, veteres patres in his Cyprianus, confeſſores appellabant, quod in tormentis citra mortem intrepidi Chriſtum confeſſi eſſent, epiſt. VII. lib. II. Cleri Romani ad Cyprianum Epiſcopum. Quamquam confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcere dignitas ſuæ confeſſionis incluſit. Item epiſt. VI. lib. II. Cypriani ad martyres, & confeſſores: Exulto lætus, & gratulor fortiſſimi, ac beatiſſimi fratres, cognita fide, ac virtute veſtra, in quibus mater Eccleſia gloriatur; & nuper quidem cum confeſſione præſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ confeſſores Chriſti fecit extorres. Confeſſio tamen præſens quantum in paſſione fortior, tantum clarior, & major in honore eſt. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormentorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem provocati, fortes, & ſtabiles ad maximi certaminis prælium prompta devotione prodiiſtis, ex quibus quoſdam jam comperi coronatos, quoſdam vero ad coronam victoriæ proximos, univerſos autem, quos agmine glorioſo carcer incluſit, pati, ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, ſicut eſſe oportet in divinis caſtris milites Chriſti, ut in corruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus, ac tormenta devincant, qua major eſt, qui in nobis eſt, quam qui eſt in hoc mundo: & alibi paſſim, qui Chriſtum in tormentis, & carcere, citra mortem tamen confeſſi fuerant, modo confeſſores voce Latina, modo etiam voce Græca martyres appellat. Antiquitus igitur confeſſio idem erat, quod martyrium, ſcilicet eccleſia in martyrum honorem conſecrata. Nunc vero in omnibus totius orbis terrarum Chriſtianorum Eccleſiis, quæ duplices ſunt, ſuperior ſcilicet, & inferior (quales multæ per totam Lombardiam, & Italiam, Romæ etiam modo extant, & plures extabant) appellatur uſque hodie inferior eccleſiæ pars ſub altari majori ædificata, ut Parmæ in cathedrali Veronæ ad Sanctum Stefanum, Romæ ad Sanctam Priſcam, S. Martinum in montibus, & alibi. Earum ſimilitudine confeſſio dicitur locus imus ſub gradibus, & altari majori eccleſiarum S. Petri, S. Pauli, Lateranenſis, S. Laurentii extra muros, S. Mariæ majoris, & aliarum. Quæ confeſſio non ſine materiali eccleſia ſit. Quod etiam probatur capite vigeſimo Concilii Grangrenſis, ſic: Si quis ſuperbiæ uſus affectu conventus abominatur, qui ad confeſſiones martyrum celebrantur, & miniſteria, quæ in eis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execratur, anathema ſit. Ita una verſio: Alia vero, quæ per confeſſiones martyrum intelligit, apertiſſime exponit baſilicas Sanctorum Martyrum. Sic enim ait. Si quis per ſuperbiam tamquam perfectum ſe exiſtimans, conventus, qui per loca, & baſilicas Sanctorum Martyrum fiunt, accuſaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriaſque Sanctorum contemnendas, anathema ſit. Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Xyſti III. papæ: Xyſtus Papa (inquit) fecit confeſſionem beati Laurentii martyris cum columnis, porphyreticis, & ornavit tranſennam. Fecit quoque ibi ad confeſſionem altare S. Laurentii de argento puriſſimo librarum quinquaginta, cancellos argenteos ſupra Platonias porphyreticas librarum CCC. abſidam ſuper cancellos, cum ſtatua beati Laurentii argentea librarum ducentarum.

Am-

Ambo dicitur suggestus, seu pulpitum marmoreum, ex quo lector, seu diaconus lectionem, seu evangelium recitabat. Quos multos & magnos, & pulcherrimis tabulis marmoreis ornatos per Urbis ecclesias, & præsertim apud S. Paulum videmus, quem locum D. Cyprianus lib. IIII. epist. V. honoris causa tribunal quoddam ecclesiæ appellavit: ab ambiendo dictum volunt, quod locus ille utrinque gradibus ambiatur. Nam in quibusdam ecclesiis duo gradum ordines visuntur, unus a sinistris, quo fit ascensus versus Orientem, alter a dextris Occidentem spectans, quo fit descensus. In quibusdam vero aliis ecclesiis diaconus una, subdiaconus altera via in pulpitum, seu ambonem conscendit. Expositor Romani ordinis Ambonem hanc appellationem ideo habere tradit, quod ambiat, & cingat intrantes. Sed veriuseft Græcam esse vocem ἄμβων ἄμβωνος quæ inter cetera significat ascensum, & locum editum a verbo ἀναβαίνω quod est ascendo. Capite XV. Concilii Laodiceni, quod Græce est τῶν ἐπὶ το ἄμβωνα ἀναβαινόντων Latine legitur: qui pulpitum ascendunt.

Sacrarum Ædlium Ornamenta.

Patena, sive Patina, est genus vasis, a patendo dictum, quo dapes in mensam feruntur. Dicta a Columella patena lib. XII. cap. XLIII. Columella (inquit): patruus meus ex ea creta, qua fiunt amphoræ, lata vasa in modum patenarum fieri videbat. Harum usus in primitiva ecclesia in oblatione corporis Domini institutus adhuc usque perseverat. Illud interest, quod hodie parvæ, antiquitus magnæ conficiebantur ex auro, & argento, ut Eucharistiam pro tanta multitudine suscipere capaces essent,

Calices. In vitis Pontificum Damasi, & Bibliothecarii, & præsertim in vita S. Sylvestri frequenter mentio est, calicum majorum, & minorum, & ministerialium, quos Pontifices, & Imperatores, in his præsertim Constantinus in ecclesiis ab se constitutis, aureos & argenteos contulisse leguntur. Ministeriales ideo dicti, quod administrando Sanguinem Christi populo deservirent. Remigius archiepiscopus Remensis, quum ejusmodi calicem ministerialem fieri jussisset, in ipsius circuitu hosce ab se editos versiculos posuit:

Hauriat hanc populus vitam de sanguine sacro
Injecto, eternus quem fudit vulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Amulam, aliam Amam, quidam interpretantur phyalam ad urceoli similitudinem. Certe quo loco III. Regum VII. Græce legitur ὑδρίας noster interpres vertit amulas. Expositor ordinis Romani: Amula (inquit) vas est, in quo vinum offertur: cujus generis vasa fusilia fecit Rex Salomon DCCC. sicut Josephus testatur, &c. Sed in gestis pontificalibus legitur religiosos quosque Imperatores, principes, atque Pontifices tantum numerum de amulis, atque patinis, seu aliis vasis, atque ornamentis ecclesiasticis ad honorem Dei obtulisse illi, atque illi Ecclesiæ, quanta possibilitas fuit unicuique pro sua devotione. Nonnumquam & amæ dicuntur, & per aspirationem hamas nonnulli legunt. In vitis Pontificum Bibliothecarii frequenter legitur, hamas argenteas, & aureas donatas ministerio divino. Hinc hamula, & hamalula deductæ. Columella in cultu hortorum,

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchive lagenam.

Hodie etiam hamula Italis dicitur vulgo vasculum vitreum ad usum aquæ & vini, & præsertim in sacrificio missæ.

Colatorium, hoc erat vasculum quoddam subtilissimis foraminibus ab imo perforatum, quo vinum ex hamulis in calicem refundebatur.

Pugillares. Inter instrumenta sacra, quæ Pontifici ad stationem procedenti præferebantur, numerantur pugillares aurei, sive argentei. Videtur autem ea ætas pugillarium nomine, intellexisse stylos, seu graphia, seu etiam pennas, vel calamos, quibus litteræ deformantur, & ex hac similitudine fistulas, seu cannas, quibus sanguis e Dominico calice exugebatur quum proprie pugillares sint ipsæ tabulæ, in quibus scribi consuevit, quæ Græ-

Græce πυξίδια dicuntur. Ejusmodi pugillarium, seu fistularum argentearum, & aurearum, quum hæ antiquitus cuncto populo in communione sanguinis Christi deservirent, hodie solus Romanus pontifex usum adhuc observat.

Scyphi, Metretæ, Hydriæ, sunt vasa divino ministerio ab Imperatoribus, & Pontificibus oblata, quæ frequenter Bibliothecarius commemorat. Scyphus autem vasis potorii genus erat, quod proprie Herculi attribuebatur, quemadmodum cantharus Libero patri: Quo veteres in sacris, & in conviviis usi sunt. Virgil. IIII. Æneidos: Et sacer implevit dextram Scyphus. Horat. Epod. IX. Capaciores affer huc puer scyphos. Metreta etiam genus vasis fuit, constans ex duobus batis, idest, decem congios, vel sexaginta sextarios comprehendens. Et quod Dioscorides metretam vocavit, Plinius cadum transtulit. Alii metretam amphoram dicunt. Hydria vero vas aquarium erat, a Greca voce ὕδωρ idest, aqua, dicta.

Thymiamaterium, quod Latine acerra dicitur, vas erat, in quo odores suavissimi thymi, herbæ odoratæ naturam referentes, in sacris incendebantur.

Pelvis, quasi Pedalvis (ut Varro inquit) a pedum lavatione vas dictum. Alii pelvim a pellucendo dictam tradunt, putantque sinum esse aquarum, in qua variæ res pelluntur. Juvenalis satyra III.

Ut sint contentæ patulas effundere pelves.

Veteres Christiani vasa, quibus in baptismo utebantur, pelves appellabant.

Phara, Damasus, & Bibliothecarius in Romanorum pontificum, & præsertim S. Sylvestri vita, phara, canthara, cerostata, coronas, delphinos, lychnos, & lychnucos, pro diversi generis lampadibus, & lucernis in ecclesiis ardentibus, acceperunt.

Pharus igitur insula, & turris amplissima in portu Alexandrino sita erat saluti navigantium condita, quæ nocturnis ignibus portum iis monstrabat. Solinus scribit, ab hac turri pharo, pharos vocari machinas in portibus ad prælucendi ministerium fabricatas; quoniam ex hac pharo Alexandrina, naves nocturnis facibus accensis, dirigebantur. Papinius:

Lumina noctivagæ tollit pharus Æmula lunæ.

Hegesippus lib. IV. tradit a Græcis Latinisque pharon appellari ex ipsius rei usu, eo quod longe videatur a navigantibus, atque ἀπὸ τοῦ φωτὸς quod significat lucidum, & immutata littera pharos dicitur. Hinc hodie triremium lanternæ fanones, & fanales vocantur, & turres in portubus Neapolitano, Messinensi, & Genuensi lumina nocturna sustinentes, Phari dicuntur. Ecclesiastici igitur scriptores hac voce suggestus aureos, & argenteos in modum turrium, vel columnarum vocabant, quibus annexum erat certum lychnuchorum genus, quod Delphinum vocabant. Ita enim scribitur: Fecit pharum unum cum X. delphinis. Pharum porro etiam coronam vocabant, forte, quod rotundus esset. Fecit, inquit Bibliothecarius, coronam, idest, pharum cantharum, cum delphinis quattuor oleo ardentibus: ubi illud animadversione dignum est, quod quamquam idem fere est lychnucum, & delphinum dixerim, nonnihil tamen inter se diferre opus fuit. Nam delphini ardentes cum pharis cantharis, vel cum coronis conjunguntur, lychnuchi vero cum lucernis. Cur autem pharus cantharus dicatur, haud certo scio, nisi in formam vasis magni factum fuerit in extrema parte. Nam poculum fuit, quod Baccho tribuebatur, sicut scyphus Herculi, dictus a canthare, quod erat navigii genus. Plinius libro XXXIII. cap. XI. refert Marium post victroiam Cimbricam cantharis potasse, Liberi patris exemplo. Virgilius.

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Ulpianus tradit cantharos esse, per quos aquæ saliunt.

Præter pharum cantharum, in eodem fere significatu Bibliothecarius enumerat Cerostota, & canthara cerostota, quæ lucernæ forte erant in modum cornu factæ a κέρας quod est cornu, dicta. Ut autem delphini coronis, & pharis cantharis ardentibus attribuuntur, sic lychni, vel lychnuchi lucer-

cernis. Est enim lychnus Graece Latine lucerna. Sed Bibliothecarius lucernam pro lychnorum sustentatione, sive candelabro accepit. Lichnum vero seu lychnucum pro lampade ipsa ardente.

Gemelliones aurei, & argentei dicuntur, qua voce, quid significari possit, nisi urceoli, vel ampullæ sint, non invenio.

Sacrarum Vestium Genera

Anabolagium, a verbo Græco ἀναβάλλομαι, quod est supra jaceo, vel rejicio, appellabant amictum album lineum: qui, quod humeris imponeretur, superhumerale etiam vocabatur.

Alba, scilicet vestis, vel camisia, hodie dicitur camisium.
Cingulum a cingendo, corda, qua Pontifex cingitur.

Orarium vocabant etiam fasciam, quam nos stolam dicimus: alii velum, cui Romanus pontifex, & archiepiscopi pallium super humeros imponunt, orarium vocant.

Mappulam vero, quam hodie Manipulum appellamus, quæ a mappa, qua manuum sordes in mensa abstergimus, dicta est.

Colobium est vestis sine manicis, ac mutilara, ἀκόλοβὸς verbo Græco, quod breve, mutilatum, truncum significat, dicta. Qua olim virgines utebantur, & sancti patres, ut Paulus Eremita Expositor Romani ordinis, in candidissimo (inquit) habitu colobionis, quo vel Apostoli, vel Apostolici viri usi sunt, quum culparetur a quibusdam nuditas brachiorum. Silvester papa instituir, ut in ecclesiastico ministerio diaconi dalmaticas, idest, tunicas manicatas, & candidas induerent, quales testatur Isidorus episcopus in Dalmatia primum contextas, qua etiam usi sunt veteres. Lampridius in commodo, Dalmaticatus in publicum processit.

Casula, alias Planeta, genus vestis, in sacris a Christianis Sacerdotibus usurpata, ἀπὸ τῆ πλάνης idest, ab errore, dicta. Quoniam, quum latissimo initio, & sine manicis esset, ejus limbus super brachia, & scapulas projectus, errabundus totum corpus circumiret. Hodie ab utraque parte concisa, ante, & retro tantum producitur usque ad talos.

Pallium est fascia ex candida lana contexta habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte dependentes, quattuor purpureas cruces, ante, retro, a dextris, & a sinistris: duplex quidem a sinistris, simplex a dextris, cui in tres partes conciso, tres acus infiguntur, quibus confuitur. Quæ omnia moralibus sunt repleta mysteriis, quorum explicationem vide apud Innocentium III. lib. x. cap. xii. de sacro altaris mysterio. Dictum autem est, ut puto, a verbo Græco πάλλομαι quod est vibror, agitor: nam circum collum super humeros vibrabatur, agitabatur, circumvolvebatur. In VIII. Synodo Constantinopolitana IIII. posteriore sub Joanne VIII. Papa celebrata sessione prima pallium vocatur ἀρχιερατικὴ στολὴ hoc est pontificalis stola. Ubi illud scitu dignum, quod in ea synodo exponitur, quomodo Joannes VIII. Papa Photio mittebat pallium, & sandalia, ut ostenderet se eum in patriarchali Constantinopolitana sede suscipere. Ubi sunt hæc verba: Quod domnus noster Apostolicus admittit Domnum Photium in patriarcham, testatur pontificalis stola a Summo Pontifice Romano nostro Joanne ad eum missa, quam propterea direxit, ut omnes intelligant, & certo sciant, Domnum Photium recipi a Summo Pontifice in patriarcham: cumque hoc dixisset, dedit Photio pontificalem stolam, humerale indumentum, penulam, & sandalia. Paschalis II. Papa: Pallium (inquit), est insigne archiepiscopalis dignitaris, quod assumitur de corpore, id est, de altari B. Petri, in signum unitatis apostolicæ sedis. Quod archiepiscopo electo apostolica sedes non tradit, nisi prius præstet pro fide, obedientia, & unitate juramentum. Antiquitus candidi agni fine macula nutriebantur a monialibus albis S. Andreæ prope S. Marcellum de Urbe, postea ea cura ad moniales S. Hagnetis extra Urbem via Nomentana translata fuit: hodie est monialium turris speculi. Qui dominica in albis circuibant altare S. Petri. Ex ejusmodi agnis sumitur lana, de qua per easdem virgines pallia texuntur, quæ Papæ, & archiepiscopis per manum primi diaconi initio ipsorum promotionis dari

dari solent. Qui nisi accepto pallio, neminem episcopum consecrare possunt. Eo etiam, præter archiepiscopos, utuntur episcopi quidam ex privilegio, ut Lucensis, & ex decreto Marci Papæ Ostiensis in consecratione Romani Pontificis: Gregorius Papa vetuit aliquid pro susceptione palii solvi. Quod decretum confirmarunt Leo II. & Urbanus II. Summi Pontifices.

Mitra, seu Mithra, a Persis sol dicitur, aliquando pro primario sacerdote ponitur, ut apud Apulejum lib. ultimo, ipsumque Mithram illum suum sacerdotalem præcipuum sacrorum ministeriorum decernit. Mitra etiam sine aspiratione significat quoddam capitis ornamenti genus, quo primum Mæonii, deinde Ægyptii, Syri, Phryges, Lydi, & Persæ usi sunt. Erat autem pileus acutus. Accipitur, & pro muliebri corona, ad ornatum capitis adolescentularum, ex qua pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur, quod florum instar dependerent. Virg. X. Eneid.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Episcopi Christianorum mitra utuntur, quum rei divinæ operam dant, quæ pileus lineus vel e serico albo est, in altum porrectus, & in duas cuspides divisus. Fiunt mitræ aureæ unionibus, & gemmis ornatæ. Quarum usum in Romana ecclesia non ante sexcentos annos esse opinor.

Offertorium, syndonem sericeum, seu linteamen significat, in quo populorum oblationes reponebantur, ab offerendo dictum. A quo etiam ea Missæ pars vocatur offertorium, quæ dicebatur tempore oblationis.

Fanon etiam appellabatur linteamen illud, quæ vox Germanica esse videtur, a quibus vela illa ex hastilibus dependentia fanen usque hodie appellantur. Guillelmus Durantes cum fanone candido, exponit cum mappula alba, & netida. Hodie Veronæ in patria mea linteamina sericia, & depicta ex hastis dependentia, & in supplicationibus deferri solita, confanones vocantur.

Naccus, pro nacco intellexerunt veteres Christiani Romani pannum laneum rubrum, quo equorum sellam cum Pontifex equitabat, cooperiebant, a verbo Græco Νάκος, quod lanam sive vellus significat, derivatum.

FINIS.